



46



B-9517

82

THOMÆ

STAPLETONI,

ANGLI, S. THEOLOGIE DOCTORIS, ET PROFESSORIS REGII LOVANI,

PROMPTUARIUM CATHOLICUM,

Super Evangelia Ferialia in totam Quadragesimam.

Cum Indice rerum copiosissimo.


Quæ præterea in hac parte Quadragesimali contineantur, sequens pagina indicabit.



LEGDUNI, SVMP TIBVS PETRI LANDRY

M. D. XCV.

Cum Privilegio Regis.



de la Cruz de Jesus de granada de la Universidad de Granada

P R O M P T V A R I V M
C A T H O L I C V M,

Ad instructionem Concionatorum contra no-
stri temporis hæreses.

I N H A C P A R T E Q V A D R A G E -
simali vnus Caluini varia impietas in multis, eis-
démque grauisimis fidei dogmatibus
aperitur, & accurate re-
sutatur.

August. enarrat. in
Psal. 36.

Tanto magis debemus commemorare vanitatem hereti-
corum, quanto magis querimus salutem eorum.



R E V E R E N D I S
S I M O I N C H R I S T O .

P A T R I A C D O M I N O ,

D. A V D O E N O L V D O V I C O ,

Episcopo Cassanensi, &c. Thomas Staple-
tonus perpetuam felicitatem
precatur.



O S T V L A T à me (Re-
uerend. in Christo Pa-
ter.) & virtutum tua-
rum quædam ἐγκυκλοπαι-
δεία, & amicitia nostra
perantiqua, vt post alia
nostra opuscula diuinæ
gratiæ beneficio in lucem emissa, hunc exi-
guum fœtum nostrum, quasi que alterius
Operis nouam appendicem Reuer. tuo &
dulcissimo mihi capiti consecrarem. Effe-
cit tua varia ac multiplex virtus, in vtriuf-
que Iuris vastissimis spatiis solida ac sum-
ma eruditio, admirabilis in rebus agendis
industria, prudentia, grauitas, totius vitæ
puritas, ac singularis semper in Deum pie-

tas, quam præclaræ illæ dotes ingenij acutissimi, felicitis memoriæ, cum suauissima morum comitate coniunctæ, plurimum exornârunt, vt postquam in Academia Duacena maxima cum laude ius Sacrum aliquot annis docuisses, ad Metropolim Cameracensem sola eruditionis fama euocatus, & in collegium illud venerabile cooptatus, ius ibi populo dixeris; inde ab illustrissimo Archiepiscopo in urbem destinatus grauiissimi negotij conficiendi causa, ab annis iam viginti aut circiter, sic in illo nobilissimo totius orbis theatro te gesseris, vt negotio ex animi sententia confecto, noua illic dignitate auctus, S. Sedis Referendarius constitutus, vbi tua diligenti opera & iudustria Seminarij in vrbe gentis nostræ fundamenta iacta essent, non ita multò post à Sapientissimi ac Sanctæ memoriæ Pontifice, Gregorio XIII. Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinali Borromæo, Mediolanensi Archiepiscopo, nostri temporis Ambrosio, traditus fueris, qui in tota eius amplissima Prouincia Vicarium generalem ageres, cui Sanctissimo Præfuli ad mortem vsque adhæstisti, indeque in urbem rediens, ad Episcopatum Cassanensem euectus, postquam illam gregem aliquantisper

tua

tua præsentia sanctè ac sapienter rexisses, Seminario quoque illic Cleri Cassanensis erecto, in urbem reuocatus, tum à Gregorio XIII. felicitis memoriæ ad Heluetios Nuncius Apostolicus designatus, tum à Sanctiss. Domino, qui clauum nunc Ecclesiæ tenet, Clemente VII. in visitandis Ecclesijs quasi alter Barnabas aut Silas assumptus, quotidianam operam præbes. Atque hæc quidem eiusmodi sunt, vt nostrum hoc potius opusculum tuo nomini dicatum splendorem inde & commendationem accipiat, quàm ex eo T. Dign. aliquis splendor accedat: magisque ego audacia & temeritate peccare, quam ex hoc officio aliquid tibi tribuisse videri possim. Cæterùm amicitia nostra talis ac tanta est, tam antiqua, tam suavis, tot mutuis officiis à tenera vtriusque ætate firmata, vt & audaciam, si qua est, facilè condonet, & hoc studium nostrum tibi periucundum efficiat. Sanè in schola VVichamica pariter enutriti, in Academia Oxoniensi eiusdem collegij socij, hic Louanij simul exules, in Academia Duacena collegæ & Professores coniuncti, in vrbe postmodum aucta familiaritate coniunctissimi, eò necessitudinis vinculo ab annis iam 40. & amplius colligati fuimus, vt tam

*

3

diu

diuturnum hunc ac suauissimum semper amorem nostrum, ego quidem hoc qualicumque testimonio toti orbi testatum facere voluerim, tu verò pro tua in nos integerrima beneuolentia, non nisi animo gratissimo accipies. Virtutes animi nobilissimas & cætera in te Dei dona veneror & suspicio. Beneuolentissimum in me semper animum tuum colo & amplector. Communem parentem nostrum nobiliss. memoriæ Gulielmum VVichamum, Episc. Vintoniensem, duorum ampliss. collegiorum (quorum vnum alterius seminarium est) ante annos ducentos & amplius munificentissimum ac splendidissimum fundatorem, cuius Scholis in hoc deplorando patriæ nostræ schismate, ad causæ Catholicæ defensionem prodiisti tu, prodiit Nicolaus Harpsfeldus, Dialogorum contra Magdeburgenses, qui sub nomine Alani Copi editi fuerunt, author, Nicolaus Sanderus, Thomas Hardingus, Ioannes Rastellus, Gulielmus Reginaldus, alijque complures, & ego omnium minimus. Hunc, inquam, parentem nostrum, in huius operis dedicatione, quadam tenus honorare, eiusque memoriam sempiternis laudibus dignam, posteritati refericare, (cui mea prima studia debeo per-

libere te

libenter volui. Accipe igitur Reuerendissime Antistes, siue B. memoriæ Patris nostri Gulielmi VVichami, siue alumni eius Stapletoni tui nomine, Promptuarij nostri Catholici partem Quadragesimalem, tuo auspiciatissimo nomini dicatam, & veteris amici officium boni consulito.

I N hac sane parte Quadragesimali vnum Caluinum calamus noster potissimum petit, tum quia impostor ille Scripturam Euangelicam (cuius hinc verba tractamus) vnus omnium pestilentissimè corrupit, deprauauit, adulterauit: tum quia vt in Gallia iamdudum, sic nunc in excæcata Anglia nostra, magnaque Germaniæ parte, illa vna pestis potissimum regnat. Non sunt quidem ista vel in Episcopatu vestro, vel in vrbe necessaria. Sed alijs ista scripsit qualiscunque industria nostra, quæ vni tibi dicata voluit amicitia nostra. Annus iam agitur quintus, cum in reliqua Euangelia totius anni, tam Dominicalia, quàm de festis, Promptuarium Catholicum in lucem emisit. Opusculo illo hoc interea temporis iam quater edito à compluribus enixius rogatus fui, vt Euangelia per ferias Quadragesimales legi solita, simili studio explicarem. In quinta igitur operis editione

*

4

prodit

prodit hoc auctuarium ad Dei gloriam & veritatis Orthodoxæ qualemunque explanationem: illis sanè in locis, vbi grassatur hæresis, maxime vbi pro magno habetur Calvinus, non inutilem (vbi spero) futuram. Sed & tibi, è schismate patrio quasi è flammis erepto non iniucunda erit eorum lectio, quæ quantis à malis ereptus fuerit, ad oculum demonstrant. Ardet quidem Sodoma de cælo, omniâque apud nos hæresum flammæ depascuntur. Sed quia necdum extinctus ille ignis est, quin crescit adhuc magis, virésque acquirit eundo, planè, vt alios inde eripiamus, neue adhuc latius sese diffundat hæc flamma, respice licebit, imò & expediet. Respeximus ergo & nos, tamen Dei beneficio intuto positi, non quidem oculo carnali, vt illa vxor Lot, quasi de rebus illic nostris iam dudum deperditis & absumptis solliciti, sed (diuina adiuuante gratia) oculo spiritali, oculo charitatis: vt fratres nostros vel necdum penitus deploratos, sed quasi ambustos ab hæreticis illis flammis eripiamus vel adhuc sanos & intactos, ne illis se committant ignibus, tempestiuè moneamus, atque in fide, in qua stant pro nostro modulo roboremus. Hic totius huius Promptuarij Catholici, huic huius partis Quadragesima

dragesimalis, hic aliorum nostrorū pro fide Catholica operum ac laborum, vnicus deinceps scopus ac finis (in iis quæ adhuc meditatur) erit. Deus autē misericordiarum Reuerendissi. Dom. Tuam, & nostros qualescunque labores sua benedictione impertire dignetur,
Amen.

Louanij, Calend. Ianuarij 1594.



SCRIPTURAE

EVANGELICAE QUAE IN

HAC PARTE QUADRAGESIMALI per singulas ferias contra corruptelas haereticas, sed imprimis Caluiananas, ex proposito tractantur.

In feria 4. Cinerum.

Matth. 6. **C**um ieiunatis, nolite fieri tristes sicut hypocrita. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum & faciem tuam laua.

2. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

3. Thesaurisate vobis thesauros in caelo.

In feria 5. post caput ieiunij.

Matth. 8. Tantum dic verbo & sanabitur puer meus.

In feria 6. post caput ieiunij.

Matth. 5. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros: Benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

In Sabbato post caput ieiunij.

Matth. 14. **D**omine si tu es, iube me venire ad te.

Marc. 6. Deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

In feria 2. hebdom. 1. Quadragesimae.

Matth. 25. Venite benedicti Patris mei possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.

In

In fer. 3. hebdom. 1. Quadragesimae.

Domus mea domus orationis vocabitur.

Matth. 21.

In fer. 4. hebdom. 1. Quadragesimae.

1. Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei?

Matth. 12.

2. Quicumque facit voluntatem Patris mei, hic frater meus & soror & mater est.

In fer. 5. hebdom. 1. Quadragesimae.

1. Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes, Dimitte eam, qui clamat post nos.

Matth. 15.

2. O mulier magna est fides tua.

In fer. 6. hebdom. 1. Quadragesimae.

1. Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate.

Ioan. 5.

2. Vis sanus fieri?

In Sabbato hebdom. 1. vide Dominum.

2. Quadragesimae.

In fer. 2. hebdom. 2.

Ego vado, & queretis me, & in peccato vestro moriemini.

Ioan. 8.

In fer. 3. hebdom. 2.

1. Super cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, seruate & facite.

Matth. 23.

2. Qui maior est vestrum, minister vester erit.

In

In feria 4. hebdom. 2.

- Matth. 20. 1 Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.
- 2 Et dare animam suam redemptionem pro multis.

In feria 5. hebdom. 2.

- Luc. 16. Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.

In feria 6. hebdom. 2.

- Matth. 21. 1 Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.
- 2 A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

In Sabbat. hebdom. 2.

- Luc. 15. In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame pereoo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in caelum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.

In feria 2. hebdom. 3.

- Luc. 4. Nemo Propheta acceptus est in patria sua.

In feria 3. hebdom. 3.

- Matth. 18. 1 Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.
- 2 Quod si non audierit eos, dic Ecclesie. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

In feria 4. hebdom. 3.

- 1 Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Senatorum?
- 2 Quare & vos transgredimini mandatum DEI propter traditionem vestram?
- 3 Sine causa me colunt docentes mandata & doctrinas hominum.
- 4 Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem.

In feria 5. hebdom. 3.

- Exibant demonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

In feria 6. hebdom. 3.

- 1 Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam eternam.
- 2 Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.
- 3 Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.
- 4 Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.

In Sabbat. hebdom. 3.

- Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

In feria 2. hebdom. 4.

- Dixerunt ei Iudaei: quod signum ostendis nobis, quia haec facis.

In fer. 3. hebdom. 4.

- Ioan. 7. 1 *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*
2 *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

In fer. 4. hebdom. 4.

- Ioan. 9. 1 *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit luto oculos eius, & dixit ei. Vade laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus.*
2 *Iterum ergo interrogauerunt eum Pharisei, quomodo vidisset.*

In fer. 5. hebdom. 4. Vide Dominicam 15. post Pentecosten.

In fer. 6. hebdom. 4.

- Ioan. 11. 1 *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.*
2 *Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire.*

In Sabbato hebdom. 4.

- Ioan. 8. *Tu testimonium perhibes de teipso: testimonium tuum non est verum.*

In fer. 2. post Domin. Passionis.

- Ioan. 7. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura flumina de ventre eius fluent aqua viua.*

In fer. 3. post Domin. Passionis.

- Ioan. 7. *Neque enim fratres eius credebant in eum.*

In

In fer. 4. post Domin. Passionis.

- 1 *Ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*
2 *Pater & ego vnum sumus.* Ioan. 10.

In fer. 5. post Domin. Passionis.

- Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7.

In fer. 6. post Domin. Passionis.

- 1 *Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Ioan. 11.
2 *Hoc autem à semetipso non dixit, sed quum esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

In Sabbato post Domin. Passionis.

- 1 *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ioan. 12.
2 *Accesserunt ad Philippum, & rogauerunt eum dicentes. Domine volumus Iesum videre.*
3 *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora.*

In fer. 2. hebdom. Sanctæ.

- 1 *Maria accepit libram unguenti nardi pistici, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis capitis sui.* Ioan. 12.
2 *Pauperes semper habebitis vobiscum. Me autem non semper habebitis.*

In fer. 3. hebdom. Sanctæ.

- 1 *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, &c.* Marc. 14.

2 Acce-


- 2 *Accepit Iesus panem & benedixit.*
 3 *Hoc est Corpus meum.*
 4 *Hic est Sanguis meus noui Testamenti, qui pro mul-
 tis effundetur in remissionem peccatorum.*

In feria 4. hebdom. Sanctæ.

Luc. 22. *Quod pro vobis datur. & qui pro vobis fundetur. & Pa-
 ter, si vis, transfer à me calicem istum.*

In fer. 5. hebdom. Sanctæ.

Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis,
 ita & vos faciatis.*



PROM-

P R O M P T V A -
 R I V M C A T H O L I C V M
 S V P E R E V A N G E L I A

F E R I A L I A P E R T O T A M

Quadragesimam.

In feria quarta Cinerum.

1. *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Matth. 6.
 Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem
 tuam laua.*

L O C V S hic opportunus, nec ab hoc Quadrage-
 simalis ieiunij capite & exordio alienus esset,
 de ieiunij præcepto, sine, fructuq; amplissimo
 contra licentiosos & laxos horum temporum
 hereticos differēdi; nisi in Dominica prima Quadragesime,
 tum in hoc Catholico, tum in altero morali Promptuario
 iam dudum ea de re latius differuissent. Nunc hæc Christi
 verba (quæ quæ iam ieiunandi modum doceant, quin ieiu-
 nium ipsum, vt rem imprimis laudabilem, Deoq; gratam,
 manifestè commēdent, dubitari non potest) ab hæretico-
 rum hodie corruptela vindicare, operæpretium erit. Cal-
 uinus Euangelicæ Scripturæ corruptor maximus (quod,
 fauente Deo, tum in Euangelijs per ferias Quadragesima-
 les legi solitis, tum alio in loco plenius explicatum dabi-
 mus) ieiunium hîc à Christo ab externa hypocrisi & simu-
 lata quadam ac terrena vultus compositione reuocatum,
 mirabili metamorphosi ad victus moderationem à lauti-
 tijs & delicijs renouatum, transfert. Sic enim in illa verba,
vnge caput tuum & faciem tuam laua, scribit: *Non iubet Chri-
 stus simulare lauitias, nec indulget delicias, in vnguentis & ve-
 stitu, sed simpliciter nos hortatur ad tenēdam moderationē, in qua
 nihil sit vel nouum, vel affectatum: ac si diceret ita ieiunij vacan-
 candum esse, vt in consueta vita ratione nihil mutemus. Hæc il-
 le. Secundum igitur Caluini Enāgelium sic loquitur Chri-*

*In Antidotis
 Euangelicis
 & Apostoli-
 cis.*

*In Com. Har-
 monia Euang.
 ad Matth.
 cap. 6.*

A

stus

Ieiunium
Caluinianum
victus
moderatus.

Christus
quomodo
tristitiam
in ieiunio
prohibet.

Ieiunij
Caluiniani
impietas.

Luc. 5.
2. Cor. 11.

Act. 13.

Itus. Tu quum ieiunas, vide vt de consueta vitæ ratione nihil mutes, sed eam moderationē teneas, in qua nihil sit vel nouum vel affectatum. Ieiunium definit, victum moderatum, & consueta vitæ moderationem tenere.

Quæ nouella explicatio, quàm absurda & impia verborum Christi sit corruptela, paucis populo aperendum est: tum vt ieiunij vera ratio teneatur, tum vt tam nefarius impostor merito tradatur. Ac primum, quod Christus iubet faciem vngere, & caput lauare, hoc nec ad victum, nec ad vestitū pertinet, vt somniat Calvinus, sed tantummodo ad externum corporis cultum, Iudæis familiarem, qui non solum faciem lauare, sed & caput vngere in more habeant: in quo nihil mutare nos Christus vult. Iubet quum ieiunamus, non esse tristes sicut hypocritas, non esse vultu tetrico, externam austeritatem præ nobis non ferre: *non exterminare facies nostras*, seu affectato pallore venustatem naturalem obscurare aut corrumpere, quod totum hypocritæ faciunt, vt videantur ridigi ieiunatores: sed econtrā faciem lauare & caput vngere, id est, vsitata vultus hilaritate ac honestate in publicum prodire. Nihil hoc totū ad victus rationem, nihil ad vestitū pertinet. Bene pactus ac saginatus domi composito ad austeritatem vultu, nec lota facie, nec vncto capite, nec compta & polita veste, in publicum prodire potest, sicut barba: i ministri caperata fronte & galeato latè capite, veluti hypocritæ maximi, sæpe prodeunt. Absurda igitur imprimis est hæc corruptela Caluini.

Iam verò vt glossæ Caluinianæ summa impietas luce clarius compendio appareat, si ieiunium hoc loco nihil nisi moderationem victus consueta significat; ergo Apostoli & discipuli Christi moderationem victus non tenebant; quia Christum sequentes *non ieiunabant sicut discipuli Ioannis frequenter*. Ergo & Paulus quum inter cæteras tribulationes & exercitia dicit, *In ieiunijs multis*, intelligendus est dixisse: multoties moderatum victum tenui: aliàs vero & frequentius in lautitijs & delitijs vitam egi. Ergo rursum Prophetæ & Doctores illi Antiocheni, qui *ieiunantes & orantes imposuerunt manus Paulo & Barnaba*, intelligēdi sunt tunc quidē moderationē victus tenuisse, in qua nihil nouū fuit aut affectatū, aliàs verò lautitijs & delitijs ac genio indulisse. Deniq; quoties aut veteris populi Duces ac Reges, aut S. Prophetæ publica prædicauerūt ieiunia, vel vt iracun-

diam

diā DE I placarēt, vel vt noui aliquid à Deo beneficij impetrarēt, nihil aliud ille populus faciebat, quàm vt de consueta victus ratione nihil mutans, moderationem victus teneret, in qua nihil nouum aut affectatum esset. Atqui tota Scriptura reclamationem, quum illa veteris populi ieiunia, quæ CHISTVS hic ab hypocritis reuocat, nouam & affectatam valde afflictionem coniunctam haberent, & de consueta victus ratione plurimū detrahebant. Achab pœnitentiam acturus, *operuit cilicio carnem suam, ieiunauit & dormiuit in sacco*. Audientes filij Israël terribilē potentiam Holofernis, *humiliauerunt animis suis in ieiunijs*. Ipsa autem Iudith toto tempore viduitatis suæ *ieiunauit omnibus diebus præter sabbata & neomenias, & festa domus Israël*. An autem in illis sabbatis ac festis moderatione victus abiecta, in delitijs vixit? *At vidua in delicijs viuens, mortua est*, ait Apostolus. Hæc verò *erat in omnibus famosissima, quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum*. Sed quid erat veteribus ieiunare, vna Hester pro populo suo Regem interpellatura demonstrat. Sic enim scribit Mardocheo. *Congrega omnes Iudæos qui in Susis sunt, & orate pro me. Non comedatis & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo*. Triduanum ieiunium vocat toto triduo nec comedere nec bibere. An hîc de consueta victus ratione nihil mutatum est? Rursum quum Niniuitæ crediderunt in Deum, & prædicauerunt ieiunium, quale illud erat, paulo post explicatur. *Homines & iumenta & boues, & pecora non gustent quicquam*. Tale ieiuniū docet Scriptura diuinitus reuelata. Moderationem victus tenere, & de consueta illa vitæ ratione nihil mutare, philosophica quædam & moralis sobrietas est ab omnibus semper tenenda. Ieiunium pœnitentiæ pars est, in Dei cultum, animæque salutem ordinatum. Sed maluit in hac parte hæretici morales esse, si tamen tales, quàm iuxta morem populi & Christianæ religionis normam, veris ieiunijs operam dare. Quum tota vetus Ecclesia, diebus Dominicis, & toto tempore inter Pascha & Pentecosten ieiunia relaxarent, an diceret Calvinus, quod illis diebus in crapula & ebrietate in lautitijs ac delicijs viuerent? Sed de ieiunio Caluiniano, plura diximus in Dominica infra Octauam Natalis Dom. in editione quinta Promptuarij Catholici.

Ieiunia in
Scripturis cō
mēdata.

3. Reg. 21.

Iudith. 4.

1. Timoth. 5.

Hester 4.

Iona 3.

August. epi.
86. & 69. ca.
15.

Matth. 6.

2. Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

Ieiunium opus meritum.

In Cō. Harm. Euan. ad cap. 6. Matth. Christus Caluino improprie loquitur.

Caluini insulsa consequentia.

Psal. 18.

Psal. 49.

1. Cor. 15.

Ionn. 4.

Locus populum docendi ieiunium pie ac sincere ab- que hyprocriti susceptum virtutem esse Deo imprimis gratiam, nec laude tantum, sed & mercede dignum: denique non edomandi tantum corporis fructum habere, sed sua quoque apud Deum retributione copulari. Quem admodum enim de elemosynis & de precibus hoc eod. c. Christus dixit, fore, vt pater qui videt in abscondito, id est, qui reclam cuiusque videt intentionem, reddat illis, vtique mercedem iustam, sic de ieiunio eisdem verbis idem affirmat. Cauillatur tamē & inuertit hoc totū Caluinus his verbis. *Quod ieiunij mercedē à Deo promittit Christus, impropria locutio est, vt supra de precibus dictum est. Ieiunium enim per se opus medium est, non autem ex eorum genere, quæ Deus requirit, & probat, vt sunt elemosyna.* Hæc ille. Scilicet quæ in Scripturis Sanctis hæreticorum placitis repugnant, improprie dicuntur. Sed improprie hoc loco dici probare Caluinus vult, quia quum de precibus antea Christus idem dixerit, illud improprie dictum fuisse à se probatum existimat. Videamus ergo quam eo loco huius rei probationē attulerit. *Quum dicit Christus (ait Caluinus) mercedem rependi precibus nostris, satis declarat quicquid mercedis passim Scriptura nobis promittit, non tanquam debitum solum, sed gratuitum esse. Sed quare istud? Aut vnde sequitur, merces precibus promittitur, ergo quicquid alibi mercedis nomine Scriptura promittit, gratuitum est, non debitum? Quæ tandem est, & quàm insulsa consequentia? Esto: quum precibus merces promittitur, impropria sit locutio. An propterea in tota Scriptura aliis bonis operibus promissa merces improprie semper accipiēda erit? An quod semel improprie dicitur, semper improprie accipi oportet? Celi enarrant gloriam Dei, impropria locutio est: ergo improprie quoque & illud dicitur: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Rursum: *Caro & sanguis regnū Dei nō possidebūt,* impropria locutio est quoad carnē & sanguinē: & significantur illi qui secundum carnem & sanguinem viuunt. Ergo illæ voces nunquam proprie in Scriptura accipiuntur? Iterum, *cibus meus est, facere voluntatem Patris mei qui misit me.* Cibus hīc improprie accipitur: ergo in reliqua Scriptura proprie non accipitur? Hæc est insulsa cauillatoris Caluini consequentia, quæ sexcentis exemplis redargui potest.*

Deinde

Deinde negamus mercedem precibus promissam improprie promitti, quod dicere Caluino satis erat, quia probare non potuit. Tamen si enim preces quidem nostræ non impetrant per modum iustitiæ, sed per modum misericordiæ, id quod à Deo petimus, ideoque hac ratione non debitū, sed gratuitum est quod precibus nostris largitur Deus, vnde & absque iniustitia negat sæpe, quod etiam pie ac laudabiliter petitur (quæ vna consideratio exceptioni Caluiniannæ fauere potest) tamen pio & debito orandi modo (quæ CHRISTVS hīc docet) aliquid semper Deum retribuere manifestè hæc Christi verba affirmant. Quam autem passim Scriptura bonis iustorum operibus mercedem promittit, debiti & iustitiæ rationem habere Paulus perspicuè docet, dicens: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illo die iustus iudex.* Imò eam mercedem non reddere, iniustum esse idem Paulus docet. *Non enim (inquit) iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam estendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis.* Quod autem Caluinus mercedem ieiunio improprie promitti, ex eo probare contendit, quia ieiunium per se opus medium est, nec ex eorum genere, quæ Deus probat aut requirit, vt sunt elemosynæ, vanum ac falsum est. Quum Christus dixit de suis discipulis, *quando sponsus auferetur, tunc ieiunabunt,* nōne aperte docet ieiunium à se probari atque requiri, adeoque in genere iuberi? Est quidem ieiunium per se medium opus, nisi ad honestum aliquem finem referatur. Sed inter alios fines vnus hic est, vt in cultum Dei atque obsequium assumatur. Diserte enim testatur Scriptura Deum ieiunio coli. De Anna Prophetissa, quæ Christum paruulum in templo confitebatur, dicit Lucas. *Non discedebat de templo, ieiunij ac obsecrationibus seruiens Deo die ac nocte: vt imur verbo λατρεύουσα,* quod proprie significat cultū soli Deo debitum. Vide hac de re Dominica infra Octauam Natalis Domini, textu secundo,

3. Thesaurisate vobis thesauros in caelo.

Locus pro certa & ampla bonorum operum mercede in caelis reposita, & per opera pietatis acquirenda, contra hæreticorum hodie summam impietatem qui bo-

Merces precibus promissa, non est locutio impropria.

2. Tim. 4.

Hebr. 6.

Matth. 12.

Matth. 6.

Merces bonorum operum.

Hebr. 10.

norum operum merita in cælo conferri negant, qui sola fide salutem ac vitam æternam comparari dogmatifant, qui pietatis in Deum principium ac fundamentum tollunt. Principium enim religionis est, quod *accedentes ad Deum tenere oportet; ut credant, quia Deus est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Tam negat D E V M esse, quam qui negat remuneratorem esse. Posterius negant hæretici, quia præmia bonorum operum, quæ omnia immunda statuunt, à Deo retribui nolunt. Prius quoque eadem opera negant: quum Deo sua bonitas, qua iustis remunerat, tam intrinseca sit, quam ipsa essentia sua. Huc respiciens hoc loco Christus, & profusissimam in Deo remunerationem docere volens, iubet suos huius mundi thesauros ac diuitias negligere, nec ad mundi præmia suas actiones collimare, sed *thesauros sibi in cælo thesaurifare*, per eleemosynas, pias preces, ieiunia, de quibus disputauerat. Vocat futura in cælo (non in hac vita tantum) pietatis præmia: *thesauros*, propter vberissimam & effusissimam Dei largitionem & ipsam præmiorum magnitudinem. Iubet *thesaurifare*, quia nostra quoque industria, nostra cooperatione, diuinæ semper gratiæ auxilio adiuta, hic thesaurus comparatur. Non dicit, sperate, credite futuros thesauros, quanquam ad illos assequendos & sperare & credere oportet: sed dicit, *thesaurifate*, ut intelligamus præter fidem & spem actione & labore opus esse. Quemadmodum qui sceleratè viuunt, & Dei bonitate ac benignitate, qua eos ad pœnitentiam adducit, abutuntur, *secundum duritiam & impœnitens cor suum thesaurifant sibi iram in die iræ*, id est, impijs suis operibus accumulunt sibi grauissimas pœnas in die vindictæ diuinæ: sic qui pijs operibus operam dant, eos affirmat hoc loco Christus, *thesaurifare sibi thesauros in cælo*, id est, accumulare sibi ipsi ingentia virtutum præmia in die retributionis, *qua reddet unicuique Deus secundum opera sua.*

Rom. 2.

In Com. Harmon. Euang. ad Math. cap. 6.

Hic est proprius, germanus, & apertissimus verborum Christi sensus, quem totum penitus iuvertit Scripturæ Evangelicæ corruptor Calvinus. *Thesaurum*, inquit, suum in cælo reponere dicuntur, qui expediti huius mundi laqueis, curas suas & studia ad cælestis vitæ meditationem conferunt. Et paulo post: *Quia durum est, atque acerbum hominibus se proprijs facultatibus nudare* (apud Lucam enim dixerat: *Vendite que possidetis & date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non re-*

tera

terascunt, thesaurum non deficientem in cælis) leuandæ huius molestiæ causa, amplam & magnificam spem compensationis proponit: quod scilicet thesauros sibi in cælo reponat, qui in terra subueniunt fratrum egestati, iuxta illud Salomonis, Qui erogat pauperi, fœneratur Domino. Exponit thesaurifare in cælo, esse cælestis vitæ meditationem, & repositam in cælis mercedem vertit in cælestis vitæ meditationem: Cæterum thesauros in cælo, de quibus Christus loquitur, non esse presentis vitæ actionem, sed futuræ vitæ mercedem, Paulus clarissimè docet: quum enumeratis pijs pro pietate laboribus suis, *bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui*, subiungit. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Hic est thesaurus in cælo, quem Paulus sibi thesaurifauit. Deinde cælestis vitæ meditatio non est *thesaurus in cælo*, sed actio pietatis in terra: non est corona in cælo, sed labor in terra. Sic cælum in terram, mercedem in laborem transfert Calvinus. Rursum non tantum proponitur *ampla spes compensationis leuandæ molestiæ causa*, ut comminiscitur Calvinus, sed proponitur & promittitur certa fruitio amplissimæ mercedis propter ipsa pietatis opera, quæ hanc mercedem promerentur, quia per illa thesaurifatur hic thesaurus, comparatur hæc merces. *Thesaurifare*, *θησαυρίζω* est *εἰς τὸ ἀόριον πθεναί*: in crastinū recodere, sicut in loco Pauli ad Rom. 2. iam citato, *thesaurifant sibi iram*, notare potuit Beza: ideoque verbum *thesaurifare* in textu illo retinuit. Sed hoc in loco vbi vox eadem Græca est, nec Beza, nec Calvinus retinere voluerunt. Ille *congerite, iste reponite & recondite* conuertit, Agit ergo Christus de thesauro in futurum colligendo, non de meditatione vitæ cælestis aut spe ampla, ab actione virtutis & pietatis studio (de quibus hic nihil Calvinus) seiuncto. Sed & D. Lucæ verba sensum orthodoxum quem attulimus egregiè confirmat. Ait enim apud illum Christus, *non ad leuandam molestiam in faciendis eleemosynis vsque ad agrorum, si opus est, alienationem, ut fingit Calvinus, sed ad certam futuræ mercedis retributionem: facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælo.* Quod Matthæus Græcus dixit, *θησαυρίζετε*, hoc Lucas dixit, *ποιήσατε θησαυρον ἀνέκλειστον, facite thesaurum non deficientem.* Qui facit thesaurum, non meditatatur tantum vitam cælestem, nec tantum spem bonæ futuræ

Luc. 12.

Caluiniana corruptio explicatur. 2. Tim. 4.

Beza in Annotat. in c. 2. ad Rom.

Caluini alia corruptio. Luc. 12.

S. Scriptura
affectata cor-
ruptio per
hereticos.

1. Cor. 9.

1. Tim. 6.

Diuitiarum
bonus vsus
thesaurus.

Matth. 22.

Lm. 16.

Dom. 8 post
Pente.

compensationis apprehendit, sed ipsam futuram compen-
sationem opere acquirit, ipsam mercedem operando pro-
meretur. Hoc est enim *facere thesaurum*, operari mercedē,
idq; in cælo sempiternam, non in hac vita quantumcumq;
spiritualem, quæ semper deficere potest, dum adhuc in via
sumus. Urgenda est igitur proprietates verborum Christi,
contra hæreticorum corruptelam & deprauationem. Sanè
obseruatione dignum est, quando de impiorum iusta mer-
cede Scriptura loquebatur ad Roman. 2. loco iam citato,
verbi proprietatem retinere & explicare diligenter hære-
ticos. Sed quum eadem vox hoc loco ad bonorum ope-
rum mercedem afferendam ab Euangelista ponitur, nec
verbi proprietatem vlllo modo ab hæreticis explicari, nec i-
psam propriam verbū ab illis retineri. Est autem hic the-
saurus in cælo, *incorrupta, & immarcessibilis illa corona*, quam
nos in agone pietatis contendentes apprehendimus, vt
suos Corinthios docet Paulus: & suum Timotheum aper-
tius, idem inculcans clarius, quod hic breuius & obscurius
Saluator dixit. *Præcipe diuitibus huius seculi, bene agere, diui-
tes fieri in operibus bonis, facile tribuere*, id est non parcere pe-
cunijs, *communicare*, id est, alijs liberaliter impertire, qui-
bus abundant, *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futu-
rum*: id est, charitatis & elemosinæ merita multa conge-
rere, quæ futuræ gloriæ fundamentum bonum sunt. Vocat
elemosinas diuitum, fundamentum ipsis bonum, ad futu-
ram in cælo mercedem consequendam, quia bene funda-
tur illa spes & expectatio vitæ æternæ, quæ charitatis operi-
bus per Christi gratiâ factis, & ex Christi amore profectis
innititur. Sic iubet Christus electos propter misericordiæ

*opera possidere regnum. Sic monet diuites, vt faciant
sibi amicos ex mammona iniquitatis, qui cum ipsi
defecerint, introducant eos in æterna taber-*

*nacula; quæ verba alio in loco
tractauimus. Hoc est thesau-*

*rizare sibi thesau-
ros in cælo.*

* *

IN

In feria 5. post caput Ieiunij.

Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Matth. 8.

Locus afferendi hæc Centurionis verba à Christo sū-
mopere laudata, à peruersa admodum corruptela &
deprauatione Caluiniana. Caluinus, sicut omnes fere alij
hodie fidei Catholicæ desertores, partim vt verbi prædi-
cationem mirificè extollerent, vel quia in eo genere ho-
mines hæreticorum more loquaces & garruli plurimum
se præ cæteris valere posse confidebant, vel quia hac esca
proposita, per dulces sermones & benedictiones, pluri-
mos ad se attrahere & hæresis hamo irretitos tenere
sperabant; partim vt sacramentorum efficaciam ac
virtuti detrahendo, cultum omnem ecclesiæ externum in-
uerterent & innouarent; partim denique vt solam fidem
amplificarent, cui omnis alia eorum disputatio subseruit,
nouum & inauditum in Ecclesiam Christi paradoxon in-
troduserunt; in verbi Euangelici prædicatione omnem sa-
lutem nostram administrari, in prædicatione verbi remit-
ti peccata; denique, vt Lutherani quidem voluerunt, idem
tribuendum verbo prædicato quod Sacramento suscepto:
vt Caluinus autem voluit totum verbo, nihil Sacramento
nisi acceptæ iam prius in verbo iustitiæ obsequationem
quandam & confirmationem. Hanc insanam sententiam,
qua & Sacramenta deiiciuntur, & simplici annūciationi verbi
omnia tribuuntur, & penitentia imprimis ad remissionem
peccatorum obtinendam exploditur, vt ex varijs Scriptu-
ris iniquissimè deprauatis (quod suo tēpore in singulis Deo
fauente ostendemus) sic ex his verbis Centurionis à Chri-
sto magnopere laudatis stabilire conatur Caluinus. Sic
enim in hunc locum scribit: *Hoc præsertim nomine fidem Cen-
turionis commendat Christus, quod acquiescat in nudo verbo.
Quid fecisset vel vnus ex Apostolis? Veni Domine, vide & tange.
Hic neque aduentum corporalem, neque tactum desiderat, sed tã-
tum efficaciam credit inclusum in verbo, vt inde certam famuli sa-
lutem expectet. Hoc autem honoris non hominis, sed Dei verbo
asserit, qui Christum statuit non priuatim esse hominem, sed Pro-
phetam diuinitus missum. Placet hæc tota explicatio, vt quæ
fidem Centurionis iuxta rei veritatem elucidat. Sed nunc*

Verbi prædi-
catio cur &
quomodo
ab hæreticis
amplificata.

In Com. Har.
Euang. ad ca.
.8. Matth.

venenum aspergit suum. Atque hinc colligi potest generalis regula. Quamuis salutem nostram in carne Christi perfici Deus voluerit, & Sacramentis quotidie obsignet, eius tamen certitudinem ex verbo petendam esse. Nisi enim hæc verbo defertur autoritas, ut statuamus simul ac loquutus est Deus per ministros, remissa nobis esse peccata, nosq; restitutos esse in vitam, tota salutis fiducia concidit. Hæc ibi Calvinus. Si de verbo Sacramentali in Sacramento Absolutionis, in Baptismo, in Eucharistia ista dicerentur, vera & orthodoxa esset doctrina. Nā propter verbum Christi, Quorumcunque remisit is peccata, remittuntur eis, dicente ministro CHRISTI legitimo, Ego te absoluo, &c. statuendum est remissa nobis esse peccata: dicente baptisimi ministro, Ego te baptizo, statuendum est abluta esse peccata nostra: dicente sacerdote, Hoc est corpus meum, &c. statuendum est adesse corpus Christi: hæc verba euāgelica in Sacramentis prolata inania non sunt, sed vi ac virtute sua propter institutionem Christi efficacia & operatiua, vbi nec ex parte recipientis, nec ex parte ministri impedimentum vllum est. Calvinus autem de verbo prædicationis per ministros prolato loquitur, distinguens illud difertè à Sacramentis. Ait enim Sacramentis quidem salutem nostram obsignari, eius tamen certitudinem ex verbo petendum esse. Atqui ex fide Centurionis hanc generalem regulam de verbo prædicationis inferre non potest. Non enim verbum Christi prædicatum erat, quod credidit Centurio ut puer eius sanaretur, sed verbum promissionis erat. Sicut credidisti fiat tibi. In Sacramentis singulis includitur aliquo modo verbum promissionis, quo addixit Christus singulis effectum suum. In verbo prædicationis talis promissio nõ includitur. Rursum verbum Christi, cui credidit Centurio tanquam efficacissimo, non generavit in Centurione fidem, sed inuenit. Verbum prædicationis iuxta Calvinum generat fidem, ipsamq; peccatorum remissionem. Demum Centurio credidit verbum Christus esse efficax, non tanquam generaliter annuncians omnibus audientibus & credentibus salutem, sicuti prædicationis verbum efficax esse fingit Calvinus, sed tanquam in particulari efficax eius quod iussit aut voluit fieri. Dic, inquit, verbo & sanabitur: id est, iube tantum sanari puerum meum, & sanabitur. Hoc enim sensu Centurionem loquutum esse, ea quæ subiunxit Centurio manifestum faciunt. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens

Ioan. 20.

Verbum cui credidit Centurio quale.

sub

sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & seruo meo fac hoc, & facit. Nihil ergo commune aut affine habet verbum ministri prædicatum, cum verbo Christi quod credidit Centurio.

Sed & tota hæc Calvinus ac suorum speculatio, quod ex verbo prædicationis certitudo salutis petenda sit, prorsus vana & impia est. Verbi Evangelici prædicati proprium est annunciare voluntatem Dei, seu veritatem omnem docere, circa ea quæ aut credenda, aut facienda sunt: atque ita vel generat fidem primò auditum & creditum, vnde Apostolus, fides ex auditu, vel fidem antea generatam auget & confirmat: quo sensu Apostolus spem habuit crescentis fidei Corinthiorum. Sed utroque sensu verbum prædicatum comparatur semini, quod vel plantatur in primo sensu, vel rigatur in secundo, ut de se & de Apolline Paulus loquitur: semper tamen per modum seminis se habet (Semen est verbum Dei) & est materia fidei, non organum aut instrumentum. Ipsi quidem prædicatores verbi instrumenta sunt plantantes & rigantes: sed ipsum Dei verbum materia tantum & obiectum fidei est, & quatenus creditur, non quatenus prædicatur salutiferum est. Evangelium enim virtus Dei est ad salutem omni credenti: non omni audienti. Neque Spiritus Sanctus magis debet dici efficax per verbū prædicatum, quam Deus dici potest efficax per semen in terra seminatū. Deus enim facit omnia germinare primum verbo illo suo, in prima rerum creatione prolato ut principali agente, deinde per humidum & calidum quod sol & pluvia generat, quasi per media germinandi apta. Semen autem ipsum cuiuscunque plantæ est materia germinis & in potentia est fructus vel germen ipsum. Sic verbum Evangelij est materia salutis & in potentia salus humana, seu potenter salutiferum ex Dei gratia, quatenus creditum vna & prima causa salutis est.

Cæterum quia hæc fortè explicatio populari captu ita accommodata non est, ex ipsa praxi & doctrina Apostolica vanitatem hanc Calvinianam refutabimus. Petrus annunciaturus Iudæis verbum Evangelij & salutis, proponit eorum peccata, quod impiè Christum crucifixerunt. Docet veritatem, quod Dominum & Christum, id est Messiam fecit eum Deus hunc Iesum quem illi crucifixerunt. Mox verbū promissionis & gratiæ non tacuit, dicens. Omnis qui inuoca

Verbo prædicationis non generatur certitudo salutis.

Rom. 10.

2. Cor. 10.

Luc. 8.
1. Cor. 3.

Rom. 1.

Act. 2.

scri

uerit nomen Domini, saluus erit. Hac prædicatione facta, his au-
ditis compuncti corde dixerunt ad Petrum: *Quid faciemus viri*
fratres? Ecce totâ vim prædicationis, vt esset externum me-
dium mouendi & excitandi corda ad fidem, ad pœnitentiam,
ad salutem. verbum auditum & creditum (nisi enim credidissent,
compuncti non fuissent, sed blaphemassent potius, aut Petrum
irrisissent,) nullam illis attulit salutis certitudinẽ, vt Caluinus
vult, ac ne salutẽ adhuc vllã. sed salutis viã aperuit, & auidos
querẽde salutis fecit. Quare dicentibus illis, *Quid faciemus viri*
fratres, non respondit Petrus, Credite in verbo quod audistis,
& ex hoc verbo certitudinem salutis accipere statuentes vobis
iam credentibus in Christum pro vobis crucifixum remissa esse
peccata: quod sanẽ iuxta doctrinam Caluini & sectariorum re-
spondere Petrus debuit, sed alia præter fidem verbi prædica-
ti adiecit: *Pœnitentiã (inquit) agite, & baptizetur vnusquis-*
que vestrum in remissionem peccatorum. Apertissimẽ docet, si
remissionem peccatorum consequi volunt, non vt statuãt sibi
esse remissa peccata simul ac Petrum Dei ministrum loquentem
audiuissent, vt hic Caluinus admodum impie docet, sed vt pœnitentiã
agant & baptizentur. Baptizetur inquam non ad oblationem
salutis promissæ vel acceptæ (Caluini figmentum) sed ad ipsam
salutem accipiendã, ad remissionem peccatorum consequendam.
Sic postquã Philippus euangelizasset Eunucho, & postquã ille
toto corde credidisset verbo per Philippũ euangelizato, nõ sic
dimittit eũ Philippus iubẽs ex verbo quod credidit certitudinẽ
salutis petere, vt Caluinus loquitur, sed *baptizauit eum*, vt
credens & baptizatus saluus fieret, iuxta Christi verbum,
Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Paulus quoque
ipse per verbum è cœlo sonans ad fidem vocatus & credens
verbo ac dicẽs, *Domine quid me vis facerẽ* vt salutẽ consequeretur,
mittitur ad Ananiã, qui illi dixit. *Exurge & baptizare, & abluere*
peccata tua inuocato nomine Iesu. Si prius per auditam verbi
remissionẽ peccatorũ consequutus fuit, & hoc sibi certò statuerẽ
debebat, propter fidẽ verbo datam, falsum planẽ erat quod dixit
ei Ananias. *Abluere peccata tua &c.* Caluini igitur hoc loco
paradoxũ hæc sola praxis Apostolica tribus his exẽplis
illustrata, sanis sup̄: que mendacij & vanitatis conuincit.
Ex aliis argumentis facile conuinci posset: Sed hæc ad
populi captum accommodata Iustificare pro concione possunt.

Act. 8.

Act. 9. & 22.

IN

In feria 6. in capite Ieiunij.

Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecuentibus vos.

Matth. 5.

Locus hæreticam hoc loco corruptelam duplicem explicandi, simulque populum fidelem de vero & orthodoxo verborum Christi sensu quoad proximi dilectionẽ salubriter informandi. Vna corruptela est, Christum toto hoc Matth. cap. 5. nulla noua præcepta ferre, neque legem veterem corrigere, sed aliquas tantummodo eius interpretationes adferre. Nolunt enim hæretici hodie Christum legislatorem vllõ modo agnoscere, ne doctrina Evangelica Christi propria, (quam doctrinam esse volunt de sola gratuita per Christum peccatorum remissione, & iustitiæ quæ in Christo erat gratuita imputatione,) circa mandatorum obseruationem tanquam ad salutem necessariam, aliqua ex parte versari videatur. Quare superbus Caluinus in huius capituli explicatione, sine fronte affirmat, *deceptos esse multos veterum Patrum* (sanẽ vt eos post tot demum secula Caluinus suæ ferulæ subditos erudiret) *qui putarunt has Christi voces, aliquoties repetitas, Audistis quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis: esse legis correctionem, ac Christũ suos discipulos in altiore perfectionis gradum extollere, quam potuerit Moyses populum suum. Moxque multis verbis garrir, legem in se perfectam fuisse nullosq; legis defectus hic à Christo corrigi.* Postremò concludit *non esse fingendum Christum nouum legislatorem, qui ad æternam Patris sui iustitiam aliquid adiut, sed tanquam fidum interpretem audiendum esse.*

In Com. in
Harm. Euang.
in ca. 5. Mat.

Christus vere
Legislator.

Cæterum Christum verẽ legislatorem fuisse, & ad æternam Patris sui iustitiam aliqua mandata addidisse, vt veteres Patres ipso agnoscente & contemne Caluino docuerunt, tum forma loquendi qua Christus hic vsus est, tum aliæ Scripturæ manifestẽ docent. Ad prius quod attinet, forma loquendi qua Christus vsus fuit, *Ego autem dico vobis,* qua nemo antea in Scripturis vsus fuit, sed tum Moyses tum alij omnes Prophete quum Dei mandata promulgãt,

aunt,

Caluinus se-
ipsum refu-
tat.

aiunt, *Hac dicit Dominus*: ita perspicue præcipiendi auctoritatem sonant, vt ipsemet Caluinus suorū mendaciorum immemor, quum ad reliqua huius capituli membra: *Audistis quia dictum est antiquis, non occides, non machaberis, non peierabis, & ad singula illa subiiciente Christo. Ego autem dico vobis, negauerit Christum aliquid præcipere aut mandare, sicuti iam ex eo commemorauimus, ad hæc tandem huius euangelij verba, Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, &c. Ego autem dico vobis &c. contrarium prorsus vrgeat hit verbis. Dicendi verbum quod denunciare vel præcipere hoc loco significat, perperam pro consulere exponitur. Cur hoc demum loco sensum contrarium amplexus fuerit, mox apparebit. Nunc id tantum obseruo Caluinum, quum illi commodum videbatur, aduertere potuisse, formam illam verborum Christi, *Ego dico vobis* vim præcepti habere, & dicendi verbum denūciare, seu præcipere, significare. Christum autem per modum præcipientis non hoc loco tantum, vbi de dilectione proximi agitur, sed toto hoc cap. 5. toties repetiisse. *Ego autem dico vobis, &c.* conclusio totius sermonis Christi, qua vitur Euangelista, perspicuum facit. Ait enim.*

Cap. 7.

*Cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turba super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scriba & Pharisei. Illud, potestatem habens, ἐξουσίαν ἔχων, vertit Beza, auctoritatem habens, & exponit eam talem esse quæ conueniat ἀποστολῆσι, id est, illi cui merum est imperium: & addit. Talem se hic præstitit Christus in doctrina celesti promulganda, se plane Deum ostendens, à quo lex ipsa esset perlata, quæ pro suo iure, de vita & morte differeret. Hæc ille, magistri sui Caluini ignorantiam corrigens, & suam præcedentem expositionem, mendacij arguens. Ad illa enim verba, *Ego dico vobis*, in eodem luto hærens cum Caluino, Christum legislatorem esse pernegat; quum tamen in fine 7. capituli ad verba iam citata obseruet pro eo quod Prophetæ dicunt, *Hac dicit Dominus*; Christum dicere solere, *Amen amen dico vobis*. Atqui cur non eandem vim habent, *Ego autem dico vobis*? deinde quod addit Euangelista Christum docuisse, *non sicut Scribas & Phariseos*, manifestè docet Christum non vt legis interpretem, sed vt legislatorem ac Dominum docuisse. Scribæ. n. interpretes erant legis Moysæ, quæ per sabbata in Synagogis legebatur: vt latè docet Epiphanius. Et vocantur Hebraicè Sopharim quasi litterati à verbo Sepher, Græcè *παύλας*, & in Euange-*

Her. 15.

1. Paral. 23.

110

lio legis Doctores & legisperiti. Christus ergo quum non sicut Scribæ & Pharisei (quos etiam interpretes legis à verbo *Pharissim* vocari putat Caluinus, etsi erranter, quia potius à verbo *Phares*, quod separationem significat ita dicti sunt) doceret, profectò non vt interpres tantum legis, sed vt legislator ac Dominus docuit.

Verum quidem est, quod legem in quibusdam interpretatur in hoc cap. 5. Matth. Christus: Sed tū hanc ipsam interpretationem tanquam legislator promulgat, (est enim legislatoris non tantum leges ferre, sed etiam eas interpretari) tum in quibusdam etiam corrigit legem veterem; vt de non dimittenda vxore nisi fornicationis causa, quum in ea liceret quauis ex causa dimittere dato libello repudij: item de non ducenda altera vxore, superstitite repudiata etiam quacunque ex causa, quam illic alteram statim superinducere, ipsiq; repudiatæ alteri nubere permetteretur. Rursum de non iurando omnino, quum illic iuramenta per quilibet creaturas non obligare legis interpretes docerent, & id solum vrgerent, vt iuramenta Deo promissa præstarentur. Deinde de diligendo inimicos, quum illi legem dilectionis proximi de solo affine aut cognato intelligerent. Quædam porrò veteris legis mandata ipse similiter mandat & iubet. Quale illud est; *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut ego dilexi vos*. Et iterum sua mandata sic vrget, vt dicat, *vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Postremò Apostolicæ legationis hæc summa erat: *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunque mandauimus vobis*. Quare hanc insanam Caluini arrogantiam negantis contra veterum hoc loco doctrinam Christum esse legislatorem, Concilium Tridentinum iusto anathemate percussit. Alias huius rei probationes qui videre volet, legat Andreã Vegam de Iustificatione. Atque hæc de priori hoc loco Caluini corruptela hætenus.

Altera huius loci corruptela, & ad populi instructionem magis necessaria est circa præceptum de diligendis inimicis. Nam contra Scholasticam hoc loco doctrinam de dilectione inimicorum inflatis buccis inuehitur Caluinus. Est quippe communis Scholasticorum sententia, & imprimis D. Thomæ Scholasticorum facile Principis, dilectione inimici in generali quidè esse de necessitate charitatis, & in præcepto, id est, vt in generali dilectione proximi inimicus

Matth. 23.

Christus
quomodo
legis inter-
pres.

Christus in
quibus veterem
legem
corrigit.

1.

2.

3.

4.

Ioan. 13.

Ioan. 15.

Matth. vlt.

Sess. 5. Can.

21.

Lib. II. cap. 7.

D. Tho. 2. 2. q.

25. art. 8. &

9.

NON

Dilectio in-
mici quomodo intelligenda.

non excludatur: sed habeatur pro proximo non secus atque amicus aut sanguine cōiunctus. In quo Iudæi turpiter errabāt, existimantes proximi nomine non designari, nisi amicum, aut affinem, aut contribulem; eò quod vox Hebraica *רֵעַ* vel *רֵעָא*, quæ ponitur pro proximo, propriè significat amicum, aut aliquo necessitudinis vinculo cōiunctum. Vbi non aduertebant ipsum inimicum, saltem naturæ interdum etiam eiusdem fidei ac religionis vinculo esse coniunctum. Quem illorum errorem Christus hinc corrigere vult, docens præceptum dilectionis etiã ad inimicum se extendere. Sic sensum Christi & intentum optimè tenuerūt Scholastici, iuxta receptissimam in Ecclesia Catholica doctrinã. Docent nilominus iidem Scholastici, vt rudium & infirmorum conscientia melius informetur, dilectionem inimicorum in speciali, id est, vt externa dilectionis signa, ipsosque effectus quauis data occasione proferas, non esse de præcepto, sed de consilio. Necessitate tamen aliqua urgente, in præparatione quoque animi necessariũ esse, vt externos dilectionis fructus exhibeas. Denique quod interna dilectio inimici talis & tam affectuosa esse dedit, vt semper paratus sis in aliqua necessitate etiam inimico subuenire, & de facto subuenias, quando facultas datur. Quia ergo aliquam dilectionis inimici partem in consilio ponunt Scholastici, nõ in præcepto; insurgit hinc vehementer Calvinus, & dicit: *Monachi & similes rabule* (hæc est modestia Calviniana) *sincerunt hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, eò quod hominum viribus metuebantur quid Deo & legi ipsius debeant.* Hæc ille. Nempe vult homo impius Deum præcipere nobis impossibilia, vt quum Dei mandata ostenderit esse impossibilia, ab illorũ obseruatione securus viuat. Atqui sic procul dubio intelligenda sunt Dei mandata, quatenus à nobis præstari possunt, nec vel ridiculum legillatorem, vel crudelem Dominum ac tyrannum Deum esse fingamus.

In Harm. ad
cap. 5. Matth:

Caluini impietas.

Calvinus seipsum refutat.

Disputat tamen contra Scholasticorum sententiam Calvinus, in quo audiendus est. *Quam de consilijs* (inquit) *præposterum sit insulsũq; commentum, primò inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur suasisse ipsum discipulis, non pro imperio mandasse quod rectum erat.* Responde nullam esse Dei aut Christi iniuriam quædam suadere, quæ recta sunt, & non mandare. fatetur alibi Calvinus, in lege nusquam præcipi, vt omnia vendamus ac demus pauperibus. Tamen vel Chri-

stus hoc suadet Matthæi 19. vel si aliquid mandat, quod in lege non est, ergo nouus & verus legislator Christus est, quod modò pertinacissimè negauit Calvinus. Quod etiam si ita est, sub præcepto tenentur omnes sua vendere & dare pauperibus. Disputat quidem illo loco Calvinus, saltem *finem legis esse, vt homines ad sui abnegationem deducat.* Ideoq; Christum hoc illi iuueni dixisse, vt animi eius morbum, videl. amorem diuitiarum tangeret: sicq; ostenderet eum reuera legem non implese. Sed vt concedamus contemptum diuitiarum etiam in lege præcipi, quatenus eo lex hominem deducit, an tamen finis & intentio legis est, vt quicunque amant diuitias, omnia sua bona vendant, dentq; pauperibus? Nihil hoc absurdius, quum ad amorem diuitiarum extinguendum, tamen earum abdicatio esset necessaria (quod generaliter verum esse nisi temere affirmari non potest) non tamen aut venditio aut distributio in pauperes, vel ipso iudice Caluino, necessaria esse cogitari potest. Quum alia viæ ac modi honestissimi sint eas à se abdicandi, vt vel in Dei cultum, vel in Reip. commodum aut subsidium.

Pergit Calvinus. *Deinde plusquam insulsum est libera facere charitatis officia, quæ ex lege pendent.* Primùm si insulsum est libera facere charitatis officia, quæ ex lege pendent, quàm insulsa planèque impia est alia Caluini doctrina, quæ libera facit omnia charitatis officia, non solùm quæ ex lege pendent, sed quæcunque lex iubet? Legis enim præcepta neminem in Christo renatum obligare, nec ad salutem esse necessaria, sed esse operas eucharisticas & gratuitas perpetua Caluini doctrina est. Idq; adeo, vt cum legis moralis tres vsus accuratè doceat, quorum tertium fidelibus esse proprium vult, totum illum tertium vsus in eo ponit, vt *vel doceat quid sit faciendum, ac dirigat intellectum, vel etiam exhortetur ad faciendum.* De præceptorum obligatione nec verbum facit. Sic libera & gratuita facit omnia charitatis officia, non solùm quæ ex lege pendent, sed etiam quæ lex disertissimè mandat. Est ergo plusquam insulsus Calvinus, ipso iudice Caluino. Deinde hoc charitatis officium, quo inimico extra casum necessitatis benefacio, ex lege pendere negamus. Sumit sibi hoc Calvinus, & præcipium petit: de eo enim ipso nunc inquiritur. Addit adhuc Calvinus. *Dicendi verbum quod denuntiare vel præcipere hoc loco significat, perperam pro consulere exponitur.* Primùm si ver-

In Harm. ad
cap. 1. Luc. ad
cap. 22. Matt.
& alibi sæpe.
Instit. lib. 2. c.
7. num. 12. &
seq.

Calvinus
seipsum re-
futat.

bum dicendi præcipere hoc loco significat, ergo Christus hinc præcepta dat, & legislator est, seq; ipsum mendax magister, sed mendaciorum suorum parum memor, refutat. In hoc enim idem caput Matth. 5. illud fortiter negavit, ut supra accepimus. Deinde ponit hinc quidem præcepta Christi, sed simul cum consiliis. Præcepit quippe diligere inimicum, & habere pro proximo. Quæ autem de officiis charitatis specialibus in particulari subiungit, *Benefacite vobis qui vos oderant, &c.* in necessitate laborantis inimici, præcepta sunt, & cum qui benefacere potest, obligant, extra necessitatem consilia sunt, & perfectionis officia, quod Christi hoc loco conclusio manifestum facit. *Estote ergo & vos perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est.*

Dicit postremo Calvinus: *Disertè sanciri quod necessario præstandum est, nullo negotio ex Christi verbis probatur, dum addit. Ut sitis filij Patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Quum disertè pronunciet non aliter quenquam fore Dei filium, nisi qui ocores suos diligit, quis iam dicere audeat nulla huius doctrinæ necessitate nos obstringi? Perinde enim est, ac si dixisset. Quisquis censeri volet Christianus, inimicos diligit. Ad rem respondeo, planè necessarium esse, ut diligantur inimici, si filij Dei esse volumus, sed eo modo, quo iam explicatum est: contra quem diligendi modum nihil hoc argumentum facit: atque ita cõtra Scholasticos orthodoxos nihil adhuc Calvinus conclusit.*

Sed nunc hæc Caluini disputatio quàm præclarè contra ipsum militet, ipsiusq; iugulū recta perat, dispiciemus. Si dilectio inimicorū necessaria est ut filij Dei simus, quod hinc Calvinus fatetur, & perurgeret: ergo sola fides non sufficit, ut filij Dei simus, ut alia perpetua Caluini doctrina habet. Prævidit facile hanc suā cõtra dilectionē Calvinus, & ut ei occurrat, subiungit. *Neque tamen intelligas fieri nos beneficentia nostra Dei filios, sed quia Spiritus Dei, qui gratuita nostra adoptionis testis est, arrha, & sigillum, prauos carnis affectus charitati repugnantes, corrigit, ab effectu probat Christus non alios esse Dei filios, nisi qui ipsum mansuetudine & clementia referunt.* Hæc ille. Sed verò Christi verba lōgè amplius vrgent. Ait enim Christus. *Ut sitis filij Dei, & pater vester vobis. vbi verbum & pater, idem valere quod & pater Beza notauit.* Docet ergo hoc modo fieri & esse filios Dei, nō hoc modo innotescere tales. Sanè dilectionē proximi non notā aut effectu, sed causam salutis esse disertè D. Ioannes docuit. *Qui nō diligit,*

manet

In Annot. no-
ni testam. in
hunc locum.

1. Ioan. 4.

manet in morte. A contrario igitur sensu, ut non diligere est causa mortis; sic diligere est vna causa vitæ. Porro Spiritus S. qui corrigit prauos affectus carnis charitati repugnantes, id est, qui facit nos diligere ipsos inimicos, *diffusa charitate in cordibus nostris*, quatenus hoc facit, nō testis, sed causa & effector est ipsius charitatis in nobis. Nec aliter arrha aut sigillū gratiæ adoptionis nostræ est Spiritus S. quā per ipsa opera charitatis, quæ in nobis operatur, ut alibi cõtra Caluinū explicatū dedimus. Ipsa etiā opera & fructus Spiritus S. nō hinc solum vsum aut effectu habent, ut testimonia ac notæ sint inhabitatis Spiritus S. & quod sumus filij Dei, sed alios præterea effectus habēt, ut *glorificent Patrē nostrum qui in cælis est, ut proximum adificent, ut Deo itē placeant in odorem suauitatis, ac demum, ut certā nostrā vocationē atq; electionem faciant, ac mereantur coronā iustitiæ, ut Scripturæ docēt.* Deinde & cõtra fidē, cui omnia Calvinus tribuit, nō nne eodem modo cauillari licet, quoties Scriptura fidē prædicat necessariā? Sicut enim Spiritus S. prauos carnis affectus charitati repugnantes corrigit, ut diligamus etiam inimicos ipsos, sic idē Spiritus S. omnē errorē & duritiā intellectus fidei repugnantes sua luce dispellit, ut credamus etiā ea quæ alioquin incredibilia vidētur. Dicemus ergo cū Caluino quoties Scriptura dicit nos *iustificari ex fide, fieri filios Dei, & habere vitā aternā eos qui receperunt Christū, & credunt in nomine eius, nō esse intelligēdū fieri nos filios Dei per fidē, nec saluari aut iustificari ex fide, sed ab effectu probare CHRISTVM* nō alios esse Dei filios, nec alios saluari aut iustificari, nisi qui credūt: ut sic nec fides sit ad salutē simpliciter necessaria, sed nota tantū ac testimoniū filiorum Dei, sicuti bona charitatis opera, nō esse ad salutē necessaria, sed notā tantū ac testimoniū filiorum Dei esse Calvinus cū suis affirmat. Ita suā doctrinā nō minus infulsè tuetur Calvinus, quā Scholasticorū doctrinā improbè calumniatur, dū ita concludit. *Horribile sanè portentū, quod mundus tam densis tenebris per tria vel quatuor secula obrutus fuerit, ut non videret disertè iuberi quod quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expūgitur.* Hæc ille. Videat hoc loco, & obseruet vel indifferens quisque Lector. Ut falsò calumniecur Calvinus, & Scholasticorum doctrinam acerbissimè perstringat, imò Christianum orbem à 400. annis crassæ ignorantie condemnet, aggrauat præcepti vim de diligendis inimicis, & necessitatē salutis in eo retinendo. Ut autem suam impiā doctrinam

Dilectio
causa salu-
tis.

Rom. 5.

De Iust. lib.
8. cap. 25.

Matth. 6.

Rom. 15.

Ephes. 5.

2. Petr. 1.

2. Cor. 4.

Fides iustifi-
cans Calui-
ni argumen-
to refellitur.

Rom. 3.

Ioan. 1. & 3.

Calvinus
seipsum re-
futur.

Marc. 14.
Hebr. 11.
Ioan. 3.

de sola fide tueatur, eandem dilectionem simplex facit te-
stimonium salutis & notam, vt in præcedentibus ostensum
est. Obseruet iterum hoc loco lector, Calvinum denuò se-
cum pugnare. Nunc enim dilectionem inimicorum neces-
sariam esse salutis causam eius verba affirmant, etsi animus
ac reliqua doctrina repugnet. *Quis enim negare potest
necessariam salutis causam esse? quam quisquis negligit, ex nu-
mero filiorum Dei expungitur, vt ipsemet Calvinus loquitur.*
Sanè hoc loquendi in Scripturis modo, fidem necessariam
esse salutis causam ex Scripturis conuincimus. *Qui non cre-
diderit, condemnabitur. Sine fide impossibile est placere Deo. Qui
non credit, iam iudicatus est: & multa huiusmodi.* Sed præter
uus Calvinus ad orthodoxam doctrinam impugnandam
attentus & feròx, sic impotenter in illam partem fertur,
vt suis se placitis pugnantia dicere, & apertum hosti latus
ab altera parte relinquere non aduertat.

Sabbato in capite Ieiunij.

I Domine si tu es, iube me venire ad te.

Matth. 14.



Ametsi hæc verba in huius diei Euangelio
(quod ex Marc. ca. 6. desumitur) non legantur,
tamen quia illustre Petri factum concernunt, in
eadem illa Christi super aquas apparitione &
discipulorum in mari iactatione gestū, quod Diuus Marc.
more suo (vt notat Chrylost.) ideo prætermittit, qui ad sin-
gularem D. Petri commendationem & auctoritatem ma-
gnopere faciebat, sicuti cætera omnia studio tacet, quæ de
D. Petri prærogatiua S. Matth. c. 16. & 17. & D. Ioan. c. 21.
narrant, non *permittente modestia causa ipsa Petro, qui Marci
Euæge. vidit, & suo calculo approbavit, vt & alia per eum scribe-
rentur: & quia in nullo alio Euangelio, quod vel in Domi-
nicis, vel in festis per annum (nisi in Octaua D. Petri, quæ
publicè festa non est) vel in feriis hisce Quadragesimali-
bus hæc historiæ Euangelicæ pars legitur, ac demum, quia
totum hoc D. Petri factum impius Calvinus suggillat, &
historiam hanc Euangelicam nefariè corrumpit, his tri-
bus de causis:*

Locus opportunus erit singularem D. Petri præ cæteris
fidem, simulq; mysterium hoc facto velatum, ac nefariam
Caluini corruptionem populo Catholico aperiendi. Sanè
quum Petri fidem hoc loco omnes interpretes orthodoxi,

& vete

& veteres Patres vehemèter admirentur ac laudent ipsaq;
res gesta & Christi approbatio idem proclamant quod is
videl. solus cæteris omnibus aliis Apostolis ac discipulis
præ timore attonitis, adeoq; exclamantibus, Christum al-
loqui, ab eo facultatè tam inusitati & periculosi operis ex-
petere, & de facto super aquas ad tempus ambulare ausus
fuerit, quum præterea singularem ex hoc facto Petri præro-
gatiuam supra cæteros Apostolos, quod is omnium solus
super aquas ambulauerit, & ambulans ad Christum peruene-
rit, doctissimi idem Patres obseruent, S. Chryst. quidem & D.
Ambr. quod Moyfi quidem aquæ cesserint, & Eliæ & Eli-
sæo; Petrus verò ipsas aquas calcauerit, vt ipsis quidè impe-
dimenta cesserint, & sublata fuerint, Petrus verò impedi-
menta & difficultates calcauerit ac superauerit: Bernar. au-
tem quod Petrus super aquas ambulans, non vni populo
quasi vni nauigio, sed cunctis populis præesse deberet,
quia aquæ multæ, populi multi, vnus Calvinus, qui cum
aliis hodie hæreticis omnia Petri præclara facta & di-
cta vel traducere, vel extenuare conatur, neglecta historiæ
Euangelicæ veritate, detorta in aliū sensum Christi appro-
batione, contempto veterū Patrum sensu ac iudicio, incre-
dulitatè pro fide, temeritatè pro fortitudine D. Petro im-
pingit. Incredulitatis Petrum arguit, quia postquã Christus
dixerat, *Ego sum*, vel, vt Marcus plenius narrat, *Confidite, ego
sum, nolite timere.* Petrus tamè (ait Calvinus) *dubius & per-
plexus dicat, Domine si tu es.* Atqui hanc Petri vocè nō dubi-
tantis fuisse, sed maximè credentis & cōfidentis, illud à Pe-
tro subiunctum: *Iube me ad te venire super aquas*, manifestè
ostendit. Nec enim aut Petrus si vel minimū dubitasset Chri-
stum esse qui loquebatur, ad eius vocè aquis se cōmittere
voluisset, aut fortius fidei suæ argumentum dare facilè po-
tuit, quàm iubente Christo, aquis se cōmittere, vt super eas
ambulet. Nec vllus opinor hodie hæreticus, qui solā fidem
semper venditat, à Christo iussus hoc facere, idè tētare vel-
let. Quare illud: *Si tu es*, significat, *Quia tu es*, & affirmātis,
non dubitantis vox est, vt sæpè alibi in Scripturis. *Si ita est
causa hominis, id est, quia sic se res habet in matrimonio, vt
dicis: si tamen iustum est, vt Deus retribuat, &c.* id est, quia iu-
stū est. *si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuo-
rum, id est, quia vel quod passibilis erat Christus, &c.* Dein-
de si verba illa, *Si tu es*, propriè & cōditionaliter accipiātur,
nō tamen dubitantis animū, sed maioris habēdę certitudi-

Hom. 57. in
Matth.
Exod. 14.
4. Reg. 2.
Ambr. serm.
47.
Bern. lib. 2.
de consider.
ad Eugenij.

Caluini ar-
rogantia &
ineptia.

Marc. 6.
In com. Har.
Euangel. ad
Matth. c. 14.

Incredulita-
tis Petrus
falsò accu-
satur.

Matth. 19.
2. Thess. 1.
Act. 26.

Luc. I. In com.
Har. Evang.
in Luc. cap. I.

Calvinus ex
suis verbis
refutatur.

Petrus incō-
siderati ardo-
ris falsò ac-
cusatur.

Cauillatio
Caluini
quàm absur-
da.

nis effectum demōstrant. Quale illud est Beatissime Virgi.
*Quomodo mihi fiet istud? Ad quę verba ipse Calvinus, ita scri-
bit. Sciēdum est nō ita dubitare vel sciscitari Virginem vt sensibus
suis Dei potentiam vel subiicere, vel æquare velit: tantum subita
admiratione percussa ad mouendam hanc questionē rapitur. Hęc
ille. Eodem in Petri verbis candore vt oportuit. Videns
enim tam inusitatū spectaculum, Christū super aquas am-
bulare, dicendo, Si tu es, non ita dubitauit, vt sensibus suis
Dei potentiam, qua homo super aquas ambularet, vel sub-
iiceret, vel æquaret: tantum subita illa admiratione per-
cussus (erant enim omnes in nauī turbati, & præ timore cla-
mauerunt, existimantes phantasma esse) ad experimētum istud
presentię Christi rapitur: vt cęteris sanē fortior ac firmior
nō fide: non vt præ aliis magis dubitans. Quare falsò iterū
subiunxit Calvinus. In fide tam exigua & debili erumpit pa-
rum cōsiderati voti ardor: Iube me venire super aquas. Christus
enim hoc non vt incōsiderati voti ardorem reprehēdit,
sed vt præstātissimę fidei præclarum testimonium appro-
bavit, iubens eum ad venire super aquas: quod & de facto
Petrus præstitit, ambulans super aquas, vt ad Christum ve-
nirer. Cæterum ad hanc tam luculentam Christi approba-
tionem vide quid cauilletur Calvin. Deus plerumq; nobis
melius prospicit negando quod petimus, aliquando autem nobis
est facilis, vt ipsa experientia stultitię nostrę nos melius conuin-
cat. Hęc ille vt doceat ideo Christum voto Petri faciliē an-
nuisse, vt ipsa postea experientia stultitię suę Petrum cō-
uinceret: nempe quia paulo post submergi cœpit. Sed pri-
mūm aduerte hoc cauillandi modo omnia piorum vota,
quibus Deum annuisse in Scripturis legimus, temeritatis
quoq; dānari posse: nempe si cum Caluino dicamus, Deum
faciliē illis annuisse, vt ipsa experientia stultitię suę eos conuin-
cat. Cęterum tenendum est Deum tamen electorum suo-
rum piis ac laudabilibus votis non semper annuat, (quod
consilij sui secretum est, qui infinitē melius nouit, quid
nobis, & quando, & quomodo expediat, quàm nos ipsi)
stultis tamen & ineptis votis nullo modo annuere. Illud
enim esset stulta vota approbare. Vnde etiam sequitur hęc
ambulationem Petri super aquas, quam Christus primo
verbo concessit & quę per se non nisi curiosa & inutilis
actio videtur aliquid mysticum: & in ipso Petro singulare
denotare debuisse, prout Patres supra notati obseruarunt.
Neque verò Petri postea periculum quando submergi*

cœ

cœpit, prioris voti incōsiderantiam, aut prioris fidei im-
becillitatem arguit, sed propter nouam, ingentem ac vehe-
mentem tentationem, nouam fidei defectionem atque im-
minutionem demonstrabat. Videns enim ventum validum
(ait textus) *timuit*: id est, à priori sua confidentia defecit. &
sic mergi cœpit. Quare Christus eum *modicę fidei* appellat.
Modicę videl. respectu prioris, quę multò maior erat:
quando nec vndas, nec ventos, nec præsentem tempesta-
tem formidauit, ambulans super aquas. Tentatiō quippe
fidem probat, an constans & firma permanere velit. Nec
qui tentationi succumbit, nullam propterea aut modicam
semper fidem prius habuisse conuincitur: sed in fide non
permansisse plerunque ostenditur. Alioqui tot iustorum,
& qui per fidem operati sunt iustitiam, peccata in Scriptu-
ris non legeremus. Cæterum totam hanc nouam procel-
lam nouamque tentationem, propter quam timuit Petrus,
dissimulat prorsus impius Calvinus, vt hunc Petri timo-
rem & periculum subsequens ex priore incredulitate & ti-
more ortum accepisse persuadeat. Ait enim, quod *temeri-
tatis suę pœnas dare hic Petrus incepit. Dicit dubitationem eius
fuisse directē fidei contrariam vanum eius peruersumq; timorem
vocat.* Sic totam hanc historiam Euangelicam, ne aliqua
singularis fidei commendatio in Petro appareret, homo
impius corrumpit atque peruertit. Quod tamen ad singu-
larem eius commendationem Matth. scripsit, Marcus mo-
destiæ causa prætermisit, doctissimi Patres vt magna
circa Petri prærogatiuas mysterium annotarunt: quę om-
nia supra accepimus.

2. *Deprecabantur eum, vt vel simbriam vestimen-
ti eius tangerent: & quotquot tangebant
eum, salui fiebant.*

Locus insignē hereticorum hodie pertinaciam expo-
nendi, & doctrinam præterea impiam, qua reliquias
Sanctorum nulla veneratione dignas esse dogmatifant,
perspicuē refutandi. In huius enim loci tractatione, tum il-
le prophanus error refellitur, tum eorum pertinacia ma-
nifestę veritati reluctantiū ostēditur. Sanē vni Caluino hęc
historia Euāgelica ita vehemēter displicuit, vt quantū ex-

Historiam
Euangelicā
corrumpit
Calvinus.

Marc. 6.
Matth. 14.

commentario, quem adfert, conicere licet, si Matthæi aut Marci loco fuisset, eam penitus dispunxisset, alioque silentio inuoluisset. Sic enim ad hæc verba in Harmon. sua E-nâgelica scribit. *Credibile est superstitione aliqua fuisse implicitos, quum ad tactum vestis restringerent Christi gratiam: saltem illum fraudabant honoris sui parte, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo. Sed ne linum fumigans extinguat, sese accommodat eorum ruditati.* Hæc ille pessimo suo fermento totam historiam huius Euangelicæ massam corrumpens D. Matth. qui paulo plenius hanc eandem historiam scribit, volens ex proposito ostendere, quanta iam esset Christi Redemptoris nostri existimatio & fama, quantaque populi illius loci circa lacum Genesareth, vbi plurimū versabatur, fides & deuotio erga Christum, sic de illis scribit: *Et cum cognouissent viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel simbriam vestimenti eius tangerent: &c.* Quid? An impius Calvinus hoc quoque superstitioni deputabit, quod mittentes in vniuersam regionem obtulerunt Christo omnes malè habentes? An de istis quoque dicet, quod simplici eius verbo absentes contenti nō essent, ideo illum parte honoris sui fraudarunt? At D. Petrus hoc in singularem Christi commendationem commemorauit, prædicans fidem Centurioni & eius familiæ gentium primitiis, quod pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Quod si verò prior narrationis pars factum commemorat superstitione carens, quomodo posterior pars factum narrabit superstitione plenum?

Deinde, an solet Christus aliorū ruditati sic se accommodare, vt facta superstiosa non solum toleret, sed etiā miraculis beneficis honoret? An vel in vilo magistro tolerandum hoc esset, vt factum superstiosum beneficio commendaret? An Christus, qui omnem in Pharisei superstitionem acerrimè semper taxauit, eandem in populo non solum dissimularet, sed & diuinis beneficijs cohonestaret? Dubitari absque impietate non potest, Christum Redemptorem non nisi virtutem supplicantium, maximè fidem ipsam in omnibus suis miraculis ac beneficijs remunerasse. Quod in genere valde illustre est, quod rogatus à quodam de turba, *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem*, quia petitio illa nō fidem aut pietatem vllam, sed auaritiam redolebat penitus recusauit, dicens: *Homo*

quis

Calvinus Euangelio contrarius.

Populus cui Christus benefecit superstiosus nō erat.

Act. 10.

Christi honor contra Caluinum defenditur.

Luc. 12.

quis me constituit iudicē aut diuisorē super vos? moxq; ad illos Videte & caute ab omni auaritia, &c. Non secus Christo odio est superstitio, quàm auaritia, maximè veritatis magistro, qui omnem imprimis superstitionem eliminare debet. Qui ergo horum duorum auaritiæ accommodare se noluit, quomodo tam multi populi superstitioni accommodare se voluisse existimabitur? An moralis tantum magister erat Christus, & non potius veritatis ac cultus diuini doctor præcipuus qui *ideo se in mundum venisse* dicit, vt testimonium veritati præberet: ita hæc Caluini accusatio etiam in Christi iniuriam redundat.

Sed & superstitionis suspicio, quam hîc comminiscitur Calvinus prorsus vana & iniqua est. At illos *superstitione implicitos, quia ad tactum vestis restringerent gratiam Christi.* Sed planè contra se res habuit. Non enim ad tactum vestis restringebant gratiam Christi, sed extendebant. Tanta quippe illorum fides erat, vt crederent non solum verbo, au cōtactu, vel impositione manus Christum sanare potuisse, (quod sæpius aut viderant, aut audiuerant) sed etiam solo vestis, adeoque simbriæ vestis cōtactu sanare posse. Itaque vsque ad ipsam simbriam Christi gratiam extendebant, non restringebant. Vnde in hunc locum Chrysostomus: *Non similiter vt prius ad domos trahebāt, & tactum manus inquirebant, sed cum maiori fide eum accedebant.* Erat ergo fidei profectus non defectus, quod ipsam simbriam ad sanitatē conferendam valere credebant. Id quod etiam Euangelistæ verba bene perpenſa manifestum faciunt. Non enim dicit, *Rogabant eum vt solam simbriam tangerent*, quasi eo solo modo Christum sanare posse existimarent, (quod fuisset planè ridiculum, & Euangelicæ historiæ commemoratione indignum) sed dicit: *Rogabant eum vt vel simbriam vestimenti eius tangerent.* *ἢ τὰ κέρα τῆς ἰσθμίου:* vel vt est apud Matthæum, *ἢ τὰ πόδια τῆς ἰσθμίου:* vt solummodo tangerent. Nempe vt vel hac minima ac facillima ad Christum accessione sanari eos permetteret, quem multis alijs modis sanare posse credebant. Addit Calvinus, quod *Christum parte sui honoris fraudabant, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo.* Alia est & insulsa calumnia. Non enim hoc dicit Euangelista, quod verbo Christi diffiderent, aut verbi Christi virtutem negarent, sed ostendit eorum fidem tantam fuisse, vt non expectato eius iubente verbo, (quod in tam conferta multitudine singuli difficilius im-

Ioan. 8.

Superstitionis crimen diluitur.

Marc. 6.

Matth. 14.

Caluini insulsa calumnia.

petrare potuerunt: quia singuli eum alloqui & responsum accipere non nisi difficillimè valuerūt) vel fimbriæ cōtactu cōtēti essent. Quod inuisitatus & rarius erat, credebāt, multò magis quod frequētius erat credidisse dubitari non debet. Frequētius verbo aut impositione manus Christus sanabat, quàm solo fimbriæ cōtactu. Rursam quod obscurius & ignobilius videbatur, à Christo fieri posse credebant. Multo magis quod illustrius & celebrius erat, haud dubiè crediderūt. Multò autē illustrius atq; nobilius, Deoq; quodāmodo dignius erat, verbo aut manu sanare, quàm solo fimbriæ cōtactu furtiuā quasi gratiā cōcedere. Hanc igitur quasi furtiuā, rarā, ac specialē gratiā ex firma & speciali in eū fide sibi fieri postulabāt: quā & Christus vt laudabilē, fideq; plenā cōcessit. Si quis à peritissimo & expertissimo aliquo medico, quē vna aliqua sola & simplici portione sanare posse cōsideret, quod alij medici nō nisi varijs adhibitis medicamētis, & multa cura sanarēt, vel quod idē medicus cōmuniter ac frequētius, maioribus & pluribus additis remedijs accuratius & operosius sanare solet, rogaret eni xī^o, vt vel illā solā ac simplici portione suā ipsi ministrare: an iste totā reliquā huius medici artē aut cōtēnere, au negligere diceretur? An non potius ostēdit se de hoc medico magnificè sentire, & propter singularem de arte & peritia eius opinionem hoc vno & simplici medicamento contentum fore? Eodem planè modo in factō præsenti se res habet.

Sed nunc cur in hoc factō superstitionis notam hærere tam studiosè Calvinus velit, videamus. Adiungit præcedentibus, vt totum animi sui morbum aperiat, *Interea nō est quod inde sibi placeant, qui gratiā Dei in ligno aut clavis aut vestibus querunt quum disertè pronunciet Scriptura nefas esse quicquam nunc cōcipere de Christo, nisi spiritali cælestiq; eius gloria dignum. Tolerata fuit ad tempus eorum infirmitas, qui nescientes Christum esse Deum, proptus ad eum accedere optarunt. Nunc quum odore gratiæ suæ calum & terram impleat fide, non manibus vel oculis apprehendere docet, quam è celo offert salutē.* Hæc ille. Sub falsa pietatis imagine, veræ pietatis insidiatur. Qui enim reliquias aut Christi aut Sæctorum eius venerantur, nihil spiritali aut cælesti Christi gloria indignum cōcipiūt. Imò de ea tãto magnificētius sentiūt, quãta certius credūt nō illū solū, sed & quicquid eius est, opitulari nobis posse: siue sanctos eius, eorumque reliquias siue

Crucis

Crucis lignum, aut terræ contactum, vbi passus est. Eodem insidioso prætextu Regiæ Maiestatis gloria indignū aliquid patrasse censebitur, qui vel purpuratos & patricios eius, vel litteras ac diplomata, aut denique thronum regni eius aliquo honore profecutos fuerit. Rursum, non est in illis infirmitas toleranda, quasi eorum, qui Christum, esse Deum nesciunt, sed est pietas maximè laudanda, & eorum, qui Christum esse Deum maximè credunt, qui non fide tantum è cælis salutem expectant, sed manibus etiam atq; oculis eum apprehendere, quatenus in terris apprehendi potest, cupiunt atque contendunt. Christus in terra manibus atque oculis apprehenditur, quando *vni ex minimis eius poculum aqua frigida porrigimus*, quando *Prophetam ab eo missum in nomine Prophetæ accipimus*, quando eum in pauperibus *esurientem pascerimus*, *nudum vestimus*, *captiuum aut ægrum inuisimus & consolamur*: quando eos quos mittit audiendo & honorando, *ipsum audimus*, ipsum honoramus. Postremò quando de pane illo edimus, & de calice bibimus, de quo dixit, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. Ex quibus omnibus manifestum est, vanam & impiam esse Caluini speculationem, quod oculis & manibus apprehendi Christus non debeat. Deinde an illi pij fideles Christum esse Deum nesciebant, qui *ex umbra Petri*, & *ex contactu sudariorum Pauli* salutem quærebant? An non tunc Christus in cælesti sua gloria gratiæ suæ odorem in terras spargebat? Planè vel maximè tunc eam spargebat. Sed inter variū diuinæ illius gratiæ odorem, etiam hoc quoque spargebat Christus, quod per Apostolorum & aliorum Sanctorum suorum manus prodigia faciebat in plebe: quod de vno S. Stephano imprimis legimus, & quod *manum suam extendebat ad sanitates & signa & prodigia faciendâ per nomen sanctū suū*: de quo vno singulari beneficio magnas Deo gratias egerunt Apostoli & cæteri fideles in vnum congregati. Sed impius Calvinus hoc totum pietatis genus ad superstitionem relegat, & propter infirmitate eorum, qui Christum adhuc esse Deum nesciebant, toleratum à Christo tantisper fuisse somniat: serò sanè iam post annos 1500. hanc nouam nobis & prophauam cantilenam occinens. Sanctissimi quippe ac doctissimi in Ecclesia Dei Patres in Sæctorum, ac maximè Crucis Christi reliquijs toto hoc tempore magnam venerationem posuerunt, variaq; à Deo beneficia senserunt: August. videlicet, Ambr. Hilarius, Basil.

Chrysoft.

S. Reliquiarum cultus defenditur.

Matth. 10. & 24.

Luc. 10.

1. Cor. 10.

Act. 5. & 19.

Act. 7. & 4.

Chryfolt. Anastasius, Gregor. Nazianz. Greg. Niff. Theodororus, Euseb. Emiffen. Cyril. Paulin. Hieronymus: quorū omnium vel verba citauimus, vel loca annotauimus in hoc ipfo opere, Dom. 23. post Pent. Hos omnes impio Caluino opponimus, & summo iure longè lateque anteponimus. Sanè vt idem Caluinus similem fidem ac pietatem mulieris hemorrhoiſſæ per contactum ſimbriæ Chriſti ſanaræ, exagitauerit, in eadem Dom. in quinta huius operis editione, copioſè explicatum dedimus.

Feria 2. hebdom. 1. Quadrages.

Matth. 25.

Venite benedicti Patris mei: Poſidete regnum
paratum vobis à conſtitutione mundi.
Eſuriui enim, & dediftis mihi
manducare.

Merces bonorum operum vita æterna.



Magna & ſingularis eſt huius loci euidencia, quod vita æterna intuitu bonorum operum à Deo confertur. Quum enim iam in poſſeſſionem mittendi ſunt iuſti, quum ipſam hæreditatem cæleſtem adeunt, vocat illos Iudex Chriſtus ad capiendam poſſeſſionem, & ad hæreditatem adeundam, (*Poſidete enim hoc loco, κληρονομήσατε*, ſignificat, iure adoptionis in hæreditate accipite) quia opera miſericordiæ fecerunt. Et quidem magis vulgaria, quæque penè à quolibet præſtari poſſunt, recenſet Chriſtus; tum vt ſuam immenſam benignitatem oſtendat, tum vt non promerentes hanc mercedem magis inexcufabiles reddat, tum denique vt doceat, maiora virtutum opera certiffimè eſſe remuneranda. In vniuerſum autem, pro cauſa adeundæ hæreditatis, ponit opera iuſtorum bona. Pupugit vehementer hic locus Caluinum bonorum operum hoſtem iuratum. In omnem itaque ſe partem verſat ac reuerſat, vt in tam euidenti & clara luce, tenebras lectori offundat, ſeq; ipſum per tenebras eripiat, imò in æternas tenebras coniciat: *Si hic (inquit) diſputatio eſſet de ſalutis noſtræ cauſa, non malè colligerent Papiſtæ nos bonis operibus vitam æternam mereri: Sed quum nihil aliud propoſitum ſit Chriſto, quàm ſuos ad bene re- cteq; agendum hortari, perperam ex eius verbis elicitur, quid va-*

In Harmon.
Euang. ad
Matth. cap. 25.

leant

leant operum merita. Primum non ſoli Papiſtæ, id eſt, Catholici moderni, ſed omnes in vniuerſum Patres, qui hunc locum tractarunt, (vt ex eorum commentarijs in hunc locum patet) ex bonis operibus nos vitam æternam promoueri collegerunt: Auguſt. maximè, qui diſertè contra Caluinum ita ſcribit. *Quare cauſas vel tantæ mercedis, vel tanti ſupplicij, percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare illi perceperunt regnum? Eſuriui enim, & dediftis mihi manducare. Quare iſti ituri in ignem æternum; Eſuriui enim, & non dediftis mihi manducare.* Hæc ille. Sic igitur cum Auguſtino contra Caluinum arguimus. Si Chriſtus in his verbis, *Percipite regnum, &c. Eſuriui enim, &c.* non tractat de cauſa ſalutis noſtræ, ſed hortatur tantum ad bene agendum, ergo ſimiliter in illis verbis. *Ite maledicti in ignem æternum: Eſuriui enim, & non dediftis mihi manducare,* non tractat de cauſa damnationis impiorum, ſed deterrer eos tantum à peccatis. Sed falſum ac impium iſtud: ergo & prius. Deinde particula vtrouique cauſalis, *Eſuriui enim, &c.* manifeſtè oſtendit, de cauſa ſalutis & damnationis vtrouique agi.

Sed occurrit hîc Caluinus, & dicit. *Quod in cauſali particula inſiſtant, infirmum eſt. Scimus enim non cauſam ſemper, ſed conſequentiam potius notari, quum vita æterna iuſtis promittitur.* Sed ô quàm infirma, imò inſulſa hæc euafio eſt? Eſto enim non ſemper cauſam, ſed conſequentiam potius illa particula notari. Si non ſemper cauſam, ergo aliquando cauſam notat. Si aliquando cauſam notat, cur non hoc loco? Imò ſi in vna parte ſermonis, ad maledictos quod attinet, cauſam neceſſariò notat, cur non in altera parte ſermonis, ad benedictos quod attinet, cauſam quoque notabit? Cæterum hæc ſcientiam Caluini negamus, & falſam eſſe opinionem certò cognoscimus, quod particula cauſalis, quando vita æterna iuſtis promittitur, aliquando conſequentiam, non ſemper cauſam ſignificat. Probare hoc vel vnico exemplo debuit Caluinus. Sed facilius illi fuit fortiter aſſerere quod falſum eſt, quàm illud probare quod probari nō potuit. Huius igitur reſponſi ſumma infirmitate perſpecta, ad aliam confugit.

Quanquam alia eſt clarior ſolutio. Neque enim bonis operibus mercedem promitti negamus, ſed gratuitam, quia ex adoptione pendet. At hæc ſolutio nihilo melior eſt. Merces enim bonorum operum gratuita quidem eſt ex parte radicis, quia principium eorum gratia eſt ab authore gratiæ gratuito

data;

Serm. I. de
Septuages.

Bona opera
cauſa ſalu-
tis, ſicut ma-
la opera cau-
ſa exitij.

data; debita tamen nihilominus & vera merces est, quatenus cum illa Dei gratia homo liberè cooperans, opera facit verè bona, laudabilia, Deo placentia, & ex Dei liberalitate iusta mercede digna. Quod totum ex eo quod ipse Calvinus subiūgit, manifestè probatur. Sic enim profectur. *Gloriatur Paulus sibi repositam esse coronam iustitiae. Sed vnde illi fiducia, nisi quia Christi membrum erat, qui vnicus est heres regni caelestis?* Atqui de hac fiducia nihil ibi Paulus, sed contrà, vnde fiduciam acceperit, clarissimis his verbis prae-misit. *Bonum certamen certavi, fidem seruaui, cursum consummaui. Reposita est mihi corona, &c.* Hæc erat causa fiduciæ in Paulo hoc in loco, tamen vtrum quoque sit alibi eū gloriari, quod membrum sit Christi. Sequitur in Caluino: *Reddendam sibi à iusto iudice prædicat coronam illam. Sed vnde illud præmium, nisi quia & gratis adoptatus est, & iustitia donatus, qua sumus omnes vacui?* Rogat Calvinus vnde. Nec videt Paulum ipsum disertissimè docuisse, vnde. Tacet, silet, dissimulat impostor nefarius totam illam bonorum operum suorum enumerationem à Paulo factam, vnde illud præmium sibi retribui, id est, à iusto iudice, id est, per modum veræ iustitiæ, Paulus prædicat. Tacet illa verba, *bonum certamen certavi, fidem seruaui, cursum consummaui*: & quærit vnde coronam iustitiæ expectauerit. Illa autem quæ Calvinus ponit, *quia gratis adoptatus est, & iustitia donatus*, id est, Dei gratia donatus, vnde operetur iustè, causæ quoque sunt redditæ coronæ, sed causæ remotiores, non proximæ. Causas proximas posuit illic Paulus, opera ipsa iustitiæ. Causas proximas ponit in hoc Euangelio Christus, opera ipsa misericordiæ. Impostor Calvinus vrget remotiores causas, vt tollat proximas. Vnam veritatem premit, vt alteram destruat. Vtraque veritas tenenda est, vt tota veritas teneatur.

Audiamus adhuc Calvinum. *Hæc igitur duo tenenda sunt, vocari fideles ad possessionem regni caelestis, bonorum operum respectu, non quia illud promeriti sunt operum iustitiæ, vel quod eius acquirendi sibi fuerint authores, sed quia Deus iustificat quos elegit.* Istud prius duorum quæ tenenda ponit, mera impostura & vafrietas est. Fateretur iam demum vocari fideles ad possessionem regni, bonorum operum respectu, sed non quia illud promeriti sunt, verum quia Deus iustificat quos elegit. Atqui hæc duo optimè consistunt, si iuxta Scripturarum sensum Calvinus loquitur. *Deus iustificat quos elegit, id est, Deus ex impiis facit iustos quos elegit, & sic eos iu-*

ificat.

2. Tim. 4.
Calvinus ex
Scriptura
quam pro se
adfert, refu-
tatur.

Calvini ca-
uillationes
insulsæ.

ificat: iustificati autem, seu iusti facti, *ambulant in operibus bonis, quæ Deus per aliam gratiam suam preparauit in illis, per quæ promerentur vitam æternam.* Prima inquam iustificatio impij, quam Deus facit, merè gratuita, nihil pugnat cum retributione iustorum verè iusta. Vocantur igitur fideles in possessionem regni caelestis, prius quidem à Deo iustificati gratis per Iesum Christum, sed intuitu præterea bonorum operum, quæ iam iustificati operati sunt. Quod autem Calvinus ait, *eos non promereri operum iustitiæ, puerilis cauillatio est, quasi quando merita operum prædicamus, operum iustitiæ, quæ iustitiæ fidei à Paulo opponitur, prædicaremus.* Non ignorauit Calvinus, merita operum à Catholicis doceri, quæ sunt opera iustitiæ fidei, id est, *illius iustitiæ, quæ ex fide est, quæ ex Deo est, quæ ex gratia est, non quæ sunt ex iustitia operum sine gratia & fide Christi, contra quæ Paulus disputat.* Deinde quod addit Calvinus, *vel quod eius acquirendi sibi fuerint authores, putidior adhuc & insuisior cauillatio est.* Quando Christus promittit hîc regnum caeleste intuitu bonorum operum, vel quando Catholici docent iuxta hæc Christi verba intuitu bonorum operum promereri iustos vitam æternam; non faciunt ipsos iustos acquirendi regni sibi ipsi authores, sed faciunt eos diuinæ gratiæ, & huius tantæ mercedis cooperatores. Vnde D. Bernardus. *Ibi Deus benignè homini merita cõstituit, vbi per ipsum, & cum ipso boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc coadiutores Dei & cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus.* Hæc ille. Quia cooperatores Spiritus Sancti, ideo promeritores regni. Cooperatores, non authores. Per Christum, & cum Christo bonum operamur, nõ ex nobis ipsis, vt authores vel vnici vel præcipui bonorum operum.

Audiamus nunc secundum quod teneri iubet Calvinus. *Deinde quamuis duce Spiritu ad studium iustitiæ aspirent, quia tamen Legi Dei nunquam satisfaciunt, nullam illis mercedem deberi, sed mercedem vocari, quod gratis donatur.* Quot verba, tot vel mendacia, vel imposturæ. Christiani fideles ductu Spiritus S. non solam ad studium iustitiæ aspirant (quod solum vafes Calvinus ait) sed ipsam iustitiæ exercent & operantur. *Duce Spiritu facta carnis mortificant, ambulant secundum spiritum, non secundum carnem, ambulant in nouitate vitæ, non dominatur illis peccatum, condelectantur Legi Dei secundum interiorè hominem, faciunt quæ Deo placita sunt.*

sic

Ephes. 2.

Philip. 2.

In tract. de
gratia & li-
bero arbit.

Rom. 6. & 7.
1. Ioan. 3.

Rom. 13.

2. Tim. 4.

ne ipsam iustitiam exercent. Deinde satisfaciunt legi Dei, quod negat Calvinus. *Dilectio proximi implet legem*, ait Apostolus. Aut ergo nemo diligit proximum, aut aliqui implent legem. Quod si implent legem, satisfaciunt ei. Quod autem concludit mercedem vocari, quod gratis donatur, nihil aliud quàm diuinas Scripturas corrigit, adeoque falsi arguit. Paulus enim *coronam iustitiae* hanc mercedem vocat, & à iusto iudice reddi ait. Sic ergo vita aeterna merces est vt iuste reddatur, non solum gratis donetur. Gratia quidem est vita aeterna, & gratis donatur, quatenus radix & principium totius iustitiae nostrae Dei gratia est, sed ratione operum, quae ex hac radice pullulant, verè & proprie merces est, & iuste redditur vt *corona iustitiae*: quatenus videlicet iustitia nostra per cooperationem liberi arbitrii, verè nostra est. Vtrunque Scriptura docet, vt supra accepimus, & alibi latius disputatum est. Frustra igitur & inaniter Calvinus contra hunc stimulum calcitrauit. Omnem quidem mouit lapidem, vt euidentem veritatem eluderet. Sed fortis est veritas, & vincit.

Feria 3. hebdomadae I. Quadragesimae.

Matth. 21.

Domus mea domus orationis vocabitur.



Quum hoc Euangelium in Dominica 9. post Pentecostem legatur, petat ex illa Dominica Concionator Catholicus, quae ad haec ipsa verba in parte Dominicali huius Promptuarii contra Calvinum disputauimus. Nunc vno verbo attingemus, quomodo in Harmonia sua Calvinus ad hunc Matthaei locum, suo adhuc fermento Pharisaeico haec verba inficere voluerit. Quum enim haec Christi verba rectum & proprium templorum vsum (quibus & Christiani carere non possunt, vbi pax Ecclesiae tuta & acies ordinata conspicitur) manifestè describant, loca videlicet esse vni Deo consecrata, (ideo enim *Dei domum* vocat Propheta, quo Iudaei conueniebant) & ad Dei cultum specialiter ordinata (orationis quippe voce, ait ipse hoc loco Calvinus, *totus Dei cultus à propheta notatur*) qui & preci

bus

us & sacrificiis constat, voluit vno verbo Calvinus Christianorum templis hoc totum eripere, suumque obiter venenum inspergere. Ait enim: *Hodie quanquam ad sacros conuentus agendos templis vtimur, diuersa tamen est ratio: quia ex quo exhibitus est Christus, nobis externa & vmbrae eius imago minime proponitur, sicut olim Patribus sub Lege*. Haec ille. Verum quidem est vmbrae illas Christi imagines, vitulorum & hircorum victimas, panes propositionis, & asseruatum manna, in nostris templis non proponi. Sed quia templa quoque nostra Deo, Deique cultui, precibus, sacrificiis, sacramentorumque administrationi, ac demum verbi praedicationi destinantur & consecrantur, planè hac ex parte eadem illorum ratio est; Domus Dei & domus orationis non secus sunt, quàm templum Iudeorum. Imò tantò excellentius hoc sunt, quantò magis non vmbrae, aut imagines rerum, sed res ipsae olim adumbratae in illis exhibentur.

Feria 4. hebdomadae I. Quadragesimae.

I. Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei?

Matth. 12.



Locus Beatissimae Virginis honorem ab haereticorum hodie indignissimis cauillis vindicandi. Ait ad hunc locum Calvinus. *Non dubium est quin his verbis carpatur Mariae importunitas: & certe praeposterè cursum doctrinae eius abrumpere tentabat*. Haec ille. Atqui dubio procul certissimum est, Calvinum carpendi audum, importuno cauillo Beatissimae Virgini praeposteram importunitatem, temerè & falsò impingere. Meminisse Calvinus debuit, quod paulo ante hunc locum scripserat. *Negari non potest quin Deus Mariam filio suo matrem eligens ac destinans, summo eam honore dignatus sit*. Si summo honore Deus eam dignatus est, nec Christum eius honori hac publica increpatione, (eius importunitatem praeposteram publicè coram turbis carpendo) detrahere voluisse existimandum est, nec hac importuna reprehensione superbus Calvinus eius honorem violare debuit. Nos sane qui cum S. Augustino, totaque Ecclesia Catholica iudicamus, idque propter honorem Domini, vt Augustinus loquitur,

In Harmon.
Euangel.
ad Matth.
cap. 12.

Ad Luc. cap.
11. vers. 27.
B. Virginis
Mariae hono-
nor defen-
ditur.

De natura
& gratia,
cap. 26.

C

abfue

Templorum
eadem nunc
ratio, quae
olim.

absque vilo peccato hanc purissimam Virginem vitam duxisse, adduci nullo modo possumus aut debemus, vt aliquid eam commississe existimemus reprehensione filij sui, eaque publica & coram turbis dignum. Non igitur hic Christus aliquam matris suae importunitatem carpit, nec aliquam eius praeposteram interpellationem taxat, quae haud dubie ex pietate & iusta causa processit, siue vt aliqui interpretes existimant cibi capiendi causa, sermone iam Christi diutius protracto, siue, vt Lucas habet, *volens eum videre, & vt nostrum habet Euangelium, quarens ei loqui*, vt eius diuinorum sermonum ipsa quoque particeps esset, *quia praeter turba adire eum non poterat*, vt Lucas narrat; sed praesentis tantum negotij, in quo versabatur, executionem vrget, & doctrinae Euangelicae, quam tradebat, necessitatem & dignitatem (quod locus ille & tempus postulabant) hac data occasione amplificat. Hic Christi scopus, hoc propositum fuit, quum illa verba diceret, *Quaest mater mea, & qui fratres mei*, vt diuinae voluntatis executores & cultores summo honore afficeret, maximoque apud se in pretio esse ostenderet: non vt matrem aliquo dedecore afficeret, aut coram turbis (*sedebat enim turba circa eum*, ait Marcus, quum haec diceret) de importunitate praepostera, vt ait Calvinus, carperet. Si in fraterna correptione aliter nos facere docuit Christus, vt peccante in nos fratre, *primum inter nos & ipsum solum corripiatur, posteaque coram testibus*, si primae correptioni non acquiescit, quomodo Christus in materna correptione, & quidem talis matris, eo ordine neglecto, ad primum delictum publice coram tam multis testibus eam carperet & taxaret? Sed prophana haereticorum pectora, stupore & liuore plena, omnia in pessimam partem rapiunt, nec vilius vel Sancti vel Apostoli, vel ipsius matris Dei honori parcant.

2. *Quicumque facit voluntatem Patris mei, hic frater meus, & soror, & mater est.*

QUVM hic locus bonorum operum studium, quo facimus voluntatem Dei, & ea quae sunt placita coram Deo, *ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus eius*, vt de iustis loquitur Scriptura, mirifice amplificet, ita vt non solum quomodolibet Deo gratos ac iustos, huiusmodi

pietatis

pietatis cultores esse doceat, sed etiam DEO gratissimos, intimaeque coniunctos demonstret; vt iam eos nec pro seruis tantum, *facientibus ea quae facere debuerant*, nec pro Filiis tantum, *quia Spiritu Dei aguntur*, quae dilectionis quidem verba sunt, cum nota tamen subiectionis magnaeque imparitatis coniuncta, sed altius adhuc consurgendo, *pro fratribus & sororibus*, imò etiam *pro matre* habeat, id est, in intimam quandam familiaritatem recipiat, summoque dignetur honore: totam hanc tam emphaticam pietatis & obedientiae mandatorum Dei commendationem vno fidei verbo impius Calvinus eludere se posse confidit. Sic enim scribit. *Eos intelligit facere voluntatem Patris, non qui exacte totam Legis iustitiam implent (nam ita in neminem competeret fraternum nomen, quo hic suos discipulos insignit) sed fidem praecipue commendat, quae sanctae obedientiae fons est & origo: simulque defectus & carnis vitia tegit, ne imputentur.* Homo impius ad vnam fidem tanquam radicem obedientiae omnia refert, nec videt à Christo hoc loco non radicem, sed fructus laudari, non eos qui credunt, sed qui faciunt. Rursum non videt, sanctae obedientiae fontem & originem non esse solam fidem, sed multo magis charitatem. Nam vt fides intellectum purificat, quò videat quid sit agendum, & in quem finem actiones dirigendae, & vnde agendi vis ac facultas petenda est, sic charitas voluntatem accendit, vt quae agenda vidit, in actionem proferat, vt ad propositum finem currat, vt quae petenda didicit, ardentem petat. Nam fides apprehendens Christum in sensu Caluini, nullius obedientiae fons est, sed cerebri Caluiniani spectrum, Scripturis diuinis incognita. Verum quidem est, totius legis exactam obseruationem à Christo hic non requiri, vt faciat quis voluntatem Patris sui, & fortè de facto neminem adhuc fuisse (Beatissimam Virginem propter honorem Domini semper excipio) qui totam legem exacte impleuerit, id est, sine peccato fuerit: sed aliud extremum est omnem necessariam legis obedientiam excludere, & in sola fide totum ponere. Facere voluntatem Dei, nec totam & exactam postulat obedientiam, nec nullam, quasi credere sufficiat: sed obedientiam flagitet & significat, qualis in hanc vitam cadit, vt *ambulantes secundum spiritum, non secundum carnem*, grauiora mandata exequamur, minores & quotidianos defectus oratione

Luc.18.

Rom.8.

Voluntatem Dei facere, fructum notat, non radicem.

Obedientiae radix sola fides non est.

Obedientia exacta, & sola fides duo extrema.

Matth.18.

Haereticorum prophana pectora.

Luc.2.

quotidiana purgemus. Quod autem Calvinus totum in sola fide ponat, probatio quam subiungit, manifestum facit. Nota est enim (inquit) Christi sententia, Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris mei, ut quicumque videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vult ergo non nisi fidem à Christo commendari, ut faciamus voluntatem Patris; quia qui credit, non peribit. Sed advertere impius hæreticus debuit, vnam hic salutis causam poni, non totam. Qui credit, non perit, quia qui credit alia gratiæ præsidia accipiet, quibus saluetur: de quo vide Prompt. Cathol. fer. 2. Pentecost. Deinde advertere debuit alias Scripturas de voluntate Dei. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Videte fratres ut cautè ambuletis non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, &c. Serui obedite Dominis, &c. ut serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruietes, ut sitis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* In omnibus gratias agite. *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.* Patientia vobis necessaria est ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem. *Deus pacis aptet vos in omni bono ut faciatis eius voluntatem.* Ut iam non desiderij hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est vivat temporis. Denique illud Ioannis: *Mundus transiit & concupiscentia eius.* Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quis dubitare potest quin his omnibus in locis facere voluntatem Dei, nihil aliud significet, quàm facere Dei mandata & bonis operibus operam dare? Quod si facere voluntatem carnis, necessariò in Scripturis significet, facere ea quæ caro suggerit, expetit & iubet, ut apud Paulum, quum de maximè impiis loquitur, *Conversati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum,* cui dubium esse potest quin facere voluntatem Dei Patris sit ea facere quæ Dei Spiritus suggerit, quæ Deo placita sunt, ac demum quæ Deus in sua lege fieri mandat ac iubet. Totam ergo Christi doctrinam penitus hoc loco inuertit, & in sensum alienissimum contorsit, Scripturæ euangelicæ corruptor impius, Calvinus.

Voluntatē
Dei facere.
Ioan. 9.
Rom. 12.

Ephes. 5.

Ephes. 6.

Coloss. 4.

1. Thes. 4.

& 5.

Hebr. 10.

Hebr. 13.

1. Petr. 4.

1. Ioan. 2.

Ephes. 2.

Feri

Feria 5. hebdom. I. Quadra- gesima.

I. *Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes,
dimitte eam, quia clamat
post nos.*

Matth. 15.



Intercessio hæc discipulorum pro muliere Chananæa à Christo prima vice nihil impetrante, exemplum esse potest invocationis Sanctorum, ut pro nobis apud Deum intercedant, quum à Deo confestim non exaudimur: ad maiorem videlicet fidei, patientiæ, ac perseverantiæ nostræ probationem; sicuti cum Chananæa Christus hic egit, tantisper eam exaudire differens, donec sæpe atque identidem clamasset, ipsosque Apostolos ut pro ea apud Christum intercederent, compellasset. Atqui quum totam hanc huius loci applicationem exagitet Calvinus, videamus an quicquid ille contra disputat, huiusmodi sit, ut eam propterea repudiare debeamus. Diuinis enim Scripturis ad fidei nostræ confirmationem piè ac religiosè utimur, nisi vel ratio, vel autoritas perspicua contradicat. *Puerile* (inquit ille) *figmentum fuit, quod hoc prætextu conati sunt Papiæ Sanctos, qui mortui sunt, nobis inducere patronos.* Nam ut demus hanc fœminam petijisse à discipulis aliquid suffragationis aut gratiæ (quod tamen ex textu elici non potest) alia tamen est mortuorum ratio quàm vivorum. Adde quod fastidiosè eam audiunt discipuli: atque ut animus illis fuerit patrocino suo eam lenare, nihil tamen impetrarunt.

Hæc ille: partim plusquam pueriliter, partim etiam impiè respondens. Plusquam puerile Calvini figmentum est, Chananæam hanc mulierem à discipulis Christi fastidiosè auditam fuisse. Neque enim tanti magistri tanto iam tempore discipuli, tamq; humilis ac mitis magistri, ipsimet quoque pauperes tam fastidiosi fuerunt, ut fastidiosè ac molestè piam matris pro filia petitionem audierint. Huiusmodi superba de discipulis Christi iudicia superbis hæreticis conveniunt. Alio iudicio S. Chrysostomus discipulorum interpellatione intellexit. Ait enim in hunc locum

In Harm.
Euang. ad
Matth. ca. 15.

Calvini puerile figmentum.

Homil. 53. in
Matth.

Caluini
mendacia.

1.

2.

Sancti non
sunt vocan-
di mortui.Cyrillus l. 5.
contra Iul.Matth. 22.
Hiero. cont.
Vigilant.
Chryso. Hom.
vlt. in epist.
ad Rom.Fides qualis
à Christo
laudata.

Æstimo discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere, da ei hanc gratiam, sed, dimitte eam, sicut & nos cum voluerimus alicui persuadere multoties contraria dicimus. Hæc Chrysostomus. Deinde falsum est quod addit Caluinus nihil eos impetrasse. Christus enim mulieris fide paulo adhuc amplius probata fecit quod Apostolorum interpellatio postulauit, non solum dimittens eam, sed etiam voti compotem & lætissimam dimittens. Nec minus falsum est quod affirmat ex textu elici non posse, hanc feminam à discipulis Christi ullam gratiam petisse. Quid enim clamabat post Apostolos, nisi ut tacente Domino, aliquid ab eo benignum respõsum ipsi impetrarent? Clamauit enim post illos, non ut inanis dimitteretur, sed ut à Domino exaudiretur. Ideoque dicentibus Christo Apostolis, dimitte illam, respondit Christus, non sum missus nisi ad oues domus Israël: Manifestè docens Apostolos petisse à Christo, ut illius precibus annueret. Alioqui hæc Christi responsio nihil ad rem faceret.

Iam verò impia est tota Caluini responsio, qua infert pro patrocinio Sanctorum hoc exemplum facere nõ posse, quia alia est mortuorum ratio quàm viuorum. Impium est & ethnicum Sanctos in cœlo cum Christo regnantes mortuos vocare, & phrasis propria infidelium. Sic Iulian. Apostata Martyres Christi *homines mortuos* vocauit, & tota gentilitas Christianos qui martyres defunctos colerent hoc nomine subfannauit, quod mortuos colerent. Sed totam hanc Caluinianam impietatem vno verbo Christus refutauit, dicens Deum, qui Deus Abraham Isaac & Iacob vocatur, non esse Deum mortuorum, sed viuentium. Sic Deus Sanctorum in cœlo regnantium non est mortuorũ Deus, sed viuentium; vnde non sunt mortui vocandi, sed viuentes: ideòque ad patrocinia non minus idonei quàm cum in terris viuerent; imò multò magis idonei, ut Patres docent.

2. O mulier magna est fides tua.

QVVM hæretici hodie totam fidei naturam, proprietatem, virtutem & magnitudinem in eo ponant, ut generales Dei promissiones quod credentibus in eum per Christum propitius futurus sit, vnusquisque sibi in particulari applicet, certoq; credat quod sibi peculiariter Deus propitius sit, queritur an hæc mulier huiusmodi fidẽ

habu

habuerit, & magna eius fides à Christo laudata, an talis aliqua fides extiterit. Certissimè constat eius fidem nihil si- mie aut affine habuisse. Mulier erat Chananæa, gentilis, verbi Dei & promissionum eius, quæ penes solos Iudæos tunc erant (illis enim solis *credita eloquia Dei*, ait, Paulus) penitus ignara, in doctrina legis non educata, extra fœdus populi Dei, vnde eam Christus canem vocat, quasi extra numerum filiorum. *Non oportet* (inquit) *sumere panem filiorum, & dare canibus.* Quomodo ergo generales Dei promissiones in verbo, quas ignorabat, quæ ad illam non pertinebant, sibi applicare potuit: fidem tamen habuit, eamq; magnam, non tanè quæ vllis promissionibus in verbo nitetur, sed quia de Christi potentia, virtute, bonitate firmisimè conceperat. Talem quippe fidem ab illis exigere solebat Christus, qui aliquid ab eo salutis beneficium expetebant. *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Magna quoque fides erat, quia firma, inconcussa, constans, & perseuerans, qua quasi in spem contra spem, toties repulsiã passã, ac tandem veluti cum contumelia reiecta, tenuit tamè firmiter nec deponere voluit. Talem eius fidem Scriptura euãgelica nobis describit. Specialis fidei ab hæreticis hodie inuẽte nullum hic vestigium apparet. Laborat nihilominus vehementer Caluinus ut vel profus tacente, vel etiam reluctante Scriptura, huiusmodi aliquid hoc loco eliciat. Primum ait. *Quamquam à grege Domini extranea erat hæc mulier, gustum tamen aliquem pietatis imbiberat.* Hoc quidẽ res ipsa manifestè loquitur. Neque enim talẽ de Christo fidem animo concipere sine aliquo pietatis gustu, imò sine speciali Dei gratia potuit. Sed addit adhuc. *Nam sine aliqua promissionum notitia Christum non vocasset filium David.* Hoc iam de suo cerebro depromit Caluinus. Equidem aliqua illam circa venturum Messiam fide imbutam fuisse, & eius promissionis quod de semine David venturus erat Iudaici populi Propheta magnus, non ignaram fuisse probabile est. Sed promissionũ iuxta Caluini sensum, videlicet quod per Christũ venturũ Deus illi propitius futurus esset, quodque ipsa de numero electorũ foret (huiusmodi enim promissionibus specialis Protestantum fides nititur) illam aliquo modo notitiam habuisse, penitus falsum & absurdũ est. Neque enim tunc illã Christus à numero filiorũ separasset, & canibus annumerasset. Addit adhuc

Rom. 3.

Matth. 15.

Matth. 6.

C 4

Caluinus

Calvinus si-
bi contradi-
cit.

Inst. libr. 3. ca.
2. n. 2. An-
notat. in c. 1.
ad Ro. ver. 17
Fides impli-
cita à Calui-
no contra se
ipsum agni-
ta.

Calvinus. *Quoniam mulier hæc à nullo magistro familiariter edocta erat, suam, tamen de Christo non temere sibi fabricavit, sed concepit ex lege & Prophetis. Homo insulsus sibi ipsi contradicit. Si enim à nullo magistro edocta erat, & (vt antea dixit) non educata fuit in legis doctrina, quomodo mulier gentilis, indocta, rudis, ex lege & prophetis fidem concipere potuit. Quomodo inquam ex libris illis, quos nec audire, nec legit, fidem concepit? Nec tamen temere hæc sibi fidem fabricavit, sed ex fama miraculorum Christi, & ex vicini populi frequenti tunc opinione vel aduere vel aduenisse gentis illius prophetam magnum & Messiam, hæc fidem illam concepisse, diuino intus cooperante spiritu, multo probabilius est. Sed Calvinus vt aliquam promissionum fidem in hac muliere fuisse contendat, quod in aliis suis scriptis perpetuò negat & pro crassa & affectata ignorantia cõdenat, eiusque discipulus aut sodalis Beza diabolicam à veris notat vocat, fidem, inquam implicitam, nunc ingenuè fateretur & agnoscit. Secundum hunc (inquit) sensum non nego quin possit interdum aliqua esse fides implicita, cui scilicet nõ constat diserta distinctaque sana doctrina cognitio modò hoc tenemus fidem semper ex verbo Dei nasci, & principium suum ex veris rudimentis habere, vt semper ad aliquam scientiam lucem annexa sit. Ecce quã alibi seper negat & explodit, nunc in hac Chananæa agnoscit implicitam fidem, quia explicitam aut claram atque distinctam rerum diuinarum fidem in illa probare non potuit. Cæterum nec explicitam ne implicitam promissionum Dei in verbo scripto fidem habere hæc mulier potuit, cui aliqua scientiæ lux annexa esset, quæq; ex verbo Dei nasceretur. quum (vt Calvinus antea concessit) nec in legis doctrinam educata, nec ab vlllo magistro edocta, & à grege Domini extranea esset. Frustra ergo & insulse laborat Calvinus, vt vllam promissionum fidem seu explicitam, seu implicitam (quam nunc in huius mulieris gratiam agnoscere vult) in ista muliere inueniat. Laudauit in ea Christus fidem, non cuius obiectum aliqua promissio au generalis aut specialis illi facta esset, sed quæ circa ipsum Christum, eiusq; admirabilem potentiam tot antea miraculis probatam, & insignem beneficentiam ac bonitatem tam multis erga alios beneficiis cõpertam versabatur. Sic fides Catholica, qua diuinæ alicui veritati firmiter assentimur, non hæreticorum specialis aliqua fides in hac muliere Chananæa à CHRISTO laudatur.*

In Feria 6. hebdom. 1. Quadragesima.

1. *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

Ioan. 5.



Ocus varia norandi & obseruandi contra nostri temporis hæreticos. Primum quod hoc tantum miraculum in tota veteri Scriptura non commemoratur, quum tamen vt rem longo tempore vltimatam ac vulgarem Euangelista commemorat. Ille vnus languidus nunc sanatus totis 38. annis aquæ motum expectauerat, nec nisi diutissima experientia miraculo fidem dedisset, aut ille aut tot præterea languentes cæci, claudi, aridi tam diu & tot annis expectassent aquæ motum. Valet hoc contra eos qui nihil volunt credere nisi scriptum. Huius enim rei aut origo, aut promissio, aut præceptum, quibus illi ad sanitatem quærendam moueri possent, nunquam in Scriptura legitur. Secundò, quod virtus supernaturalis & miraculosa ipsis creaturis, vt hic aquæ ab angelo motæ, sine vlla diuini honoris diminutione tribuitur contra eos qui omnem efficaciam creaturarum Deo derogare, & magici cuiusdam exorcismi speciẽ habere existimant. Deus quippe pro suo arbitrio liberè elementis vtitur: quãuis operis effectus nõ nisi Deo tribuatur. Tertio quod talis virtus rebus sanctificatis tribuitur. In hac enim aqua pecora sacrificata ablui solebant, & ideo in commendationem sacrificiorum hoc miraculum Deus operabatur, vt notat D. Hieron. in tract. de locis Hebraicis. Non fortasse quod eo in loco quo sanationes hæc fiebant pecora sacrificanda primùm lauarentur (quia in conchis, ad hoc à Salomone constructis in ipso templo primo lauabantur) sed aquis istius piscine lauaretur: in quam postquam in templo lotæ carnes essent, omnes aquæ è conchis emitte-

Doctrina
nõ scripta.

2.

Creaturarum
efficacia
Deo nõ de-
rogat.

3.

2. Paral. 4.

acramēto-
rū & sacra-
mentalium
virtus.

+

Festorum
dierum dif-
crimen.

5.

Locorum a-
liquādo dif-
crimen ad
Dei benefi-
cia impetrā-
da.

Epist. 1; 7.

bantur, & per vias subterraneas aut aquæductus effluebāt. Erat enim ad radices montis, in quo templum situm erat, hæc piscina. Quam sententiam sequitur Aristæus verustis-
simus author in libro de septuaginta interpretibus. Valet autem hoc contra hæreticos, qui Sacramentorum & sacra-
mentalium virtutem aliquam aut efficaciam, à Deo illis ad religionis commendationem communicatam & imperti-
tam credere non possunt. Quartò quod hæc virtus non semper, sed certo aliquo tempore operabatur. Erat enim hoc Paschale tempus ad festi ipsius commendationem. Valet contra eos qui nullum dierum discrimen ponunt, negantque Deum gratiæ suæ beneficia diebus in honorem Dei festis ac celebribus liberalius largiri, quàm quouis alio tempore. Sanè CHRISTVS potissimum diebus Sabbati & festis Iudæorū opera sua beneficia exhibebat. Quintò quod non nisi eum iuuabat hæc aqua qui primus post turbatam aquam ingredi potuit. Hoc enim nos docet, quod non sola fides aut interna deuotio semper sufficit (quāquam illa imprimis requiruntur, & vbi necessitas externa tollit remedia illa sola sufficere possunt) vt solēt heretici dicere, Deum vbique iuuare, nec plus vno quàm alio loco inuocantibus eum opitulari, sed quòd aliquando per externa loca & media iuuare vult Deus plusque in vno loco quàm in alio opitulari: plus apud certam alicuius Sancti memoriam orantes exaudire quàm vel apud aliorū Sāctorū vel apud eiusdē Sācti alias memorias. Quade re sic sapienter scribit Sanctus Augustinus. *Vbiq; quidem Deus, est & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eū à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiēs, in occulto etiā iustificet ac coronet. Veruntamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius cōsiliū perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Moxque duabus citatis Sāctorū memorijs, Sancti Felicitis Nolæ in Campania, & Sāctorum Martyrum Mediolani in Gallia Cisalpina, vbi quotidiana tūc pene fiebāt miracula, addit. Nunquid non & Africa Sāctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sed optimā statim ex diuinis Scripturis huius secreti rationem clarissimus doctor subiungit. Sicut enim quod Apostolus dicit, non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent diuinationem spirituum, ita nec in omnibus memorijs Sāctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vni-*

cuique

cuique prout vult. Sic nō nisi in hac piscina, nec nisi ad certū aquæ motum, nec olim nisi in Iordane sanari Naaman leprosum, nec hodie nisi ad certas Beatissimæ Virginis in omnibus fere prouincijs Catholicis memorias (quas alibi in hoc opere recensuimus) varia tam externa quàm interna beneficia deprecantibus largitur Deus. Sextò notari potest, quod ad huius miraculi operationem ministerio Angeli Deus vitur, qui descendens aquam turbaret. Hinc enim discimus non esse à Dei sapientia & providentia alienum, quod Angelorum aut Sāctorum suorum ministerio vel patrocinio in certis locis vtatur ad varias gratiæ suæ opitulationes fidelibus conferendas. Sanè vnam miraculorum & opitulationum causam, quæ in certis Sāctorum memorijs sunt hanc adfert Sanctus Augustinus, quod *Deus merita Martyrum per eorum memorias commendare solet, quia hoc nouit expedire nobis ad edificandam fidem, pro qua illi Martyres passi sunt.* Sic docet in libro de cura promortuis gerenda, & libro. 22. de Ciuitate Dei. Hæc ex huius Euangelicæ historiæ doctrina annotare & tractare latius eruditus Concionator poterit. Valent enim singula contra delicata Nouatorum hodie & superbia ingenia.

2. Vis sanus fieri?

Locus pro libera hominis cooperatione in omnibus diuinæ gratiæ beneficiis recipiēdis: quam semper impius Calvinus negat. Hac enim interrogatione nobis significat Dominus se hominis libero arbitrio in salute conferenda vti. Saluat quippe & iustificat Dominus homines indigentes & impotentes: & longa sæpe peccatorum ægritudine languentes: (qualis hic maximè languidus erat) in quibus sanè sanandis maiori gratiæ latitudinē & efficacia opus est; sed non nisi sanari volentes, suæque libera cooperatione excitanti, & quocunque tandem modo operanti gratiæ Dei consentientes. Et quia ipsum primum velle sanari gratiæ Dei est, propterea hac sua interrogatione ad hoc ipsum languentem hunc excitat. Quo excitanti Christo cōsentiēte, suūque desiderium exponēte, eadē gratia quæ languētē excitauit, cōsentiēte cōfestim, sanauit. Christus enim interrogando, suæque interrogatione (quæ preueniens eius

gratia

In festo Nati-
uit. B. Virg.

6.
Sanctorum
patrocinia.

Cap. 16.

Ca. 9. & 10.

Liberi arbi-
trij cum Dei
gratia coope-
ratio.

Lib. 2. c. 124.
in Ioan.Instit. lib. 2. c.
3. num. 10.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

1.

2.

gratia erat) cum excitando, paratiorem eum reddidit (ait in hunc locum Sanctus Cyrillus) ad sanitatis gratiam suscipiendam. Qui enim Dei gratia ad bonum excitatus, ei se morigerum præbet, & ab eo se duci patitur, ab eadem adiuuatur ut plenè ac liberè consentiendo, eidem ad suam salutem cooperetur. Contrà docet impius Calvinus. *Mouet voluntatem Deus, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiare necesse est. Quem trahit volentem trahit. Quo insinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an suo auxilio iuari nobis adlubescat. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare. Sed quum suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit & possit, quid fiet nobis si ad eum modulum suam gratiam nobis impertiat? Imò nos ipsi eam obscuramus & extenuamus nostrâ ingratitudine. Non enim docet Apostolus offerri nobis bonæ voluntatis gratiam si acceptemus, sed ipsum velle in nobis efficere: quod non est aliud nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in possessione sua regnare. Nec verò per Ezechielem promittit se daturum electis Spiritum nouum hoc tantum sine ut in præceptis suis ambulare possint, sed ut reipsa ambulēt. Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo venit ad me, quàm ut efficacem à seipsa Dei gratiam doceat: quemadmodum & August. contendit in lib. de prædest. sanctorum. Hæc hæctenus Calvinus, ut doceat Christi gratiam non sanare eos, qui volunt sanari, ut hoc Euang. dicit, sic videl. ut operanti gratiæ cooperetur homo per suam voluntatem à Deo excitatam & adiutam; sed sanare eos quos gratia per seipsam efficax efficaciter sanare vult. Totam eius disputationem quàm sit Scripturis aduersa, paucis ostendemus. Primum sententiæ suæ absurditatem & impietatem prodit ipsemet, dum disertè profitetur his multis seculis aliter traditum & creditum fuisse. Fatetur ergo efficacem à seipsa gratiam quam ponit, nouellum esse, suiq; cerebri commentum. Dignum sanè dogma quod ab homine tam impio inuentum viri docti complectantur. Dicit repudiandam esse hanc Chrysostomi sententiam. *Quem trahit Deus volentem trahit. Et quare? Quia (inquit) hoc modo insinuat Deum porrecta tantum manu expectare an suo auxilio iuari homo velit. Atqui si per porrectam Dei manum, præuenientem**

nientem

nientem Dei gratiam intelligit Calvinus, quæ non solum pulsatur ad ostium cordis, sed & stat ad ostium cordis parata vterius adiuuare, si homo per consensum cor suum Deo aperuerit, per consensum inquam à Deo excitatum & adiutum, nihil absurdi dicitur Deum sic parata manu expectare interdum an homo ab ipso excitatus, auxilio illo Dei iuari velit. Hoc enim nihil aliud est quam quod disertè Deus in Scriptura dicit. *Ego sto ad ostium & pulso: Si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Deus enim porrecta manu gratiæ suæ ostiū cordis humani pulsatur, ac pulsando stat, id est expectat, vtrum aperiatur ei, id est, vtrum homo auxilio Dei oblato iuari velit, ut quæ fuit gratia præueniens, fiat gratia adiuuans: cooperante iam porrectæ gratiæ libera hominis voluntate. Et quia porrecta hac gratiæ diuinæ manu, Deoque expectante, an eius gratiæ auxilio iuari homines velint, multi reuera iuari nolunt, sed (ut Paulus loquitur) gratiæ Dei desunt, non cooperantes illi, nec ea iuari volentes, propterea ad tales Scriptura dicit. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Et iterum. Patienter agit Deus propter vos (id est, propter omnes homines conuersionem suam differentes) nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti.* Apud hos enim omnes Deus porrecta manu expectauit, & diu expectauit, an auxilio suo iuari vellent. Si autem Calvinus per porrectam tantum Dei manum, & per terminū illum restrictiuum dolosè additum, intelligat docere Chrysost. aut alios Catholicos, homines à Deo semel per solam præuenientem gratiam excitatos (hæc enim est porrecta tantum Dei manus) vterius à Deo non non adiuuari, sed facta illa cordis excitatione Deum expectare an homines sibi postea relictī, Dei pulsum sequi velint, repudianda illā doctrina est, quasi quæ non nisi præuenientem Dei gratiam ponat, & gratiam Dei perpetuò adiuuantem neget. Quod certè nec Chrysost. nec vllus Catholicus vnquam dixit aut sensit Omnes enim cum Aug. docent, *ideo totum Deo dandum esse, quia hominis voluntatem adiuuat preparatam, & preparat adiuuandam.* Præparat adiuuandam porrecta manu: sed præterea adiuuat præparatam non retracta manu, sed stando ad ostium ut aperiatur ei. Neque verò in eo discrimen est gratiæ Dei inter hominem stantem & lapsum, quod ille à Dei gratia excitatus ad alterutram partem inclinare se potue-

rit,

Gratia Dei
præueniens
expectat vo-
lentem.

Apocal. 3.

Hebr. 12.

Rom. 2.

2. Petr. 3.

De pec. mer.
& remiss. lib.
2. cap. 17.3.
Gratiæ Dei
discrimen
ante homi-
nis lapsum
& post.

rit, hic verò non possit, ideòque efficaci Dei gratia indigeat, qua Deus in ipso velit & possit, id est, vt in præcedentibus Calvinus docuit, vt velle & operari bonum in homine lapso sit solius Dei efficaciter operantis opus, non etiam humanæ voluntatis liberè Deo cooperatis; sed quum vterque tam primus homo ante lapsum quam quilibet homo lapsus à gratia Dei excitatus ad alterutram inclinare se possit (nam de homine lapso dicitur, *posuit eum Deus in manu consilij sui: Apposuit illi aquam & ignem, ad quod voluerit porriget manum suam: & maximo peccatori Cain dixit Deus, Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:*) in hoc tamen differt gratia primi hominis à gratia Christi homini lapso data, quod illa quidem dedit illi posse bonum si velle, hæc autem huic dat non solum posse, sed & velle & perficere: id est non solum adiuuat vt possit bene facere, sed etiam adiuuat vt velit atq; perficiat. Deus enim facit nos velle & perficere, non mutando voluntatem malam in bonam suo solo opere, suaq; sola efficaci gratia, vt docet disertè Calvinus, sed adiuuando vt velimus bonum atque vt perseueremus in bono, si ipsimet volumus, & adiuuanti Deo collaboramus. Hæc est clara & perspicua S. August. doctrina, à quo hanc efficacem gratiam doceri Calvinus affirmavit. Ille quippe doctissimus Pater docet Deum iuxta Apostoli verba *operari in nobis velle & perficere*, non efficaciter totum operando, sed misericorditer totum adiuuando. *Non est* (inquit) *homo bonus si nolit. Sed gratia Dei ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter scriptum est, Deus est qui in nobis operatur velle & perficere.* Ecce non inaniter Deus operatur in nobis velle, quia gratia sua adiuuat vt velimus. Rursum alio in loco. *Deus non solum posse nostrum donauit & adiuuat* (quæ fuit gratia primo homini data) *sed etiam velle & operari operatur in nobis: non quia nos non volumus aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Ecce iterum operatur Deus in nobis velle, quia sine eius adiutorio non volumus. Deus ergo non quidem *ad illum modulum* (vt loquitur Calvinus) *suam gratiam nobis impertit*, quem Adamo impertit. Non solum dat posse si volumus, sed etiam dat vt velimus, quia adiuuat vt velimus. Adiuuat inquam *potentiori gratia*, vt loquitur Augustinus, quia tali nunc indiget carnis nostræ corruptæ infirmitas, rixa, rebellio.

Eccle. 15.

Genes. 7.

Deus facit velle & perficere adiuuando.

Philip. 2.

Lib. 1. cap. 18. con. 2. epist. Pelag.

De grat. Christi cap. 25.

4.

De corrup. & grat. cap. 12.

Potentia

Potentia autè hæc diuinæ gratiæ est perpetua eius prorectio, directio & opitulatio. *Facile quippe* (ait Aug.) *succumberet voluntas humana nisi infirmitati eius subuentum esset, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur.* Sed hæc indeclinabilis & inseparabilis Dei operatio, est quidè perpetuum gratiæ adiutorium (*Adiutorium enim gratiæ proprie vocatur gratia*, ait idem August.) sed non est gratia ex se ipsa efficax, vt Calvinus loquitur, quæ sola totum operatur, & cum qua nos liberè non cooperamur. Adiuuat enim nos Deus, *quia nos cum illo aliquid agimus* adiungendo voluntatem nostram Deo, vt idem clarissimus doctor, cum quo se bene conuenire Calvinus iactitat, perpetuò docet. Denique sic cum Deo indeclinabiliter & inseparabiliter agente nos agimus, vt illo agente agamus nos si volumus, non agamus si nolimus. *Vtrumque enim hoc verum est*, ait Aug. *Deus Pater attrahit ad Filium homines, & dimittit homines vt quis quod voluerit eligat.* Rursum: *Posse habere fidem est natura hominum: habere fidem est gratia fidelium.* Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humana, sed in electis preparatur voluntas à Domino. Iterum alio in loco. *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur.* Ecce disertissimè docet hic celeberrimus doctor, sic Deum ad se trahere per gratiam, sic præparari voluntatem à Deo, sic dari à Deo potestatem vt filij Dei simus, denique sic habere nos fidem ex Dei gratia, vt homo quod velit eligat, vt in arbitrio voluntatis sit credere & non credere, vt suam voluntatem in melius mutare in ipsius hominis potestate sit. Sic potentior Dei gratia lapsis data, liberam lapsorum voluntatem, qua gratiæ ductum sequantur, ipso iudice Augustino, non excludit.

Quibus ita positis, ad reliquam Caluini disputationem nullo negotio responderetur. Quod Apost. dicit ipsum velle Deum in nobis efficere, *non est aliud* (ait Calvinus) *nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in sua possessione regnare.* Vera sunt hæc omnia, si intelligimus hæc omnia fieri salua hominis libera voluntate. Dirigit suo Spiritu, flectit, moderatur, vt homo quod velit eligat, si Augustino credimus, vel (vt Scripturæ verbis vtamur,) vt homo ipse faciat arborem bonam, & faciat sibi cor nouum, quia agente, flectente, & moderante Dei Spiritu, pedissequa voluntas sequitur si velit, non sequitur

Gratia in homine lapso potentior, non tollit liberam electionem.

De grat. Christi cap. 42.

Lib. & cap. od. num. 8.

Tract. 4. in pist. Ioan.

serm. 13. de verb. apost.

De pec. mer. & remiss. lib.

2. cap. 5.

Contra lit. Petil. lib. 2.

cap. 84.

De prædest. sanct. cap. 5.

Retract. lib. 1.

cap. 22.

Cor humanum quomodo Deus dirigit, flectit, moderatur.

Matth. 7. Ezech. 18.

si non

De Spiritu &
lit. cap. 34.

si non velit. *Visorum quippe suasionibus* (ait Augustinus) *agit Deus ut velimus & ut credamus, siue extrinsecus siue intrinsecus. Et his modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, profecto & ipsum velle credere Deus, operatur in hominibus. Consentire autem suasioni aut vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriae voluntatis est. Sic Deus dirigit, flectit, & moderatur suo Spiritu corda hominum ut eo dirigente, flectente, moderante, propriae hominum voluntatis sit, directioni, moderationi, vocationi, suasioni diuine obedire vel non obedire, consentire vel dissentire. Hæc est clara & perpetua Sancti Augustini doctrina iuxta illas Scripturas, quæ non secus nos iubent nos ipsos ad Deum conuertere, quam docent Deum ad sese nos trahere. Dicitur est in Scriptura* (ait Augustinus) *dabo vobis cor nouum, & dictum est, facite vobis cor nouum, quia dat quod iubet, (dicendo, dabo:) & adiuuat cui iubet, dicendo, facite. Sic facit homo arborem bonam* (ait idem Augustinus) *quando accipit Dei gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo & per illum & in illo qui semper est bonus. Deo igitur dirigente, flectente, moderante, homo seipsum ex malo bonum facit, non quidem per seipsum, sed ex Deo & per Deum, facit tamen & ipse, quia accipit Dei gratiam quam abiciere poterat: consentit vocationi Dei, cui dissentire poterat: poterat inquam non potentia remota propter naturalem libertatem adhuc relictam, sed potentia proxima, qua ad vtrumque liber est, sicut Adam ante lapsum fuit, siue ad bonum adiutus à gratia, siue ad malum neglecta gratia. Agens quippe voluntarium ab agente naturali in hoc differt, quod positis omnibus ad agendum requisitis, istud quidem necessitati agat, illud verò vel agat vel non agat, prout voluerit.*

De grat. &
lib. arb. ca. 4.

Homo quippe gratia inuatur (ait August.) *ne sine causa voluntati eius iubeatur. Frustra enim iuberetur facere (in hoc operum genere) nisi à Deo inuaretur ut faceret. Falso etiam & mendaciter inuaretur, si nihil ipse faceret. Sed quia inuatur, agit & ipse cum Deo sicut rationalis creatura agere solet, & sicut ille agere debet, qui bene agendo meretur, id est, cum libera prorsus vtriusque partis electione. Porro regnat Deus in cordibus piorum quasi in possessione sua* (ut ait Calvinus) *sed regnat & dominatur in hominibus liberis non seruis. Sicut regnat peccatum in mortem, (ait Apostolus) sic gratia regnat per iustitiam in vitam æternam. Sed peccatum regnat in seruis, quorum tamen seruitus cum quadam*

liber.

6.
Deus in cordibus piorum
quomodo
regnat.
Rom. 5.

libertate coniuncta est, quia nec coacti, nec vlla absoluta necessitate constricti peccato seruiunt. Gratia regnat in liberis, quia in filiis Dei, qui liberè seruiunt iustitiæ, *obedientes ex corde* (ait Apostolus) *in eam formam doctrinæ in qua traditi sunt.*

Iam verò ut cum Caluino pergamus, *dat Deus spiritum suum non solum ut in præceptis eius ambulare possimus, sed ut reipsa ambulemus, quia non in solo posse nos adiuuat, sed & in velle & perficere: ut iam satis superque explicatum est. Sic omnis qui audiuit à Patre venit ad Christum, non per efficacem à seipsa Dei gratiam* (ut ait Calvinus, & Augustinum hoc docere mentitur, nullo certo designato loco) *sed libera sua voluntate, loquenti & vocanti Deo Patri, consentiendo. Trahi à Patre ad Christum, nihil aliud est, (ait Augustinus) quam donum accipere à Patre, quo credat in Christum. Quod ex aliis CHRISTI verbis manifestè alibi probat, ubi Christus dixit. Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Iam verò hoc donum Patris quo ad Christum trahimur, non est efficax à seipsa Dei gratia, (ut Calvinus dicit) sed est efficax, suumque effectum sortitur, non secus à libera voluntatis cooperatione, quam ab ipsa Dei operatione, tractu, & dono. Hoc nisi ipse Augustinus doceat, vincat Calvinus cum sua efficaci gratia, & liberum tollatur arbitrium. Sin verò hoc ille clarissimus Doctor apertè doceat, impudentiæ & mendacij conuincatur Calvinus, omnesque sequaces eius, qui cum Augustino in hac causa sese conuenire, & hanc efficacem à seipsa gratiam ab Augustino doceri affirmant. Donum Dei & donum à Patre non secus est, *castrare seipsum propter regnum cælorum, quam credere in Christum ut salui simus. De hoc autem dono Augustinus explicans illa Christi verba. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, ita scribit. Ut hoc verbum quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium. Similiter ergo donum illud à Patre, quo ab eo tracti credimus in CHRISTVM, non ab omnibus capiatur, ab aliquibus capiatur, & donum Dei est & liberum arbitrium. Si ergo vtriusque est, non ipsius gratiæ à seipsa efficacis est, sed gratiæ cum libero arbitrio efficacis est. An fortè de dono castitatis hoc Augustinus docet, sed de dono fidei, quo Pater nos trahit ad Christum hoc non docet? Alia igitur eius loca recolamus. libro de prædestinatione Sanctorum, quem ipse pro sua**

d

efficaci

Rom. 6.

7.

8.

De prædest.
lib. 1.

p. 8.

Cont. 2. epist.
de lag. lib. 1.

p. 3.

Trahi à Patre ad Christum quid significet.

Matth. 19.

De grat. &
lib. arb. c. 4.

Cap. 3.

Tract. 26.
in Ioan.Degrat. Chri-
sti, cap. 14.

efficaci gratia citat Calvinus, nullo designato libri capite, de ipso credere in Christum & operari iuxta fidem Christi ita scribit: *Vtrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Iterum in eodem opere. Credere vel non credere est in arbitrio voluntatis humanae, sed preparatur voluntas à Domino: nempe per donum illud à Patre quo trahimur ad Christum. Trahimur enim ad Christum (ait alibi Augustinus) non quia violentia adhibetur (quam sanè docet Calvinus, docentque omnes qui liberam electionem excludunt) sed quia voluntas excitatur. Trahi ergo à Patre ad Christum, iuxta claram Augustini doctrinam, quam ad suas partes mendax Calvinus trahit, non est aliqua gratia à seipso efficax, sed est gratia excitans voluntatem, cui illa liberè cooperatur vel non cooperatur, quia capere hoc donum quo à Patre trahimur, & Dei donum facit & liberum arbitrium, ut supra ex Augustino accepimus. Quod adhuc alio loco reperit, dicens: *Quis non videat & venire quemque ad Christum, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, (potest esse solum dicit, quia aliquando etiam quando non venit, non est solum, sed gratia adiutum, quam proteruè abiicit) non autem potest nisi adiutum esse si venit.* Manet ergo salva electionis nostræ libertas: & quum sanat Christus, eos sanat qui sanari volunt, per excitantem gratiam vnumquemque interrogans, ut nostrum habet Evangelium, *Vis sanus fieri?* Plura quidem pro sua impia sententia disputat Calvinus, & aliis Scripturis in hanc rem abutitur. Sed & hæc præcipua sunt, & illa alia, si qua occurrat occasio, non secus donante Deo, refutabuntur. Pro huius Evangelij explicatione hæc pauca sufficere possunt.*

*Evangelium Sabbati in Domi-
nica prima Quadrage-
sima,*

Matth. 17.

Quod est de Transfiguratione Domini. legitur in Dominica sequenti. Proinde quod ex illo Evangelio

contra

contra nostri temporis hæreticos dici aut disputari poterit, videat in parte Dominicali concionator.

*Feria 2. hebdom. 2. Quadra-
gesima.*

*Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro
moriemini.*

Ioan. 8.



Locus explicandi inanem & infructuosum hæreticorum laborem (qualis Iudæorum erat & est, quem Christus hic futurum prædicit) in quærendo Christum, quem inuenire non possunt, sed in peccato incredulitatis suæ moriuntur, sicut Iudæi increduli usque hodie. Prænu-
ciat Iudæis Christus se quidem quoad corporalem & natura-
lem eius præsentiam, iuxta modum naturalem migrare
& transire de hoc mundo ad Patrem, & quæ iam ab eorum con-
spectu sublato, fore ut quærant eum non inuenturi, sed in
peccato suo, id est, pertinaciæ & incredulitatis (hoc enim
Iudæorum proprium & maximum peccatum erat) morituri.
Iudæi autem, Christo iam in cælum recepto, quomodo
quærebant eum, & adhuc Messiam suum quærent, nisi in
Scripturis suis, in lege, in psalmis & prophetis? Quas qui-
dem per singula sabbata legunt; quas eorum magistri &
Rabbini commentariis suis illustrare conantur; in quibus
denique quæ David, quæ Esaias, quæ alij Prophætæ de fu-
turo Messia clarissime prædixerunt, illi ne ad Christum ve-
rum eorum Messiam vilo modo pertineant, insigniter per-
uertunt, de regno Messia temporali, de ipso Dauide, Sa-
lomone, Ezechia, aliisque eorum piis Regibus diuini
cultus instauratoribus, ea omnia explicantes, quæ de
CHRISTO propriè dicuntur: ideoque verum Mes-
siam, quem quotidie studiosè quærent & avidissimè ex-
pectant, nunquam inueniunt, sed in peccato pertinaciæ
& incredulitatis suæ miserè moriuntur. Improperavit hoc
ipsum illis Christus dicens. *Scrutamini Scripturas, quia vos
putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ quidem sunt
quæ testimonium perhibent de me, sed non vultis ad me venire,*

Ioan. 13.

Iudæi quæ-
runt Chri-
stum in Scri-
pturis, & nō
inueniunt.

Ioan. 5.

ut vitam habeatis. Ait illos de facto scrutari Scripturas, non tamen ad Christum venire per lectionem Scripturarum, quia Christum in illis videre nolunt. Quærent in illis Christum, & non inveniunt, sed in peccato pernicitæ suæ moriuntur. Idem Paulus de Iudæis obseruauit. *Vsq̄ue in hoierum diem quum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Legunt Moysen, legunt alias Scripturas, sed propter velamen incredulitatis, & quia litteræ occidenti inhærent, inuenire Christum non possunt.

Idem in omnibus quidem omnium temporum hæreticis accidit, quum *non aliunde nata sint omnes hæreses* (ait Sanctus Augustinus) *quàm quia Scriptura bonæ intelliguntur non bene*: sed in nostri temporis potissimum id accidisse videmus. Scripturas hodie, solâsque Scripturas legunt, tractant, vertunt, exponunt, commentariis, postillis, scholiis, Annotationibus, negotiosissimè exagitant. In illis se vitam æternam habere, ex illis solis omnem veritatem petendam esse, clamitant, prædicant, scripitant. Hactenus tamen in illis Christum inuenire non potuerunt. Studium eorum non reprehenditur, sicuti nec Iudæorum reprehendit Christus. Hoc in illis deploramus, quod in Iudæis futurum prædixit Christus. Quærent Christum in Scripturis, sed non inveniunt, in peccato suo morituri. Quærent videlicet, non qualem Scripturæ describunt, sed qualem illi volunt, sibi que finxerunt. Non quærent Christum, suos fideles & electos verè sanctificantem & iustificantem, sed suam suam illis iustitiam (illis inquam impiis adhuc & iniustis) gratuito imputantem. Non quærent Christum obedientiam mandatorum & bonorum operum studium à suis electis necessario flagitantem, sed sola fide absque legis obligatione suos iustificantem. Non quærent Christum bonis iustitiæ operibus amplissimam vitæ æternæ mercedem promittentem, sed in huiusmodi promissionibus solummodo adhortantem, & id agentem, ut intelligant se non frustra laborare. Non quærent Christum in sacramento quod instituit verè & realiter præsentem, sed quærent illum tam procul ab illo absentem quàm cælum à terra distat. Non quærent Christum in aliis sacramentis sanctificantem, suæque gratiæ dona impertientem, sed acceptas iam gratias obsignantem solique fidei confirmandæ subseruientem. Denique non quærent CHRISTVM in Ecclesia sua Catholica & Apostolica, non in Pastoribus & Doctoribus quos dedit, sed in

seipfis,

seipfis, seipfos prædicantes, suum ipforum in omnibus iudicium sequentes.

Postremò (ut paulo explicatius aliquid dicamus) sicut Iudæi quærentes Christum in Scripturis, idèo eum non inveniunt, quia non talem Christum aut Messiam quærent, qualem Scripturæ exhibent, sed qualem iuxta carnales affectus suos desiderant; id est, non eum quærent, qui in humilitate venturus, multa acerba & indigna passurus, per humilitatem & passionem exaltandus, regnum spirituale erigeret, & in libertatem spiritus à diaboli potestate omnes in eum credentes affereret, & hoc modo toto orbe regnaret; (qualem Scripturæ prophetiæ ac legales manifestè eum describunt) sed eum quærent, qui in gloria & potentia mundana venturus, omnes Iudæorum hostes manu forti debellaturus, & ipsos Iudæos in summam libertatem asserturus, fœlicitatem illis terrenam, longèque ac latè patentem dominationem conferret, qualem ipsi sibi finxerunt, omnes in Scripturis promissiones illis factas non nisi carnaliter intelligendo, idèoque nisi bona carnalia somniando; eodem prorsus modo hæretici hodie quærentes Christum & veritatem eius Evangelicam in Scripturis, idèo ea non inveniunt, quia non illum Christum, nec illam veritatem Evangelicam quærent, qualem Scriptura Prophetica & Evangelica exhibent, sed qualem ipsi iuxta carnales suos affectus hac demum ætate nostra sibi metipsis fingentes exoptant: id est, non quærent Christum, qui *idèo semetipsum nobis dedit, idèo docuit, idèo venit, ut dissolueret opera diaboli, ut liberaret nos à seruitute peccati, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut sublato timore & spiritu seruitutis extincto, spiritum adoptionis filiorum Dei, suum ipsas spiritum mitteret in corda credentium, diffusa charitate in cordibus eorum per Spiritum sanctum, (qui illius Spiritus est) qui datus est nobis, ut sic Lex Spiritus vitæ liberaret nos à lege peccati, ut sic facti noua creatura in Christo, & creati in illo seu per illum in operibus bonis, seruamus illi in sanctitate & iustitia coram Deo omnibus diebus vitæ nostræ, ut sic abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobriè, piè ac iustè in hoc seculo viuamus, ut sic non regnet amplius peccatum in corpore nostro, nec dominetur nobis, sed regnet gratia per iustitiam in vitam æternam, quia non su-*

d 3

miss

Iudæorum
& hæretico-
rum hodie
Christum
in Scripturis
frustra quæ-
rentiū com-
paratio.

Esai. 52. &
53.

Tit. 2.

1. Ioan. 3.

Luc. 1.

Rom. 8.

Gad. 5.

Rom. 5.

Rom. 8.

Gal. 5.

Ephes. 2.

Luc. 1.

Tit. 2.

Rom. 6.

Rom. 5.

Rom. 6.

Rom. 5.

Philip. 2.

Rom. 2.

Rom. 1.

Ephes. 1.

Rom. 8.

2. Tim. 4.

Matth. 5.

Hebr. 10.

mus sub lege, & sed sub gratia, imo abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ accepimus, vt sic denique in timore & tremore salutem nostram operantes, per patientiam boni operis per iustitiam Dei in Euangelio reuelatam, per bonum & legitimum certamen, in fide & charitate radicati, ac spe futurorum bonorum salui facti, coronam iustitiæ à iusto iudice, mercedem veram & copiosam à remuneratore Deo percipiamus, qualem Scripturæ Euangelicæ & Apostolicæ nobis luculentissimè describunt, sed eum Christum quærunt, qui in eius nomen credentes partim per solam peccatorum remissionem absoluens, & hoc modo iustificans, partim suam illis iustitiam & obedientiam imputans & hoc modo eos iustos coram Deo declarans, eos interim quoad seipsum profus in iustos & impios in seipsis relinquit: quia etsi inchoatam quandam in illis sanctificationem ipsemet per suum Spiritum in illis operetur, atque ita operetur, vt hoc solius diuini Spiritus opus sit per gratiam ex seipsa efficacem, nullo cooperante libero hominis arbitrio, tamen propter peccati reliquias in illis manentes, propter concupiscentiam carnis, & legem membrorum, quam penitus in hac vita excutere non possunt, rem coram Deo damnabilem, hæc ipsa sanctificatio inchoata, & hoc ipsum solius diuini Spiritus opus, mera est immunditia, mæxæ sordes, vnde veri & immundi peccatores semper manent, in seipsis iniusti & impij, nullam in seipsis inherentem iustitiam habentes, Legem Dei nunquam implentes, ideoque Christum à credentibus in eum non nisi solam fidem & specialem confidentiam ad salutem & iustificationem necessariam requirere, ad mandatorum obseruationem (vtpote ipsis regeneratis impossibilem) non obligare: bona quæ dicuntur opera (quanquam solius Dei in nobis sint opera) nullam iustitiæ rationem habere coram Deo, nihil promereri, nedum vitam æternam: sed ea quum à credentibus præstantur, gratitudinis tantum ergo, & quia sic filios docet præstari: Denique Christum quærunt qui in eius promissiones gratuitas credentes certos semper ac securos de salute esse iubeat, quia nec à fide accepta excidere possunt, qui semel crediderunt, nec alia fides nisi promissionum Dei certa persuasio credentem propriè iustificat, nec ad salutis certitudinem vlla profus operum habenda ratio est. Talem Christum Calvinus in Scripturis quærunt, talem reliqui huius ætatis hæretici, vt sic in solam fidem ac diuinæ beneuolentiæ persuasionem recumbentes, peccati

Bena in Annot. ad Rom. 4.

Calvinus Instit. lib. 2. c. 3. num. 2. & 10.

Idem ibid. li. 3. c. 3. num. 13.

Calvinus in Harmon. ad ca. 7. Matth. & in c. 1. Luc.

cati victoria, vitæque puritate & integritate desperata, vel carnis suæ desideriis liberis profus laxent habenas, vel certè eius mortificationem rem minimè ad salutem necessariam, nec nisi ex abundanti & liberaliter à iam iustis, Deoque per fidem reconciliatis susceptam, frigidissimè exerceant. Sic Christum quærunt, qualem nulla describit diuinitus inspirata Scriptura. Quærunt, & non inueniunt, sed in peccato suo moriuntur: quodque deterius est, & Iudaica perfidia detestabilius, innumeras animas secum in mortis exitum trahunt. Iudæi quippe vt apertè perfidi, seipsum tantum perdunt. Isti Christiano nomine velati, innumeris Christianis mortem & interitum attulerunt. Quæ autem hîc de hæreticis diximus, tametsi nota sint & perulgata eorum axiomata, verè tamen de illis, & nimis verè dici, ex nostris Antidoris Euangelicis & Apostolicis, quæ meditamur, per ipsorum verba, quæ in medium proferentur, & Deo dante refutabuntur, cuiuslibet lectori perspicuè constabit.

Iam verò & alia ratio est, cur hæretici quærentes hodie Christum in Scripturis, eum non inueniunt: seque ipsos & alios longissimè à Christo abducunt, in peccato suo morientes, aliosque ad mortem pertrahentes. Quærunt quippe quod amplius quærere non debebant, quod iam dudum inuentum & cognitum credere debebant, non quærere. Doctrinam & fidem Euangelicam in Scripturis quærunt, quam à tot retrò seculis inuentam, exploratam & creditam, quærere iam non debebant, sed credere. Pulchrè hæc de re Tertullianus tam nostri temporis, quam sui hereticos, de hac temeritate, & ipso quærendi peccato reuincens. *Vnus (inquit) & certi instituti (quale imprimis fides Euangelica est) infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est donec inuenias, & credendum ubi inuenieris: & nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti.* Quærunt igitur hæretici hodie Christum, & non inueniunt, quia omninò quærere non debebant, sed in Ecclesia Catholica à tot retrò seculis inuentum Christum & creditum, credere quoque & ipsos (si Christiani esse volunt, (opporrebat, quodque maiores sui crediderunt, credere & custodire, non quærere & altercari. Potrò si quærendum adhuc aliquid circa Christum erat, hæc inquisitio in tribus articulis (ait Tertullianus) consistit. In re, vt quid sit quærendum consideres: In modo, vt prout in seipso, vt quædo. Ad re quod attinet, qui fidem

Hæretici Iudæis peiores.

Hæretici quærunt quæ quærere nõ deberent, sed credere.

In libel. Præscriptionum contra hæreses, cap. 9.

Ibid. ca. 10.

Fides aut nō
quærenda,
aut quomo-
do. 2. Tim. 3.

Cap. 12.

Ibid. cap. 10.
Quærendi-
finis esse de-
bet.

In feſto S. S.
Petri & Pau-
li, tex. 6.

In Annotat.
in cap. 2. Luc
in cap. 6. in
Roman. & a
libi.

fidem negavit. *Nemo enim querit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit.* Quare de huiusmodi quærentibus, proprièque hæreticis Apostolus dicit, *eos esse semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.* Ad modum quod attinet, si quærendum circa fidem aliquid est, *in nostro* (ait Tertullianus) *& à nostris, & de nostro quærendum est, idque duntaxat, quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.* Nihil ergo mirum tant innumeros hodie CHRISTVM quærentes eum non inuenire, quia non in Ecclesia, sed vel apud seipsos, vel apud alios hæreticos eum quærun: nec salua fidei regula quæstiones difficiliore indagant, sed contra fidei regulam propositiones absurdissimas confingunt: quarum postea confirmationem in Scripturis quærun, & non inuenientes, diuinas Scripturas indignissimum in modum torquent, contorquent, adulterant, deprauāt, & placitis suis subseruire compellunt.

Ad tempus quod attinet, *vbi erit finis quærendi* (ait Tertullianus) *vbi statio credendi, vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit. Quarite & inuenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit. Et Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquam dum vbi que conuenior.* Hæc ille. Demus ergo nostri temporis hæreticis quærendum esse hodie in Scripturis Christum quasi hætenus non inuentum: Demus post 1600. iam pene annos veram & Euangelicam latuisse fidem: quod vt illi impiè & absurdissimè asserunt, ita eius impietatem & absurditatē in alio huius Promptuarij loco patefecimus. Vbi erit finis quærendi? vbi tandem inueniemus Christum in Scripturis, vt semel inuentum non amplius quæramus, sed credamus, & quod semel credidimus, firmiter teneamus? Apud Lutherum qui primus Christum tot seculis sub scamno latentem inuenisse videtur? Sed adhuc proponit Zvvinglius quærendum esse melius Christum errante Luthero. Apud Zvvinglium? Reclamat Calvinus, quo iudice Zvvinglius quid sit manducare in cœna Dominica Christum necdum inuenerat. An apud Calvinum? Non acquiescit vel ipse Beza, qui in variis Scripturis intelligendis, aberrasse à scopo Calvinum ostendit, vt in nostris Antidoris patebit. An apud Bezam, aut totam sectam Calvinisticam? Opponit formaliter tota Anabaptistarum colluies. Opponunt semper per totam Germaniam Lutherani, qui contra

han

hanc sectam bellum calamarium iam à multis annis gesserunt, geruntque adhuc hodie. An apud ipsos Anabaptistas? Contradicunt fortissimè noui in Polonia & Transilvania Trinitarij & Ariani: qui adeo nec Lutherum, nec Calvinum, nec Rotmannum Anabaptistarum patrem Christum adhuc in Scripturis inuenisse contendunt, vt Lutherus quidem (ipsorum iudicio) Romanæ Ecclesiæ tecta nonnihil patefecerit, tegulas & lateres longè proiiciendo, Zvvinglius verò & Calvinus Ecclesiæ parietes magna vi demoliti fuerint, isti aut in malleis & ligonibus, omnique ferramentorum genere armati, ad ipsum Ecclesiæ fundamentum eruendum, totamque domum euertendam summa vi nixi incubuerint. Quis ergo, aut quando tandem erit quærendi CHRISTVM finis? Sanè apud hæreticos nostri temporis nullus. Qui vbi semel abiecta maiorum suorum, totiusque Ecclesiæ Catholicæ fide, Christum, quasi necdum inuentum, quære coeperunt, nullum quærendi finem fecerunt; sed quod illis accidit, qui via regia & tuta derelicta, nouas quærun semitas, quæ rectius contendere, & breuius ac facilius viatorem ad itineris finem conducere videntur, vt in auia & deuia longissimè aberrantes, quò diutius ambulant, eò se implicatius implexos & impeditos cernant, vt tandem nec quò ulterius peregere, nec qua se ab horridis illis auis expedire, nec vnde reuertendi in viam initium capere possunt, videre aut aduerere queant, idem profus & in istis vsuuenit. Relicta enim Catholica Christi Ecclesia, disertis atque contemptis totius veteris Ecclesiæ Patribus Magistris ac Doctoribus, derisis sacrosanctis Conciliis, publica & notissima Christianorum fide abiecta nouas quærendo semitas, nouas cuedo de die in diem confessiones, Apologias, Christianæ fidei Instituriones, (scripserunt enim Lutherani suam Augustanam Confessionem scripserunt Zvvingliani suam Helueticam, scripsit Beza suam propriam, scripsit suas Institutiones Calvinus, scripsit & suas Bullingerus, scripserunt Lutherani varias) vt magis expeditam & breuiorem ad cœlum viam, per solam iustificantem & saluantem fidem adinuenirent, in omnes illas quas diximus sectas, multoque plures, horrenda eorum auia, longius & longius aberrando inciderunt, vt nunc qui Lutherani primo fuerunt, posteaque Caluistæ proficientes semper in peius, idest, quærendo semper quod non inueniunt, Trinitarij, Tricheitæ, aut aut Ariani facti, alij tres esse deos doceant, alij tres esse per-

d s sonas

In Colloquio
cum nouis A-
rianis habito
Petroconia in
comitis regni
Poloniae, an.
1566.
Hæretici ho-
die quæren-
dò quàm
procul. aber-
rarunt.

sonas in vno Deo negant, alij Christi diuinitatem penitus reiiciunt, alij & Spiritum Sanctum in ordinem redigant, solum Deum Patrem confitentes, veterumque Patrum omnium consensum non secus repudient in illis Scripturis interpretandis, quæ contra veteres Sabellianos, Arianos, Macedonianos, & alios prolatae fuerunt, quàm eorundem Patrum consensum & expositiones Lutherani & Calviniani repudiant circa doctrinam libertatis arbitrij, iustitiæ bonorum operum, cultu Sanctorum, totius doctrinæ de Sacramentis, de vera Ecclesia, eiusque autoritate & hierarchia. Profusus enim & isti non minus quærere voluerunt, quàm alij. Non minus sibi licere arbitrati sunt veterem fidem circa Deum & Christum à tergo reiicere, vt suo quoque iudicio atque arbitrio veritatem in Scripturis quærerent, quàm priores illis sibi fas esse existimant, tota conculcata & despecta maiorum fide, circa articulos & materias prædictas, nouam in Scripturis fidem & Evangelicam veritatem quærere. Cæterum vt quæserunt quidem omnes, sed suo ipsorum iudicio non omnes inuenerunt, quia quærendi finem plerique non fecerunt, atque adeo adhuc à quàm plurimis in Anglia, Germania, Gallia quæritur, quid credi debeat, quærunt Puritani, quærunt Super illuminati, quærunt Anabaptistæ, sic qui iam inter eos quærere desierunt, (si qui tamen tales sunt quasi inuenta pura pura veritate Evangelica, in ea sibi conquiescendum firmiter statuerunt, vana profusus & inani spe seipos lactauerunt. Serò quippe, ac nimis serò quærere cœperunt. Nec vlla maior ratio est cur primò quærentibus credatur, quàm cur secundò aut tertio quærentibus. Si enim post 1500. annos necdum inuentus fuit Christus, cur iam credam à Luthero inuentum fuisse, aut cur magis à Luthero quàm à Caluino, & sic à cæteris etiam subsequitis, & de nouo semper quærentibus? Cæterum stat firma sententia Christi. Nec Iudæi loquente semel Christo, eiusque Evangelio propagato, quærere amplius debuerant, sed Evangelio credere, nec vlli postea hæretici, (necdum nostri hodie post tot secula,) fide Evangelica semel propagata, stabilita, per totum mundum credita, certissimeque inuenta, vllam nouam fidem quærere, sed à maioribus acceptam credere, & creditam custodire debuerunt. Alioqui iuxta Christi verbum. *Quærent illum, & nõ inueniēt, sed in peccato suo morientur.*

Feria

Feria 3. hebdom. 2. Quadragesima.

1. Super Cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, seruate, & facite.

Math. 23.



Locus pro necessaria obedientia Ecclesie Magistris ac Præpositis præstanda, tum vt seruentur & credantur ea quæ docent credenda, tum vt fiant ea quæ præcipiunt facienda. Ait enim Christus vtrunque. *Seruate & facite.* Torfit hic locus Caluinum, omnesque hæreticos torquet, *qui cathedram contra cathedram, & altare contra altare erigunt*, vt veteres pie & grauitex loquuntur. Docet quippe disertissime Christus audiendos esse qui cathedram tenent, id est, qui potestatem docendi legitimam habent, vtcunque aliter ipsi viuant quàm docent: quod illis quidem summum dedecus ac viruperium est, ouibus autem & subditis nullum impedimentum esse debet, quò minus rectæ & orthodoxæ eorum doctrinæ acquiescant. Versat se hic in omnem partem Caluinus. Nec apertam veritatem diffiteri potuit, nec à loci tamen corruptela abstinerere voluit. *Sedet (inquit) in cathedra Moysis, qui non ex seipso, vel proprio sensu, sed ex Dei autoritate & verbo præcipit.* Rectè hoc quidem. Sed quia quilibet magister mendax, qui non nisi ex seipso loquitur, venditare id sibi potest & solet, quod ex Dei autoritate & verbo præcipiat agrè quidem adiecit, sed necessario adhuc adiciendum vidit de legitima docentis vocatione quæ proprie ad cathedram Moysis, vel Christi pertinet. Addit igitur: *Simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo audiri Scribas iubet Christus quod publici essent Ecclesie Doctores Rectissime.* Cur igitur Caluine publicos Ecclesie Doctores despexisti? Cur absque legitima vocatione eiectione prius Episcopo, qui cathedram illic tenebat, Geneuæ post Farellum ac Viretum, qui primi erant, docendi munus tibi arrogasti?

Optatus li. 1.

In Harmon.
Euangel. ad
ca. 23. Matth.

Cur

August. epi.
163.

Calvinus
Christo &
sibi contra-
dicit.

Cur denique eorum communionem deseruisti, quos per orbem terrarum successionis ordinem custodientes, sedere in sedibus episcopalibus vel uidiisti, vel audisti, & Donatistarum impietatem hac in parte imitari uoluisti? Pupugit hic scrupus Calvinum, & sibiipsum malè conscius, tantum facinus à se amoliri studiosè contendit. Subiungit igitur. *Papistis satis est titulo præsides esse ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim torquent uerba Christi, quasi necesse sit obedienter recipere quicquid mandant ordinarij Ecclesie Præsides.* Ecce agnoscit Catholicos locum occupare qui leges imponunt, & esse ordinarios Ecclesie Præsides: non tamen recipiendum esse quicquid mandant. Nonne igitur & Christo & sibiipsum contradicit? Christo, qui de huiusmodi dixit. *Quicunque dicunt, seruate & facite: sibiipsum, qui dixit. Audiri uolet scribas Christus, quod publici essent Ecclesie Doctores?* Aut ergo malè iubet hoc Christus, aut CHRISTO contradicit Calvinus: Iubet audiri Christus, Non est necesse audire, ait Calvinus. *Obedienter quippe recipere quod mandant, audire est in sensu Christi, id est, seruare & facere ea quæ dicunt.* In quas se hinc angustias compegit Calvinus, qui ut schismatis sui fœditatem quoquo modo obtegeret, eodem penè habitu pugnantia protulit?

Sed placuit illi magis posterior assertio, quam ut astruat, Christum quoque sibi contradicere bonus interpret monstrare uult. Addit enim: *Atqui satis superq; hæc calumnia refellitur, altero Christi edicto, ubi à fermento Phariseorum cauere iubet.* Calumniam uocat ipsam Christi doctrinam de audiendis Scribis & Phariseis, super cathedram Moysis sedentibus. Hanc ab ipso Christo, per alterum eius edictum satis superque refelli ait. Nonne bellus interpret Calvinus, qui Scripturas inter sese committit, qui Christi doctrinam calumniam uocat? qui Christi hoc loco doctrinam ipso Christi edicto refellit? Sed quomodo tandem refellit? Sequitur. *Si rejicere auctore Christo non tantum fas est, sed etiam oportet, quicquid puræ legis doctrinæ de suo Scribæ admiscerent, certè non sine delectu & iudicio amplecti conuenit, quicquid ipsis mandare libuerit.* Hæc ille. Cæterum quo sensu à fermento Phariseorum Christus cauere iusserit, & quod illud Christi edictum huic eius mandato nihil repugnet, ad illa ipsa uerba (Matthæi capite 16.) contra Calvinum demonstrauimus. Summa est, quando ex cathedra loquuntur, qui cathedram legitime tenent, id est, quando iuxta doctrinam à maioribus suis con-

tinu

tinua successione acceptam docent, audiendos illos esse, ut Christus hinc mandat; quando uero non à maioribus acceptam, sed suam aliquam, nouam, & propriam doctrinam adferunt, quasi fermentum pessimum reiiciendam esse. Atque hoc modo quatenus super cathedram sedent, seruare & facere oportet quæ dicunt, obedienter recipere necesse est quicquid mandant: quatenus fermenta admiscerent, cauendi sunt: An autem fermenta admisceant, necne, non populi, aut cuiusuis è populo, sed Superiorum Prælatorum aut Synodalis authoritatis est, discernere ac iudicare. Hoc hæreticorum schisma nihil iuuat. Hoc legitimæ Præpositorum Ecclesie authoritati nihil derogat.

Pergit tamen Calvinus, ut Ecclesie magistris obtemperandum non esse doceat. Deinde (inquit) *si hominum præceptis eorum conscientias hic Christus obstringeret, falsò alibi pronuntiat frustra Deum coli hominum mandatis.* Ecce rursus probare uult, non esse audiendos Ecclesie Doctores, quos Christus audiiri iubere dixerat. Rursus & sibi & Christo contradicit. Hæc hæreticorum hodie nefaria impietas est, apertissima Scripturæ uerba, ex aliis eius uerbis iniquissimè detortis, peruerunt & corrumpunt. Quo sensu Christus dixerit, *supra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum*, infra suo loco latè explicabimus, & illa uerba huic Christi mandato nihil aduersari, contra Calvinum demonstrabimus. Concludit Calvinus. *Hinc apparet Christum eatenus populum hortari ut Scribis pareat, quantisper in pura & simplici legis interpretatione manent.* Christus non hortatur tantum, sed & iubet populum (*seruate & facite*) Scribis parere, non quidem quatenus legis interpretationem puram tradunt, de qua populus iudicare non potest, purane sit & simplex, an impura & adultera sit, sed quatenus in cathedra Moysis sedent, id est, quatenus traditam sibi & acceptam à maioribus doctrinam administrant: de quo populus iudicare, & nouane an uetus doctrina sit quam adferunt, discernere facile potest populus iam orthodoxus ac fidelis: qualem hinc Christus alloquebatur.

Sed pulchrum est, quod ex S. Augustino quædam profert Calvinus, quasi stimulo ueritatis adactus, quæ & hunc locum appositè elucidant, & luctam hanc & recalcitrationem Caluini inanem atque impiam fuisse demonstrant. *Scitè enim Augustinus (ait Calvinus) & appositè ad Christi mentem Scribas super cathedram Moysis sedendo Legem Dei docuisse ex-*

ponit

Hæreticorū
hodie im-
pietas.

Infer. 4. heb
dom. 3.

Matth. 16.
Calvinus sic
Christum
exponit, ut
eum sibiipsum
contradicere
faciat.

In Antidotis
Euangel. ad
cap. 16. Matt.
Scribæ quo-
modo audiē-
di, & ab eo-
rum fermento
cauendum.

ponit: ideoque oves debuisse vocem pastoris per ipsos audire tanquam per mercenarios. Quibus verbis continuo post subiicit, Deus ergo per illos docet. Sua vero si docere velint, nolite audire, nolite facere. Tract. in Ioan. 46. Cui sententia respondet quod idem tradit lib. 4. de doctrin. Christiana. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, ideo utiliter audiuntur, qui etiam non agunt. Cathedra ergo non Scribarum, sed Moysis cogebat eos bona docere, etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita sua, docere autem sua cathedra eos non sinebat aliena. Hic præter solitum circa Scripturæ Euangelicæ sensum Augustinum proferre Caluinus voluit; sed contra caput suum tantum Doctorem protulit. Vterque locus de fermento malæ vitæ in doctore veritatis, non de fermento doctrinæ propriæ in falso magistro loquitur, & quidem, ut fatetur Caluinus, appositè ad mentem Christi hoc loco. Neque enim hic Christus aliud docet, quàm doctores veritatis secundum veritatem non ambulantes, in eo quod docent audiendos, in eo quod malè ambulant non sequendos esse. Quæ doctrina contra aliam Caluini & Calvinistarum hæresim plurimum valet, quapropter peccata Pontificum & cleri Catholici (quæ quam possunt studiosissimè exaggerat) nec Pontificibus, nec clero Catholico obediendum esse vociferantur. Sed Caluini sensum schismaticum, quod sedentibus in cathedra obedire non sit necesse, Augustini verba nulla ex parte insinuant. Imò si posterioris loci verba integrè posuisset Caluinus, illum apertè refutassent. Sic enim habent integra Augustini verba, à Caluino artificiosè mutilata. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt, ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim querere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemoravi diceret, præmisit. Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua cathedra non permittebat aliena. Hæc Augustinus, ex cuius verbis callidè refecit Caluinus, sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Hæc quippe verba ipsam causam attingunt, cur qui cathedram Christi tenent, sua docere non audent, ideoque necessariò ab omnibus audiendi

De doctrin.
Christi. lib. 4.
cap. 27.

Augustinus
à Caluino
artificiosè
mutilatus.

diendi sunt. Nempe quia de loco loquuntur Sedis ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Non quia qui illum locum tenet docere falsa non possit, sed quia qui falsa docet, illum locum tenere nequeat. Illum enim locum sana doctrina constituit: quam qui non docet, ab illo loco depellitur, ut Nestorius, Eunomius, Eudoxius, aliique plurimi ecclesiasticæ sedis loca tenentes, à suis locis depulsi sunt, quia sanam doctrinam deseruerunt. Cathedram ecclesiasticam, ait Aug. sana doctrina constituit: id est, cura & providentia Dei de ecclesia sua factum semper est, fit & fiet, ut quum contra eius ecclesiam portæ inferi præualere nequeant, & sine legitimè vocatis Pastoribus portæ inferi prævalerent, legitimè sacerdotes Pastores nunquam defunt. Vnde alibi S. August. Cælestis magister de malis repositis securam suam plebem fecit, ne propter illos doctrina salutaris Cathedra desereretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra unitatis posuit doctrinam veritatis. Hæc ille. Vide eundem in lib. de Pastoribus, cap. 10. & contra Petilian. lib. 2. cap. 61.

2. Qui maior est vestrum, minister vester erit.

Quum doceat hic locus, eumque semper ecclesia sic intellexerit catholica, summam in ecclesia dignitatem, non imperiū esse tyrannicum aut profanum, vbi stat pro ratione voluntas, sed ministerium ad utilitatē populi Dei, ideoque summus in ecclesia Dei minister, aptissimo titulo à multis iam seculis professus fuerit, vocās se seruum servorum Dei, profanus Caluinus, cui omnia catholice ecclesiæ displicent, hunc ipsum titulum hoc maxime Christi verbo fundatum, ore rabido arrodit. Quid (inquit) prodest, quod papa tyrannicis legibus oppressuras miseris animas, se seruum servorum Dei præfatur, nisi ut palam insultet Deo, & hominibus probrosè illudat? Hæc ille. Quid verò prodest quod superbus & maleficus hæreticus Caluinus, tam innumerus scripturæ euangelicæ corruptelis oppressurus miseris animas, se ministrum verbi venditat, & supremo in ecclesia christi sacerdoti impuro ore maledicit, nisi ut palam insultet christo qui petro dixit, Pasce oves meas, & in vna petri cathedra vnam ecclesiam suam monstravit, & omnibus hætenus christianis probrosè & impiè illudat, qui à tot iam seculis huius sedis apostolicæ primatum constanter

Epist. 166.

Caluini pro-
cacitas in
Summo
Pontificem
retunditur.

Ioan. 21.
Cyprian. in l.
de unit. Eccl.

constanter & vnanimiter agnouerunt : Quomodo autem intelligenda sunt illa Christi verba, *Qui maior est vestrum, minister vester erit*, commodius in Euangelio proximè sequentis feriæ explicabitur, vbi latius eadem doctrina à Christo traditur.

*Feria 4. hebdom. 2. Quadra-
gesima.*

LEgitur huius diei Euangelium in festo Diui Iacobi Apostoli. Quare in secunda parte de festis, habes illa verba contra hæreticos tractata. *Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, nõ est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo*. Hic tamen alia duo loca ex eodem Euangelio à Caluino corrupta adiciimus.

Matth. 20.

1. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.*

Prælatu-
ræ affectus non
res à Chri-
sto prohibe-
tur.

Totum hoc loco Christi institutum atque doctrinam inuertit Caluinus, vt omnem in Ecclesia Christi prælaturam subuertat, seque & suos ab omni obedientiæ vinculo ac necessitate eximat. Ostendit Christus (inquit Caluinus) primatum, qui certaminis inter discipulos causa erat, in regno suo nullum esse. Et paulò post. Ecclesiæ Pastoribus nihil pluss Christus detulit, quam vt ministri sint, à domino autem prorsus abstineant. Quare notandum est magis de re ipsa quam de effectu haberi sermonem. Hæc ille. Cæterum euidenter patebit Christum de solo ambitionis affectu, non de re ipsa prælaturæ aut primatus in se hoc loco disputare. Christus enim duobus hic exemplis vtitur, vt hanc discipulorum cõtentionem de primatu compescat. Vnum proponit regum & Principum huius mundi, quod fugere debent: Alterum proponit de seipso, quod amplecti debent. Neutrum exem-

plum

plum primatum tollit, sed vtrumque exemplum factum & ambitionem in primatu condemnat. Separat CHRIS-
TUS Apostolos à Regibus, non quia nullum illi primatum exercere debeant, sed quia fastuosè dominari non debent sicut Reges terræ, quia pro suo libito aut commo-
do præesse non debent, sicut Reges terræ præesse solent. Verum quidem est Regibus quoque non licere sese efferre inaniter, nec iuste ac legitimè dominari, nisi suorum commodis seruiant, (quæ duo hic notat Caluinus) sed non in hoc Ap-
stolos à Regibus seiungit Christus, vt fingit Caluinus, quasi Apostolis nulla planè prælatura, nullus primatus conueniat; nec illam moderationem, quæ Regibus adesse debet, docet hoc loco Christus, quasi in Apostolis quomodocunque mo-
deratum ac temperatum primatum inhiberet; sed contra, ambitionem & vanitatem, quæ Regibus inesse solet, proponit ob oculos Christus, vt illam penitus Apostoli fugiant. *Principes gentium* (inquit) *dominantur eorum*, κατακυριεύουσιν, id est, dominium exercent contra suos, hoc est enim κατεκυριεύειν, quum simpliciter & legitimè dominari sit κυριεύειν. Notauit huius verbi vim hoc loco Beza, & vertit: *Dominantur in eas*. Hoc enim (inquit) vocabulo κατεκυριεύουσιν, & eo quæ proximè sequitur, κατεξιστάσασιν, non quauis dominatio signifi-
tur, sed cum imperiosa quadam acerbitate coniuncta, quam prohibet Paulus ad Ephes. 6. vers. 9. Vbi monet dominos remittere manus, seu non minaciter dominari: Sic accipitur verbum κατεκυριεύουσιν Act. 19, vbi dicitur de maligno spiritu, Dominatus amborum inualuit contra eos: κατεκυριεύουσιν αὐτῶν. Sic 1. Petr. 5. accipitur, non dominantes in clericos: μηδὲ ὡς κατεκυριεύουσι τῶν κληρῶν. Ideo etiam interpretatus sum, κατεξιστάσασιν αὐτῶν, licentia vtuntur aduersus eas: quum alioquin soleamus ἐξιστάσασιν, interpretari auctoritatem. Videtur enim licentia plerunque poni in vitio. Nam alioquin fideles verbi Dei ministri auctoritate funguntur minimè omnium cõtemnenda, quam paucis explicat Paulus 2. Cor. 10. Hæc hætenus Beza, magistri sui Caluini ignorantiam ex proprietate verborum Christi luculenter patefaciens. Ex his quippe liquidò constat non de re ipsa & legitima auctoritate Principum huius mundi Christum disputare, vt Caluinus affirmat, sed de prauo affectu & imperiosa dominatione, qua vti solent, quod Caluinus negat. Hunc prauum & secularem typhum remouet à suis Apostolis Christus, nõ omnem penitus primatum & auctoritatem

Caluinus
sensum ver-
borum Chri-
sti inuertit.

In Annot. in
um Te-
stam. ad cap.
o. Matth.

Caluini
ignorantiam
Beza patefacit.

e

legiti

legitimam, quam in loco Pauli à Beza annotato, aliisq; in locis iam dudum annotauimus.

1. Tim. 3.
Prælatorum
Ecclesiæ of-
ficium,
1. Tim. 5.

Docet Christus, qui inter discipulos eius maior esse vo-
luerit, id est, qui Episcopatum desiderat, vt Paul. loquitur,
(velle enim hoc loco non prauam cupiditatem, sed lauda-
bile institutum animique propositum significat, ideòque
verbum θέλω ponitur hoc loco, non βελομαι, quòd impe-
tu quodam ferri significat, vt illud Pauli. *Qui volunt diuites
fieri, òi βελομένοι πωλεῖν*, erit vester minister: id est vestris
commodis seruiet, non suis, & vestrum honorem quæret,
non suum. Et hunc perspicuum litteræ sensum, quem peni-
tus inuertit Calvinus, sequentia Christi verba, & alterum
de seipso exemplum luculenter confirmant. Ait enim: *Sicut
filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare ani-
mam suam pro multis.* Sicut in me videtis quòd non ideo in
mundum veni, vt mihi à pluribus ministraretur, vt essem
Magister ac Dominus, tamen reuera à plurimis mihi mi-
stratum fuit tam viris quàm mulieribus, & inter vos fui
tanquam *Magister & Dominus*: sed potissimum veni pro-
pter bonum aliorum, vt illis verbum vitæ administrarem, &
animam meam pro salute omnium ponerem, sic vos ad
Ecclesiasticas prælaturas vocati & missi conscendere debe-
tis, non honoris & emolumentum vestri causa, tamen vtrum-
que vobis debeat. (*Qui enim bene præsunt presbyteri, du-
plici honore digni sunt*) sed vt tanquam boni pastores alio-
rum curam habeatis, & quidem parati *animas vestras pone-
re pro ouibus vestris*, vt alibi plenius Christus docet. Hic est
totius doctrinæ Christi hoc loco sensus germanus & pro-
prius, quem impius Calvinus voluit inuicere, vt legiti-
mam in Ecclesiæ Prælati authoritatem, ad quam adhuc
Geneuæ pertingere non potuit, penitus conuelleret. Nam
& ideo postea Beza eandem authoritatem hoc loco tuetur,
quia iam Geneuæ dominari Calvinus cœpit, ipseq; Beza ad
dominium illud aspirabat, quod & post Calvinum conse-
quutus est.

Ioan. 13.
2. Tim. 5.
Ioan. 10.

2. Et dare animam suam redemptionem
pro multis.

Calvinus hoc loco temperare sibi non potuit, quin do-
cumento huic saluberrimo aliquid veneni inspergeret.

Si

Sic enim scribit: *Apud sciteq; vis & fructus mortis Christi ex-
primitur, dum vitam suam pretium nostra redemptionis esse af-
firmat. Unde sequitur nobis gratuitam esse reconciliationem cum
Deo: cuius non alibi quàm in morte Christi pretium reperitur.*
*Itaque hac vna voce auertitur quicquid de putidis suis satisfac-
tionibus garrunt Papista.* Hæc ille; putido admodum argu-
mento vsus, & tadiculè garruens, nec Papistas, sed totam An-
tiquitatem scurriliter perstringens. Putidum & infulsam ar-
gumentum est. Vna Christi mors precium est reconcilia-
tionis nostræ gratuitæ cum Deo. Ergo omnes satisfactio-
nes, quas Catholici docent, putidæ sunt, & hac vna voce re-
felluntur. Satisfactiones enim quas post totam Antiquita-
tem Catholici hodie docent, nec reconciliationis nostræ
cum DEO pretium aliquod esse docentur, nec eiusdem
causæ omnino vllæ ponuntur. Satisfactio enim eorum est,
qui iam Deo reconciliati per Christum sunt, non autem vt
Deo reconciliemur adhibetur. Homo impius Deo recon-
ciliatur & iustificatur, seu ex impio iustus fit, per gratui-
tam remissionem peccatorum, pretio sanguinis Christi il-
li concessam. Vt hæc peccatorum remissio obtineatur,
alia sanè ex parte hominis iustificandi requiruntur, fides
imprimis, amor Dei, spes veniæ, dolor de præteritis,
emendationis propositum & huiusmodi: quæ omnia nec
pretium, nec causæ, sed dispositio tantum necessaria
sunt ad remissionem peccatorum gratuitam consequen-
dam: At verò satisfactio, quæ relapsis propria est, homi-
ni iam reconciliato imponitur, non vt peccatorum remis-
sionem consequatur, quam iam habet, eamque gratui-
tam beneficio mortis Christi: sed vt peccatorum pœnæ
temporales subeantur. Qui reconciliatur Deo à pœna pec-
catorum aterna liberatur, regniq; cœlestis hæres consti-
tuitur: Cuius tamen possessionem prius adire non potest,
nisi iustitiæ Dei, qui pœnas temporales exposcit, satisfiat.
Quod totum multis Scripturæ exemplis Catholici lucu-
lenter probant, nosque ex parte attigimus in huius Ope-
ris parte 2. Ridiculè igitur garrit Calvinus, qui satisfac-
tiones, quas Catholici docent per gratuitam reconcilia-
tionem refutari affirmat, quum ad illam reconcilia-
tionem nihil prorsus illæ pertineant, sed eam iam factam &
completam ex alio capite consequantur. Papistarum verò
nomine totam Antiquitatem scurriliter perstringit, quorum
sententia de Satisfactione vna pœnitentiæ salutaris parte

Caluini pu-
tidum argu.

Satisfactio-
nes pœniten-
tium non
repugnant
redemptio-
ni per Chri-
stum.

In die Ani-
marum.

Calvinus
Papistarum
nomine to-
tam Anti-
quitatem
flagellat.
Instit. lib. 3.
cap. 4. nu. 38.

ram clara & copiosa est, vt Calvinus eam negare non ausus, contemnere tamen non sit veritus. Sic enim scribit. *Parum me mouent quæ in veterum scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè ac durè loquutos.* Hæc ille. Non igitur de satisfactionibus garrunt Papistæ, sed tota garrit Antiquitas, nisi & veteres omnes Papistas esse velit: quod libenter amplectimur: quia & verum est.

Cæterum quia sub honestissimo hoc fuce & prætextu *Redemptionis* per Christum factæ, omnes in vniuersum satisfactiones pœnales pro peccatis subeundas, alij hodie hæretici omnes non solum vt superuacaneas, sed etiam vt impias & gratiæ Christi contumeliosas penitus condemnant, eorum ignorantia vno verbo docenda est, quomodo cum plenissima per Christum redemptione & satisfactione, nostræ tamen necessariæ satisfactiones conueniunt. Sic Christus satisfecit pro omnibus, sicuti mortuus est pro omnibus. Per ipsam enim mortem satisfecit DEO Patri pro peccatis omnium. Mors autem Christi non reddit Deum Patrem omnibus hominibus de facto propitium, sed vt cunque interueniente illa morte, in arbitrio Dei Patris relictum est, quibus & quatenus & quomodo eius beneficium applicare velit. Vnde Christus profiteretur, *sic Patrem et omnis carnis potestatem dedisse, vt omne quod dedit ei Pater, det eis vitam æternam.* Solutionem itaque omnium pœnarum in morte Christi, quæ illis omnibus præponderauit factam, Deus Pater non simpliciter pro omnibus acceptauit, (infiniti enim sunt quibus illa mors non prodest, sed potius in ruinam fuit) sed simpliciter & absolutè & efficaciter pro quibusdam tantum; quos hic multos Christus vocat. *vt daret animam suam in redemptionem pro multis:* & alibi, de sanguine suo dicit: *qui pro multis effundetur:* & apud Esaiam, *qui tulit peccata multorum.* Hos autem multos quis dubitat esse credentes in Christum, pœnitentes vitæ actæ, obediens denique mandatis, & voluntati Dei? Dicente luculenter Paulo de Christo, *per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Quum igitur aliæ Scripturæ voluntatem Dei Patris hanc esse doceant, non solum vt Deo semel reconciliati per Christum in eum semper credamus, sed etiam vt piè ac sanctè viuamus (*hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*) ac

demum

Satisfactiones redemptioni per Christum non repugnant.

Ioan. 17.

Lucæ 22.
Esaiæ. 53.

Hebr. 5.

1. Thessal. 4.

demum vt offenso per peccatum Deo pœnitentiam agamus, qualem ille Corinthius fornicarius egit, tantam & talem vt iam timendum Paulo fuerit, ne *nimiu tristitia atjorberetur*, ad qualem relapsum Simonem Magum Petrus, & relapsum Episcopum Ephesinum Ioannes hortantur, ac præterea ab ipso Deo inflictas propter peccatum pœnas (*quam disciplinam filijs necessariam vocat Paul. & iudicium Dei, quod à domo Dei incipere debeat*, vocat Petrus) necessario subire debeamus, luce meridiana clarius est satisfactiones pœnales pro peccatis subeundas, siue voluntariè susceptas, siue à Deo vel ab eius Ecclesia impositas, Satisfactioni & redemptioni per Christum factæ non magis præiudicare, detrahere, contradicere, quàm fidem & obedientiam vniuersam Deo nihilo secius præstandam.

2. Cor. 2.
Act. 8.
Apocal. 2.
Hebr. 12.
1. Petr. 4.

Feria 5. hebdom. 2. Quadragesima.

Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

Luc. 16.



Locus ab hæreticorum hodie corruptione necessario vindicandus. Quum enim duo hic loca diuersa ab Euangelista recensentur, *locus tormentorum diuitis in inferno, & deportatio mendici in sinum Abrahæ*, posteriorem hunc locum deprauant, ne inter cœlum & locum damnatorum medius aliquis locus statuatur, in quo defunctorum animæ vel ante Christi aduentum, si iusti & pij erant, requiescerent; vel tam ante quàm post, si aliquas peccatorum sordes expiandas secum deferrent, pœna quadam (vt Augustinus loquitur) emendatoria purgarentur. Volunt quippe hunc sinum Abrahæ ipsum esse cœlum, vbi animæ fruuntur visione Dei, & non quendam inferorum locum, quem limbum Patrum veteres Patres appellauerunt. Quare impius Calvinus, di-

Enarr. in
Salm. 37.

Instit. lib. 2.
cap. 15. nu. 9.

stinctum hunc tam à cœlo quam ab inferno damnatorum locum impudenter & procaciter fabulam vocat. Sic enim scribit: *Nescio qui factum sit ut infernum, ad quod Christus in symbolo dicitur descendisse, posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen limbi. Sed hæc fabula tametsi magnos auctores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est. Hæc ille.*

Instit. lib. 3.
cap. 25. nu. 6.

Iam verò non solum à loco subterraneo, sed & ab omni penitus loco hunc sinum Abrahæ remouere contendit. De loco (inquit) non minus inepta & inutilis est quæstio, quando scimus non eam esse animæ dimensionem quam corporis. Quod sinus Abrahæ dicitur beata sanctorum spirituum collectio, nobis abundè est ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium Patre, ut nobiscum fidei suæ fructum communicet. Vult ergo Calvinus hunc sinum Abrahæ, in quem anima Lazari per Angelos deportata fuit, nec subterraneum, nec vllum alium locum fuisse, sed tantummodo statum quandam animæ beatæ illo verbo significari. Sed hoc est toti huic Evangelio bellam apertum decernere, & in eius euerfionem machinas in omnium conspectu erigere. Certè si sinus Abrahæ certus locus non erat, nec ipse infernus, quem locum tormentorum Christus vocat, locus vllus erit. Hæc enim duo Christus sibi inuicem opponit, & diuitem quidem in loco tormentorum fuisse, Lazarum verò in sinum Abrahæ deportatum fuisse affirmat. Motum localem describit Euangelium ministerio Angelorum factum, ut de loco dubitare non liceat. An verò etiam & infernum damnatorum nullum esse certum locum infidelitas Calviniana dicit? Sanè argumentum quod facit, æquè illud conuincit atque alterum. *Futilis* (inquit) est quæstio de loco quando non est ea animæ dimensio quæ corporis. Ergo nec animæ damnatæ in inferno tanquam in loco erunt. Quòd si locus tormentorum, qui hic infernus dicitur, locus certus non erit, nec locus beatorum, de quo Christus dixit, *Vado parare vobis locum*, veri nominis locus erit. Ita impius Calvinus dum medium locum omni studio & conatu tollere molitur, eodem conatu & molimine, supremum & infimum locum cœlum & infernum eripit, & ineptam ac futilem esse quæstionem concludit de huiusmodi locis disputare. An non ad apertum atheismum hæc infania tendit, ut nec cœlum, nec infernum vlla iam loca habeantur, sed certi status

Sinus Abrahæ locus subterraneus & medius.

Calvinus dum mediū locum negat, cœlum & infernum tollit.

Ioan. 14.

imagi

imaginarij, aut quietis, aut poenarum? Animæ vero seu beatorum seu damnatorum tametsi non habeant locum qualis est corporibus, habent tamen etiam suum quandam locum, quum nec infinitæ sint, aut vbiq; sicut Deus, sed substantiam habeant circumscriptam sicut Angeli, nec in hoc mundo, sed extra illum versentur. Erit igitur sinus Abrahæ locus aliquis, in quem Patrum veteris testamenti animæ receptæ fuerūt, tum à cœlo, quod nemini ante Christum glorificatum paruit (per illum enim *propalata est via sanctorum*, ille primus per suum sanguinem ingressus est sancta sanctorum. ut alios postea eo attraheret, nam & hoc erat *parare nobis locum*) tum ab inferno damnatorum loco, quo veteres sanctos descendisse nec ipse Calvinus affirmauerit, prorsus distinctus. Quam sanè distinctionem localem Euang. verba luculètius docet, vbi dicitur *inter Abrahamam et diuitem magnum hiatus firmatum esse, ut qui velint hinc transire ad damnatos non possunt, neque inde huc transire. Quæ sanè verba tametsi quoad voluntatem beatorum transeundi ad damnatos improprie dici posse videantur, quia talis in eos non cadit, tamen locorum distinctio non nisi proprie accipienda est, sicut status eorum proprie distinctus est, nec fieri possit ut distincta loca non occupent, quorum ita diuersus ac distinctus est status. Quo ipse tandem Calvinus penitus aduertens in commentariis ad hunc locum, tametsi rursus repetat, *neesse non esse certum hic locum imaginari*, postea tamen locum ipse designat. Ait enim fideles post mortem in Abrahæ sinum colligi, *quia eodem in cœlis domicilio fruuntur*: moxque clausum illum transitum, de quo modo dictum est, exponit, *si quis è cœlo ad inferos descendere velit*. Iam ergo ponit sinum Abrahæ in ipsis cœlis, & certum ei locum designat, sibi ipsi contradicens, nisi fortè & cœlum ipsum beatorum domicilium locum esse negare velit: quod si negat, infernum quoque locum esse tormentorum negare, textumque præsentis Euangelij expungere, & eradere debet.*

Nunc ergo contra impium Calvinum ostendetur sinum Abrahæ, & certum locum fuisse, & non in cœlis, sed in inferis, locoque subterraneo suum situm habuisse. Ac primum facile est aduertere, ipsum nos sensum docere, sinum à quo metaphora sumpta est, rem esse continentem, non contentant, sicuti dicitur sinus hominis & sinus maris: quæ vtraque locum & receptaculum quasi solatiij alicuius &

Heb. 9. & 10.

Calvinus à seipso refutatur.

Probatu sinum Abrahæ fuisse locum medium & subterraneum. Argum.

a Tract. 3. in
Ioan.

b Hom. de di-
uite.

c Comment
in hunc loc.

Actor. 2.

2. Argum.
Genes. 37.

2. Cor. 5.

3. Argum.
Genes. 44.

Psal. 48.

4. Argum.

quietis significant. Et ab istis metaphoris dictum esse sinū
Abrahæ Patres exponūt, de priori a Augustinus & b Chry-
sostomus, de posteriori c Theophylactus. Nam locū quie-
tis hoc nomine significari, illa Euang. nostri verba testatur,
de Lazaro in hunc sinum recepto, *nunc hic consolatur*: Fuit
ergo hic sinus Abrahæ locus quietis quidē & solatiū, sed
apud inferos ante Christi aduentum, vt de ipsis beatis ac
iustis apertè Scriptura demonstrat. Petrus enim apertis ver-
bis affirmat, *Dauidem non ascendisse in celum*, neque de illo
intelligi potuisse, quod dixerat, *Non derelinquas animam meā
in inferno*. Vnde planum fit, Dauidis animam derelictam es-
se in inferno, quum à communi aliorum conditione non
exciperetur. At in inferno damnatorum illum propterea
fuisse, aut in sinum Abrahæ receptum non fuisse, nec ipsi
hæretici dixerint. Est ergo sinus Abrahæ nec ipsum cælum
nec infernus damnatorum, sed infernus quidam medius ab
vtrouque loco distinctus. Rursum quum Iacob dixit, *Descen-
dām ad filium meum lugens in infernum*, non hoc dixit de in-
ferno damnatorum, tum quia tantam desperationem illi
Sancti Patriarchæ non licet ascribere, tum quia filium suū
Ioseph in damnatorum numerum retulisse acbitrandum nō
est, nec dixit de sepulchro aut fossa, vt malè feriat quidam
homines ita textum peruertunt, tum quia filium suū à fera
pessima deuoratum existimans, de sepulchro eius cogitare
non potuit, tum quia etsi vox Hebraica *בְּיָדוֹ* aliquando &
perrarō fossam significet, tamen nec Græca vox LXX. inter-
pretum *δολος*, nec infernus apud Latinos in illa significatio-
ne vnquam accipitur. De illo igitur inferno loquitur, qui
erat sinus Abrahæ patris sui, ad quem se descensurum dixit.
Nam & iusti ipsi cum luctu ex hac vita migrant, vt cun-
que meliorem statum firmiter expectantes, quia (vt Paulus
dixit), *upunt superuēstiri, nō expoliari*. Similiter quod alio lo-
co idem Iacob dixit, *deducetis canos meos ad inferos*, de seipso
loquens, nec de sepulchro intelligi potest propter postero-
rem causam superius allegatam, quæ & hic locum habet,
quum eadem hīc vox sit, nec de inferno damnatorum, ne
iterum tanto viro desperationem ascribamus. Infernum igi-
tur intelligit sinum Abrahæ, & locum illum solatiū ac quie-
tis, quem veteres iusti interim expectabant, donec adue-
niēte Messia ad cælestia & supera conscendere daretur. Vn-
de disertè dixit Dauid *Redime Deus animam meam de ma-
nu inferni quum acceperit me*. De inferis semper loquuntur

veteris

veteris testamenti Patres, non de superis, quando statum
iustorum post hanc vitam designant, quia non ad cælum
adhuc conscendere, sed in inferno tantisper detinendos se
esse credebant. Quare Dauid generaliter, etiam de ipsis iu-
stis dixit: *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem, eruet
animam suam de manu inferni?* Vbi generale receptaculum
notat, piis & impiis commune. De quo etiam & Iob dixit.
Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.
Quibus in locis, sepulchrum intelligi non potest, vt volunt
hæretici, quum innumeri variis casibus tollantur, qui carent
sepultura. In hoc inferno erat Sāctus Ptopheta Samuël, vn-
de mulier Pythonem habens, Deo ita permittente, eum ex-
traxit. Hic est igitur medius ille & subterraneus locus, non
quidem in profundo inferni, qui est locus damnatorum, &
tormentorum, in quem diues epulo coniectus est, sed supe-
rior eius inferni limbus seu extremitas, ad quem *oculos suos
eleuans* diues epulo describitur: quasi, quia altior & superior
erat Lazarus ibi cum fidei Abrahæ quiescentem videre
potuerit: non quod oculorum organo hoc actum fuerit, sed
sola notitia & scientia, ad maiorem diuitis pœnam ipsi re-
uelata. Ipsa tamen ei reuelata notitia ita describitur, vt lo-
cis vtriusque, damnati diuitis & beati pauperis, conueniat.
Quæ explicatio veritati & historiæ Euangelicæ conformis
(non enim parabolam hic proponi, sed rem gestam narrari, ipse-
met Calvinus agnoscit) diligenter retinenda est; vt hoc
exemplo locum esse medium intelligamus inter sta-
tum beatorum & damnatorum, qualis tum Purgatorij
locus est, tum ille infernus erat, in quem C H R I-
S T V S post mortem descendit, vt piorum animas inde
eriperet. Quod vtrumque hodie hæretici impiè negant,
eūque ob finem huius Euangelij textum deprauare cō-
tendunt. Sed Christum ad hunc infernum, vbi erat sinus
Abrahæ & limbus Patrum, verè descendisse, nec locum il-
lum fabulam esse, vt profanus & impius Calvinus garrit, ad
illum Petri locum, *In quo & his qui in carcere erant spiritibus
ueniens predicauit*, in nostris Antidotis Apostolicis explica-
tum est.

Cur autem, aut qua ex causa fabulam id esse Cal-
uinus affirmat? Nam (inquit) *concludere in carcere puerorum
animas puerile est. C H R I S T I autem animam illuc descen-
dere vt eas manumitteret, quid opus fuit?* Duo dicit. Sed cause
aut rationis vim neutrum habet. Dicit primū puerile

E s

esse,

Psal. 88.

Iob. 30.

5. Argum.
1. Reg. 28.

1. Petr. 3.

Inst. lib. 2. ca.
16. num. 9.

Caluin. pu-
tuda cauilla
refelluntur.

Calvinus au-
dax in rei-
ciendo : pu-
ridus in pro-
bando.

1. Petr. 3.

In Fer. 4. heb-
dom. sancta.
Inst. lib. 2. ca.
16. num. 9.

Ibid. num. 8.

Calvinus à
seipso refuta-
tur.

esse, vt puerorum animæ in carcere concludantur. Dicit hoc, sed non probat, Rogat secundò quid opus fuit Christum in infernum descendere, vt puerorum animas manumitteret. Neque hæc vlla probatio est, sed simplex interrogatio. Ita neutrum quod dicit probat, sed contra vtumque aliquid obiecit, quasi que velit. Ita Calvinus in reicienda antiquitate audax & impudens est. In eo quod asserit legitime firmando, magis mutus quam piscis est. Ad vtamque verò velitationem suam responde. Si puerile est puerorum animas in carcere concludere, puerile quoque fuit, illos veterum Patrum spiritus in carcere concludere, de quibus Petrus dixit, *In quo & his qui in carcere erant spiritus veniens prædicauit.* Puerile quoque erit animas damnatorum in inferni carcere, quem locum tormentorum, Euangelium nostrum vocat, concludere. An fortè virorum animas carcere concludi Calvinus affirmabit, puerorum negabit? At quid magis puerile aut ineptum fuerit? Deinde Limbus ille Patrum, quem fabulam vocat Calvinus: non puerorum tantum, sed & omnium Patriarcharum & veteris testamenti iustorum locus extrat. Excipit tamen ille de pueris tantum, vt puerile figmentum esse scommate magis quam argumenro vsus concluderet. Quod autem rogat qui opus fuerit Christum, eo descendere vt eas manumitteret, non ignorabat hanc causam fuisse, vt Dei deinceps visione gauderent, qua prius carebant, & sic semper cum Domino essent. Hanc causam impugnare debuit, non dissimulare, nisi quod dissimulare facilius & honestius erat quam impugnare. Quanta autem cum blasphemia, alium Christi ad inferos descensum excogitauerit, infra plenius dicetur. Cæterum nunc Calvinum ipsum Caluino opponimus. *Limbum Patrum & hunc inferni locum qui sinus Abrahæ erat, tametsi magnos Authores habeat, fabulam, & nihil quam fabulam esse affirmat.* Atqui eodem in libro & capite, numero præcedenti, de descensu Christi ad inferos disputans ita scribit. *Id extra controuersiam est, ex communi priorum omnium sensu hunc Christi ad inferos descensum desumptum fuisse, quando nemo est Patrum, qui non in suis scriptis eum commemoret, tametsi interpretatio ne diuersa.* Nunc igitur quia Caluino non displicet descensus Christi ad inferos saltem aliquo sensu & modo, Patrum ea de re consensus tanti apud eum momenti est, vt ex eo concludat extra controuersiam esse, ex

com-

communi priorum sensu desumptam hanc sententiam fuisse. Atqui quia Caluino displicet limbus Patrum, tametsi illa res magnos authores habeat, & Patrum, similiter consensu firmeretur, fabula nihilominus erit, & nihil quam fabula. Sic sunt Caluino candida vel nigra, non quæ huiusmodi in seipsis sunt, sed quæ oculis eius huiusmodi videbuntur. Denique hominis affectus totius illi regula veritatis est. Quod populo fideli patefacere non abs re erit, vt hæreticorum ingenia cognoscant. Patres autem, qui locum testantur à Caluino negatum, hi inter cæteros sunt: Paulinus in Panegyrico Celsi. Irænzus lib. 4. cap. 19. Eusebius demonstrat. Euangel. libro decimo capite octauo Nazianzenus orat. 2. de Pascha. Chrysostomus in demonstration. quòd Christus sit Deus. Epiphanius hæres. quadrages. sexta. Ambrosius de myst. Pasche capite 4. Hieronymus in cap. 9. Zachariæ. Augustinus epistol. 99. & de ciuit. Dei libr. 20. cap. 15. & de anima, & de eius origine libro quarto capite 6. Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 36. Gregorius lib. 6. epistol. 179. Omnes isti Caluino fabulatores & nugigeruli videntur, rerumque diuinarum penitus ignari. Hæc videlicet est modestia hodie hæretica. Sic illi Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi sunt.

*Vt portaretur ab Angelis in sinum
Abrahæ.*

Locus obseruandi contra hæreticos huius temporis priorum animas Angelorum ministerio ad quietis suæ loca deportari, quum è corpore migrant. Ex eo quippe manifestum sit, Sanctos quoque in cælo regnantes, quorum patrocinia in vita deposcimus, piis morientibus adesse, eorumque animas sua commendatione & apud Deum intercessione quasi in cælum leuare, quatenus transitum illum faciliorem expeditiorem faciunt. Neque enim vel hæc Angelorum deportatio corporale qui fuit, sed misericordiæ diuinæ erga illum pium pauperem executio, vel inferiori aut apud Deum loco aut erga homines charitate Sanctæ beatorum animæ sunt quam Angeli: Dicente Christo de huiusmodi, quod *Angelis æquales erunt.* Porro si certa & cõperta res est, morientibus hominibus, etiam piis ac fidelibus, malignos spiritus adesse, eisq; insidiari, & eorū in cælū transi-

Sanctorum
patrocinia
in hora mor-
tis.

Luca. 20.

tum

Dom. Pente.
text.7.Lib.8. contra
Celsum.Ora. ad S. A-
nastasiam.In Monodia
in S. Basil.

Ser. de Mart.

Natal.3.

In Nata SS.
Mar. Tauric.Eudomio in
B. Virg. Ma-
riam.

tum modis omnibus impedire (quod in Promptuario Mo-
rali pluribus exemplis confirmatum dedimus) dubitari non
debet beatorum Spiritus ab altera parte eisdem adesse, &
patrocinium impendere. Nam & hanc maiorum nostrorum
fidem fuisse, varia Antiquitatis testimonia demonstrant.
Scribit Origenes tam de Angelis quam de cæteris beatorum
spiritibus, eos ne vocatos quidem vltro Deum vnà comprecari,
generiq; huic nostro adesse, & cum dæmonibus certamen intre,
quos viderint eorum impugnare salutem, qui se Deo permiserunt.
Est autem maximum contra nos, in hora mortis, dæmonum
certamen. Quare & in eo maximè articulo Sanctorum pa-
trocinia inuocantur. Sophia Romana Sanctæ Anastasiæ
Martyris mater, sic eam inuocat. *Esto mihi in hac breui & ca-
duca vita bona nutrix senectutis, & pro me ad æternam vitam
transmigrante intercedas, communem mihi placans Dominum.*
Similiter & Gregorius Nazianzenus, Episcopus doctissimus
& Theologus cognominatus, suum defunctum Basilium il-
lum magnum his verbis inuocat. *Cum emigrabimus, nos ibi
tuis excipe tabernaculis.* Sic Sanctus Ephrem Martyres om-
nes oratione compellat. *Nunc o beatissimi viri, o gloriosissimi
Martyres Dei, me miserum vestris iuuate precibus, vt in illa ho-
ra misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta ho-
minum.* Hæc autem hora mortis est: Nam in die extremi iu-
dicii nullus intercessioni locus erit. Sic Sanctus Paulinus
Sanctum Felicem Martyrem suæ ciuitatis patronum im-
plorat.

*Tunc demum placidos pietate laboris alumnos
Absoluas mittente manu, positasq; tuorum
Ante tuos vultus animas, vectare paterno
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora.*

Quare & Sanctus Maximus Episcopus de Sanctorum gen-
tis suæ patrocinio & tutela ita scribit. *Semper nobiscum sunt,
nobiscumq; morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custo-
diunt, & de corpore recedentes defendunt.* Eadem fide ac pie-
tate imbutus Euthymius monachus & multorum Mona-
chorum Pater, sic Beatam Virginem Deiparam alloquitur.
*Itaque vt dum hic quidem manemus, nos protegas supplicamus
rursus autem vt cum excedemus, in adibus semper viuentibus
& luminosis habitemus, deprecamur.* Docent hæc exempla

Sanctorum

Sanctorum patrocinia non in reliqua tantum vita, & ad alia
diuinæ gratiæ beneficia impetranda à piis & fidelibus ex-
peti, sed & in hora mortis, & ad foelicem animæ de corpore
exitum, vt contra dæmonum insidias in transitu defendatur,
piè ac studiosè implorari. Nam & sic non secus à beatis
Sanctorum spiritibus, quam hoc loco ab Angelis, in sinum
Abrahæ deportantur piorum defunctorum animæ. Quæ
quanto magis hæretici hodie derident ac subsannant, eò
studiosius explicari hoc loco poterunt. Sanè ex hoc, vt vide-
tur, Euangelio didicit Ecclesia pro defunctorum animabus
orare, vt in sinum Abrahæ (quæ nunc cælestis beatitudo est)
eas Angeli deducant.

Feria 6. hebdom. 2. Quadra- gesima.

**I. Lapidem quem reprobauerunt adifican-
tes, hic factus est in caput
anguli.**

Matth. 21.



Ocus abstergendi fœdam & acerbam calum-
niam, quam ad hæc verba in totam Catho-
licam Christianorum Ecclesiam horum tem-
porum hæretici impiè coniciunt. Quum
enim hæc Prophetia, eiusque per Christum
applicatio liquidò & perspicuè doceant Architectos ipsos
Synagogæ Iudaicæ Principes sacerdotum, Scribas ac Pha-
risæos: Synagogæ magistros Messiam aduenientem repro-
baturus, arripit hoc exemplum auidè Calvinus, & suæ suo-
rumque ab Ecclesia Christi apostasiæ nobile patrocinium
hoc esse posse confidit. *Prodigiū (inquit) simile est reijci salutis
authorem non ab extraneis, sed à domesticis: neque à stulta plebe,
sed ab ipsis Principibus qui gubernacula Ecclesiæ tenent.* Et pau-
lò post. *Hinc colligitur utilis admonitio, non obstare legitimam
vocationem, quo minus impij sint ac scelerati Christi hestēs, qui
ministri esse debuerant. Certè legale sacerdotum diuinitus erat
ordinatum, & Leuitis permissa erat à Domino potestas regendæ
Ecclesiæ. An ideo fideliter suo munere functi sunt? An illis obe-
dire pios docuit ad Christum negandum? Eat nunc Papa cum suis*

Schismatis
hodierni in-
fulsa & im-
pia defensio.

cornuti 16

cornutis Episcopis, & sibi fidem in omnibus habendam esse iactent, quia pastorum locum occupant. Hæc ille.

Hæc utilis Caluini admonitio, est futilis & insulsa collectio, est impia & insana disputatio. Phariseis Synagogæ magistris nihil profuit legitima vocatio, quo minus Christum negarent: Ergo Catholicæ Ecclesiæ Episcopis & Pastoribus fides habenda non est, quia pastorum locum occupant. Age valeat interim consequentia, & in simili concludatur, Ergo ministris & Pastoribus Geneuensibus, Bernatibus, Tigurinibus, Wirtembergensibus, aliisque in Germania, in Scotia, in Anglia, fides habenda non est, quia isti omnes pastorum quoque loca occupant, & permittitur illis regendæ Ecclesiæ potestas. Rursum: Seniores populi & tota quoque popularis Iudæorum turba & stulta plebs (quod stultè hic negat Caluinus) Christum clamoribus pertinacibus reiecerunt, ac ad necem postularunt. Ergo nihil vel magistratum, vel totius populi Christiani consensus in causa religionis valere debet. Non videt insulsus Caluinus eodem argumento aduersus seipsum totumque corpus fidelium concludi posse, quo aduersus Papam & Episcopos ac Pastores Ecclesiæ Catholicæ ille concludit. Deinde quàm impia hæc disputatio est? Principes veteris Synagogæ Christum prædicantem repulerunt: ergo tota Catholica Ecclesia tam Pastores quàm populus Christianus vniuersus totis his 1500. annis Christum ignorauit, deseruit, reiecit. Meminisse Caluinus debuit firmiores Ecclesiæ quàm Synagogæ promissiones esse: Synagogæ debuisse succedere Ecclesiam Christi; transferri legem, transferri sacerdotium, interire Synagogam, vt plenitudo gentium intraret, oportuisse. Ecclesiæ Christianæ nihil aliud succedit quàm mundi consummatio, dicente Christo Ecclesiæ suæ. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Non erit translatio Euangelij, sed per totum orbem dilatatio, *donec impleantur tempora gentium.* Non interibit Ecclesia Christi, sed sic permanebit vt porta inferi non poterint præualere aduersus eam. Eat nunc Caluinus cum suis barbatis & galeatis ministris, & Ecclesiam Christi interuisse blasphemet, quia Synagoga cecidit. Affirmet mentiri Paul. qui ait: *Pastores & Doct. datos esse à Christo in opus ministerij, ad adificationem corporis Christi, donec occurrant omnes in agnitionem filij Dei,* quia Synagogæ architecti Christum respuerunt. Hæc est insani hominis disputatio insana.

Caluini stupidum argumentum.

Caluiniani argumenti impietas.

Matth. 28.

Matth. 25.

Matth. 16.

Ephes. 4.

na. Cum enim Papam cum suis Episc. dicit, vniuersam Ecclesiam Catholicam dicit vniuersis Episcopis adhærentem, & vni supremo in terris, Capiti coniunctam. Reliqua nunc dementissimi hominis verba proferemus vt eorum quoque appareat turpitudine. *Vt demus (inquit) ritè ad Ecclesiæ regimen vocatos, frustra tamen plus sibi arrogant quàm se titulares esse Ecclesiæ Præsides.* Putida & mera calumnia est, impudenter asserta, nullo argumento munita. Sequitur: *Atqui ne vocationis quidem titulus illis suppetit.* Cur ergo dedisti ad Ecclesiæ regimen esse ritè vocatos? modò ais, modò negas. Homo instabilis nescit vbi pedem figat. Ferire vult, sed quo ictum destinet, incertum habet. Hoc tamen posterius probare nititur. *Nam (inquit) vt se in hanc tyrannidem attollerent, euertere necesse fuit totum Ecclesiæ ordinem.* Homo insulsus probare se existimat, quando strenuè bacchari & fortiter conuictari potest. Quæ enim hæc tyrannis sit, aut quomodo euerit Ecclesiæ totus ordo fuit, nec vno verbo demonstrat, dixisse & maledixisse contentus. Pergit adhuc. *Verùm vt iurisdictionem ordinariam sibi merito vsurpent, si tamen euerunt sacram Dei domum, non nisi nomine tenus architecti censendi sunt.* Hoc quidem verum est. Sed quod Catholicæ Ecclesiæ toto orbe Episcopi ac pastores sacram domum Dei euerterint, id Caluino strenuè probandum, non insipiè supponendum fuit. Nihil ergo aliud hæc tota Caluini declamatio, quàm fanaticum hominis ingenium & spiritum vertiginosum prodit, maledicendi auidum firmis & bonis argumentis destitutum.

2. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

DEclamat hic rursus Caluinus, & illustrem hanc prophetiam de gloria Messæ, quem Synagoga reiecit, ad hodiernæ apostasiæ nouitatem & incrementum homo impius transfert: verbis quidem non ita perspicuis & claris, vt de seipso suisque Geneuensibus loqui velle videatur (sic enim omnes Lutheranorum sectas quæ validæ tunc erant, & totum reliquum sodalitium in se vnum concitasset) sed sic vt à suis facile intelligatur. Quæ Caluini frequens asturia est, quæ euidenter prodit in comment. ad 1.

Corint.

Caluini ingenium fanaticum.

Schismatis
hodierni in-
falsa & im-
pia defensio.

Calvinus
adulterandi
verbi Dei
mirus arti-
fex.

Ephes. 4.
Acto. 20.

Calvinianæ
collectionis
impietas.

Corinth. II. vbi quum Christi corpus & sanguinem in sacra Cœna realiter exhiberi & sumi dixisset, *veritas* (inquit) *vulgari-ribus vtor, sed me mei intelligunt.* Nempe quod nihil minus cogitaret, sed realis exhibitionis nomine, Catholicos & Lutheranos ludificare vellet, quum realem ipse non aliã quã spiritualem & quæ fide sit intellexerit. Non dissimiliter in genere hic declamat Calvinus de admirabili ac stupendo noui Euang. exortu, restitutione, ac statu. De quo Euangelio nouiter exoriente ac restituto loquatur non explicat, ne reliquas sectas ab ipso seiunctas, quæ sibi singulæ hunc nouum exortum & restitutionem Euãgelij venditant, grauius offenderet; sed à suis intelligitur de sola Geneuensi Ecclesia, aliisque ab ea seductis, eique adhaerentibus loqui. Sic enim in hunc locum scribit. *Meminerimus quoties de Ecclesia ortu, restitutione, statu, totaq; salute agitur, non esse consulendos sensus nostros, sed tribuendum virtuti Dei honorem, vt absconditum eius opus miremur. Reuocamur enim hic à stulta hominum reuerentia, qua sepe Dei gloriam obscurat. Ac si dixisset Propheta, quamlibet splendidis titulis polleant homines, peruersè tamen fieri, si quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papistarum impietas, qui laruata sua Ecclesia determinationem Dei verbo præferre non dubitant.* Hæc ille; torquendi, deprauandi, & adulterandi verbi Dei mirus artifex. Vide enim vt præsentem prophetiam miserè torqueat & impiè deprauet. De casu Synagogæ, & veterum Sacerdotum perfidia, Christi que & Euang. eius exaltatione dictum est, *Lapis quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Ergo quandocunq; aliqua noua secta exurgit contra pastores & doctores, quos *Christus dedit Ecclesie suæ & quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, nulla est habenda Pastorum reuerentia, nec curandum quã splendidis titulis polleant, siue Apostoli, siue Prophetæ, siue Euangelistæ, siue Pastores & Doctores, siue Episcopi & Præpositi Ecclesiarum, siue Presbyteri & Seniores vocentur. Valet enim scelerata Calvinii collectio & prophetiæ huius deprauatio, non solum contra præsentem Catholicæ Ecclesiæ Episcopos & Pastores, sed etiam contra Apostolos, Prophetas, Euangelistas, & alios quoscunq; splendidos in Ecclesiæ regimine titulos. Nec minus iuxta Calvinii collectionem licuisset Iudaisantibus illis Christianis, Apostol. & Seniores in Concilio Hierosolymitano col-

lectos,

lectos, & omnia ferè legalia abolentes, ex alto despiciere, quantumuis splendidis titulis pollerent, dicereque se verbo Dei per Moysen scripto inhærere, illos verò (licet architectos Ecclesiæ) verbum Dei reprobantes, minimè mirum facere, quia *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*, vt illi non secus errent, quã Pharisei & Scribæ in Christo reiiciendo errauerunt: non minus, inquam, hoc illis licuisset dicere ac facere, quã hîc sibi licere Calvinus vult, suam ab Ecclesia apostasiam eodem fuce tegere. Lutherani, Anabaptistæ, Seruetiani, aut alia quælibet hodie secta non secus contra Calvinum, omnesque Ecclesiæ Geneuensis ministros, Pastores, Seniores, vbi de aliqua Scripturæ interpretatione aut censura Ecclesiastica oritur quæstio (quales inter eos sunt innumeræ) hoc eodem modo excipiet, quo Calvinus contra omnes Ecclesiarum Præpositos excipiendum docet. Splendidis quidem titulis polletis, ministri verbi, Pastores populi, Seniores consistorij vocamini. Vestrum in Scripturis exponendis iudicium interponitis: (Perpetuum enim Caluino ac Bezæ est, reiectis Patrum sententiis, dicere: *Ego sic iudico. Ego sic sentio. Ego hunc esse sensum non dubito, &c.*) Penes vos censuram esse dicitis. Vos pro architectis & Præsidibus Ecclesiæ venditatis. Sed peruersè facitis, quod Deo vos opponitis. Verbum Dei nos aliud docet. Titulos vestros non curamus. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Manifestè hîc refellitur vestra diabolica impietas, qui laruata Ecclesiæ vestræ determinationem verbo Dei præferre non dubitatis. Quam enim Calvinus Catholicis impietatem impingit, eandem quælibet alia secta Caluino & suis merito impingere potest. Quælibet enim alia secta Geneuensem Ecclesiam pro laruata, non vera habet. Quælibet alia secta verbum Dei pro suis dogmatibus facere affirmat, & credit.

Sed quæ sit quòd cæteris omnibus sectis prætermittis, solã veram & Catholicam Ecclesiam hîc perstringit Calvinus? Cur solos Catholicos (quos Papistas vocat) diabolicæ impietatis arguit, quod suæ Ecclesiæ determinationem verbo Dei prætulerint. Subiungit aliquid, quo id probare contendit, quod dissimulandum non est. *Vnde enim* (inquit) *secundum eos pendet verbi Dei auctoritas, nisi ab hominum placito, vt Deo nihil plus sit iuris residuum, quã quod ab Ecclesia precario accipit? Longè aliter hoc loco nos instituit Spiritus*

Eiusdem
absurditas.

f

San

Sanctus. Nempe simul ac in medium prodit maiestas Dei, silendum esse toti mundo. Hæc ille. Multum haud dubie laboravit Calvinus, ut post tam atrocem criminationem, quod Catholici sua Ecclesia determinationem verba Dei præferre non dubitauerint, certam aliquam tantæ accusationis notam, certum & illustre aliquod argumentum subiiceret, ac dogma aliquod proferret à Catholica Ecclesia determinatum, cui verbum Dei manifestè repugnaret. Hoc enim esset propriè ac verè suam determinationem verbo Dei præferre. Nunc autem nihil tale profert, sed huiusmodi aliquid, quod si verum crimen esset, conficeret tamen, non aliquam Ecclesie determinationem, sed ipsam Ecclesiam determinantem verbo Dei præferri. Ait enim secundum Catholicos verbi Dei auctoritatem non nisi ab hominum placito pendere, & eam totam ab Ecclesia precario Deum accipere. Nempe quia quid sit pro verbo Dei & Scriptura Canonica habendum, Ecclesia suo iudicio determinat. Hoc enim intelligit, hoc vult dicere Calvinus, licet obscure loquatur, ut à rudiori lectore Catholico vix intelligatur. Satis ei erat quod à suis suorūque scriptorum lectoribus intelligeretur. Sic quippe alibi scribit, Pendet (inquit Papiſta) ab Ecclesie determinatione, & qua Scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius catalogo censendi sunt. Moxque paucis interiectis infert. Quibus impiorum sanis subijcietur fides nostra, si credatur hominum beneficio non secus ac precariam habere auctoritatem? Huic obsoletæ & rancidæ calumniæ, quam hic Calvinus ut cramben sæpe recoctum regerit, iam olim respondimus, tum in Opere nostro de Principiis Fidei, tum vberius multo in Defensione nostra contra VWhitakerum, qui Caluini vanitatem maiori vanitate & ineptia tueri frustra conatus est. Summa est mentiri Calvinum, quando ait, sententiam Catholicorum esse, quod ab Ecclesie determinatione pendet, quæ Scripturæ reuerentia debeatur. Hoc enim Ecclesia non determinat, sed ut rem per se notissimam, penitus indeterminate relinquit. Determinat quidem qui libri pro Scriptura Canonica habendi sint, sed non determinat quanta fides & auctoritas ipsi Scripturæ Canonice adhibenda sit. Quæ duo quàm longè lateque inter se discrepent, in vtroque opere prænomiuato, sed magis in posteriori, late & copiose explicuimus. Vana ergo & fruola, scelerata & impia est tota hoc loco Caluini declamatio. Quæ tamen impietas maxima in postremis eius verbis clarius conspicitur,

vbi

Caluini argumentum aliud cõcludit quàm petit.

Instit. lib. 1. cap. 7. num. 1.

Lib. 9. cap. 3. Lib. 3. cap. 12.

Defens. cont. VWhita. libr. 1. cap. 2. ad sect. 6.

vbi ait, spiritum Sanctum hic docere, simul ac in medium prodit maiestas Dei, silendum esse toti mundo: id est, vbi aliqua noua secta exoritur, silendum esse toti Ecclesie. Suam enim Sectam, sui noui Euangelij exortum & restitutionem, pro quo hoc loco pugnat, homo blasphemus designat, quum Dei Maiestatem in medium prodire fingit, sicuti Ecclesie Pastores ac Præpositos negligendos designat, quum toti mundo silendum affirmat. Hæc est Caluini hoc loco larvata blasphemia, quam detracta larua, omnium oculis in propria forma conspicendam subiicere, operæ precium duxi.

Sabbato hebdom. 2. Quadragesima.

In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem fame pereoo?

Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.

Pater peccavi in cœlum & coram te. Iam

non sum dignus vocari filius tuus:

Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.



Ocus explicandi veram & legitimam pœnitentiæ formam ab hæreticis hodie, Caluino maximè, penitus deprauatam. Christus in hac parabola de filio prodigo, ut hominem peccatorè Dei in se dona dissipantè, & Deum misericordissimum describit, sic & pœnitentem inter vtrunque medium ante oculos ponit. Pœnitentem peccatorem, & à Dei gratia relapsum (filium enim, non extraneum introducit) eo modo loquentem & agentem proponit, ut in eius verbis ac factis tota pœnitentiæ virtus (neq; enim de sacramento hic agitur) describatur. Et primum de fide in Deum nihil dicitur, sed præsupponitur, quia *plures & domesticus* erat, ut notauit S. Basil. ideoq; baptizati iam & antea adoptati personam gerit. Neque etiam absque fide & gratia supernaturali, motus illos animi habere potuit filius ille prodigus, quales hic exprimuntur. Vnde putidum Caluini cauillum conuincitur, qui contra pœnitentiæ ad veniam consequendam necessitatem sic hoc loco disputat, quasi eam sine

F 2 Dei

Caluini blasphemia.

LUC. 15.

In Homil. de pœnitentiâ.

In Harm. in hunc locum.

Pœnitentiæ
primus mo-
tus odium
peccati.

Esai. 46.

Esai. 59.

Sap. 4.

Secundus
motus spes
venię.

2. Cor. 2.

Ioan. 8.

Tertius mo-
tus emenda-
tionis pro-
positum.

Esai. 24.

Ephes. 5.

4. Inuoca-
tionis desi-
derium &
executio.

Dei gratia fieri statueretur. Primus ergo post fidem, & ex fi-
de motus erat, *In se reuersus*. Hoc enim est dicere. Suam iam
miseriam & calamitatem agnoscens; Quæ agnitio sine odio
& detestatione peccati esse non potuit. Calamitatis quippe
& miserię causa, quæ non solum à Deo, sed & à seipso elon-
gatus, & extra seipsum, extra rationis ac pietatis limites eua-
gatus fuerat (nisi enim à seipso, qualis prius erat, abiisset, ad
se reuersus dici non potuit) solum peccatum erat. Vnde Scri-
ptura primum hoc peccatoribus inclamat: *Redite prauarica-
tores ad cor. Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus,
& non est ultra Deus, nec est similis mei.* Iuber peccatores & ad
seipsum, & ad Deum redire. Ad Deum, quia *peccata diuiserunt
inter ipsos & Deum.* Ad seipsum, & ad cor suum, quia *malitia
mutauit intellectum eorum.* Primus igitur pœnitentię motus
in eo qui fidem habet, est odium peccati, & suę miserię, qua
à Deo & seipso procul recessit, agnitio. Post odium peccati,
spes venię succedit, ne nimia præsentis miserię considera-
tio ad desperationem adigat, vel, vt Apostolus loquitur, *ne
nimia tristitia absorbeat.* Mox igitur hic pœnitens prodigus,
bonitatis paternę spe concepta, ait. *Quanti mercenarum in do-
mo Patris mei abundant panibus?* id est, quàm multi sunt qui
non propter hæreditatem cœlestem, sed propter mercedem
temporalem abstinent à peccato, & Deo seruiunt, quibus
tamen Deus multa sua bona largitur? *Ego autem fame pereos?*
id est, propter enormia peccata totus à Deo separatus, nul-
lam Dei benignitatem percipio. Non modò filius amplius
non sum, sed nec seruus in domo; qui etsi *non maneat in do-
mo in æternum,* manet tamen ad tempus, & variam Dei be-
nignitatem sentit; qua tandem adductus, & in melius profi-
ciens, ex seruo fit filius & hæres. Hac spe benignitatis diui-
næ concepta, ait, *Surgam & ibo ad patrem meum.* Quum di-
cit, *Surgam,* ostendit emendationis propositum, iuxta illam
Scripturam. *Nunquid qui cadis, non exurges?* & rursus. *Surge
qui dormis, si in peccato, & illuminabit te Christus.* Quum di-
cit, *ibo ad patrem meum & dicam, Pater peccaui,* &c. ostendit
inuocationis desiderium. Denique *surgens venit ad patrem
suum,* id est, ad veniam à patre petendam (relicto peccato)
& inuocationis propositę executionem de facto aggredi-
tur. Per hos igitur gradus, & debita tandem atque humili
diuinę misericordię inuocatione, animo firmiter proposi-
ta, etiam antequam in vocem erupit confessio, præsto adest
Dei misericordia, vt hîc latè Euangelium describit.

Obser

Obseruandum igitur præsentissimam & maximam Dei
misericordiam (qualis in hoc Euangelio describitur) non
prius adesse, nec Deum sibi prius peccatorem conciliare,
quàm præter fidem, tum odium peccati, tum spes venię,
tum emendationis propositum, tum demum inuocatio de-
liberata, firmiterque animo instituta, iam iamque executio-
ni mandanda præcesserit. Hęc inquam vt minimum in vir-
tute pœnitentię præcedere debent, vt ex pura Dei miseri-
cordia peccator in gratiam recipiatur. Neque enim Chri-
stus pœnitentiam in Ecclesia sua ordinariam, iuxta quam
peccata soluantur, aut totam eius formam hoc loco descri-
bit; sed Dei erga peccatores misericordiam singulari exem-
plo proposito in medium adducit: ex eo ostendens quanta
sint diuinę misericordię viscera erga peccatores pœniten-
tes; vt nimirum confirmaret quod prius apud Lucam dixe-
rat, *gaudium esse coram Angelis Dei super vno peccatore pœni-
tentiam agente.* Atque hęc quidem est de debita peccatoris
pœnitentia, quæ gratuitam cum Deo reconciliationem
præcedat, Euangelica doctrina, in hac parabola Euangelica
dilucidè tradita.

Nunc quomodo hanc totam doctrinam impius Calui-
nus peruertat ac deprauet, explicandum est. Planè totum rei
ordinem inuertit, & ipsam pœnitentię naturam cum quo-
tidiano iustorum profectu confundit. Totum rei ordinem
inuertit, quia ante pœnitentiam, peccatorem sola fide Deo
reconciliari statuit, vt iam reconciliatus, deque sua salute
securus, ad pœnitentię meditationem animum applicet. Sic
enim scribit: *Pœnitentiam non modò fidem continuo subsequi,
sed ex ea nasci, extra controuersiam esse debet. Quum enim venia
& remissio per Euangelij prædicationem ideo offeratur, vt à ty-
ranide Satana, peccati iugo, & misera seruitute vitiorum libe-
ratus peccator, in regnum Dei transeat, certè Euangelij gratiam
nemo amplecti potest, quin ex erroribus vitæ prioris in rectam
viã se recipiat, totumque suum studium applicet ad pœnitentię
meditationem. Quibus autem videtur fidem potius præcedere pœ-
nitentia, quàm ab ipsa manare vel proferri tanquam fructus ab
arbore, nunquam vis eius fuit cognita, & nimium leui argumen-
to ad id sentiendum mouentur. Christus (inquiunt) & Ioannes
in suis concionibus populum ad respiscētiã primum hortantur:
deinde regnum cœlorum appropinquasse subiiciunt. Tale prædican-
di mandatum accipiunt Apostoli: talē ordinem sequutus est Pau-
lus, quemadmodum Lucas refert. Atqui dum in syllabarum con-*

Maxima
Dei miseri-
cordia pœ-
nitentię
motus re-
quirit.

Luc. 15.

Caluinus
totum pœ-
nitentię or-
dinem in-
uertit.

Instit. lib. 3. c.
3. num. 1.

Matth. 3.
& 4.

Act. 20.

textu superstiosè hærent, non animadvertunt quo sensu inter se verba illa cohæreant. Nam dum in hunc modum concionantur Christus Dominus, & Ioannes, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: an non respiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt? Perinde ergo valent eorum verba ac si dicerent: Quoniam appropinquauit regnum cælorum, ideo respiscite. Nam Matthæus ubi sic prædicasse Ioannem narrauit, impletum in ipso fuisse Iesæ vaticinium docet in deserto clamante: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Verum apud Prophetam illa vox iubetur à consolatione & lato nuncio inchoare. Neque tamen quum respiscentiæ originem ad fidem referimus, spatium aliquod temporis somniamus, quo ipsam parturiat: sed ostendere volumus, non posse hominem pœnitentiæ serio studere, nisi se Dei esse nouerit. Dei autem se esse nen. o. verè persuasus est, nisi qui eius gratiam prius apprehenderit. Hæc Calvinus. Studiosè probare vult adeo pœnitentiam non nisi post reconciliationem & remissionem peccatorum factam, suscipi debere, vt affirmet nullum pœnitentiæ studere posse, nisi qui prius se Dei esse nouerit, id est (vt ipsemet exponit), nisi qui prius gratiam Dei apprehenderit: in qua per fidem apprehensione totam peccatoris iustificationem ponit Calvinus. Atque ita ubi Christus dicit iustos non indigere pœnitentiâ, cum Caluino contradicendum est solos iustos idoneos esse ad pœnitentiam agendam. At verò vel sola parabola hæc Euangelica totam hanc impiam doctrinam (quid enim magis impiè doceri potest, quam ante pœnitentiam peccatorem iustificari? luce meridiana clarius subuertit. Hic enim, antequam Pater accurrat, vt filium peccatorem in gratiam recipiat, variam & veram pœnitentiam agit peccator. In se reuertitur, suam turpitudinem & miseriam agnoscit. Odit peccata præterita, propositum surgendi à peccato, scilicet emendandi concipit. Benignitatis paternæ spem habet. Inuocationem & veniæ supplicationem animo proponit. Ad eam exequendam tendit. Ac sic demum accurrit pater misericordiarum, & tota illa præeunte pœnitentiâ, in gratiam recipit, peccata condonat, primâq; stola reddita, id est renouatione interna, quam in baptismo acceperat, ei restituta, hoc demum modo iustificat, ex impio iustum, ex filio iræ filiû Dei (ex immundo mundum facit.) Est quidem antiqua fides, quæ pœnitentiam præcedit, & ipsius pœnitentiæ fundamentum, mater & radix est, Ea videlicet qua credimus Deû esse bonorû ac malorû remuneratoré. Ab hac enim incipit omnis

nostra

Luc. 15.

Job 14.

Fides pœnitentiæ radix quæ & quomodo.

Hebr. 10.

nostra salus & iustificatio corâ Deo. Vnde Apost. Accedētē ad Deum credere oportet quia est, & quia inquirentibus se remunerator est. Sed hanc fidem nec hoc locc, nec omnino agnosce re vult Calvinus in iustificationis negotio. De fide illa loquitur, qua sola iustificari impios arbitratur, id est, de fide apprehendente gratiam Dei, sibiq; firmiter persuadente, quod Deus iam illi propitius est, eumque in gratiam recipit suam. Nam nec pœnitentiam agere, nisi qui Dei filium se esse iam nouerit, nec Dei se filium esse persuadere sibi quenquam posse, nisi prius Dei gratiam apprehenderit, Calvinus affirmavit. Vult ergo ante omnem pœnitentiam certum quemlibet esse debere de Dei gratia, de salute, de reconciliatiōe facta. Hoc totum, vt dixi, ista parabola manifestè cōfutatur. Sed & ille quoque Scripturæ, quas sibi opponit Calvinus, leuissimèque soluit vel dissoluit potius, penitusq; corrūpit luculentissimè idem docent. Ac primùm notandū est, quātō cōtemptu verba Scripturæ reiecit. Eos enim qui verba Scripturæ in hac parte manifestissima premunt & vrgent, ait nefarius impostor, in syllabarum contextu superstiosum hære. Ita nunc diuinæ Scripturæ verba syllabarum contextus æstimanda sunt, & illa religiosè præmere superstitio erit. Sic scilicet Scriptura veneratur Calvinus, quoties præposteris eius placitis aduersantur. Verba Christi iam syllabæ erunt, & eorum ordo atq; progressus, puerilis erit & alphabeticus contextus, quem abecedarij faciunt, vt dictiones integras componant. Hac rhetorica extenuatione, his flosculis ac schenatibus, homo impius Sacram diuinarum Scripturarum veritatem eludit & deridendam proponit.

Sed videamus tamen cur ordinem verborum in Scriptura propositum, negligi à nobis velit, & quare superstiosè illis nos in hære declamitet. Non animadvertunt (inquit) quo sensu inter se illa verba cohæreant. Docebit nos igitur opinor. Nam dum in hunc modum concionantur Christus Dominus & Ioannes: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum respiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt. Perinde ergo valent eorum verba, ac si dicerent. Quoniam appropinquauit regnum cælorum, ideo respiscite. Videat vnusquisque & attendat vatri hæretici fraudes & imposturas. Quia appropinquauit regnum cælorum, ideo respiscendum, & agenda pœnitentia est, causâque agendæ pœnitentiæ est gratia & salutis promissio: ergo fides gratiâ & salutis promissionē certò apprehēdēs, in qua iustificationē omnē

Iustificatio-
nē ante om-
nem pœni-
tentiam po-
nit CalvinusCalvinus
Scripturæ cō-
tempstor quā-
do cōtra ip-
sum facit.

Calvinus
causas con-
fundens fal-
lit.

Calvinus im-
postor calli-
dus

ponit Calvinus, ipsam pœnitentiã præcedere debet. Hoc enim est quod Calvinus hic probare contendit. Duplex hic impostura & fallacia est. Prima, quia causam finalem ponit pro causa efficiente, quæ effectum debet præcedere. Appropinquatio regni cœlorum, quam Christus & Ioannes prædicârunt, causa finalis est ipsius pœnitentiæ, quam prædicant. In hunc quippe finem iubet eos pœnitere, vt regnum cœlorum quod in proximo iam erat, consequerentur. *Causa igitur pœnitentiæ ab ipsa quidem gratia & salutis promissione ducitur, vt Calvinus arguit, sed causa finalis, non efficiens.* Disputat autem Calvinus efficientem & præcedentem pœnitentiæ causam esse ipsam, gratiã & salutis promissionem: idque adeo iam fide apprehensam & obrentam. Ait enim *non posse hominem serio pœnitentiæ studere, nisi se prius Dei esse nouerit.* Sic causam vrgens, sed finalem, fallit imperitum lectorem, qui inter causas distinguere nescit. Alia impostura & fallacia est, quod nunc pœnitentiæ causam ponit, *gratiã & salutis promissionem, non adiiciens, fide apprehensam atque obrentam.* Quod tamen hoc loco probare contendit. Hanc adiectionem & perspicuam argumenti formam studio celat, vt argumenti absurditas minus appareat. Minus enim absurdum est dicere, *pœnitentiæ causam esse salutis promissionem* (quum certè talis promissio & spes consequendæ salutis magnus sit ad pœnitentiã agendam stimulus, ideoque veta causa, sed finalis,) quam si pœnitentiæ causam esse dixisset, *gratiã & salutis promissionem iam fide apprehensam, atque ita certissimè obrentam.* Moxque cuiusque animo obcurreret, hoc pœnitentiæ agendæ causam esse non posse, quum hoc ipsum finis & effectus pœnitentiæ sit, vt gratiam à Deo & salutem promissam consequamur: neque iam de medio laborandum esse, vbi finem adeptos nos esse cernimus. Finis quippe omnis pœnitentiæ est, vt à Deo veniam peccatorum impetrantes, eique reconciliati, eius gratia, & promissa salute fruamur. Hæc de causa vaser hæreticus totum animi sui sensum, totumque venenum, vt simplici lectori imponat, aperire noluit.

Subiungit, *vocem illam Ioannis in deserto, Parate vias Domini, &c. à consolatione & læto nuncio inchoare debere:* Verum hoc est, tanquam causam mouentem & stimulantem ad pœnitentiã agendam, & ad parandas per pœnitentiã, vias venienti gratiæ, talem consolationem & lætū nunciū, proponi. Non autem vt ante pœnitentiæ actum eo se frui,

ad iuc

idque nam possidere se quisquam existimet, quod illa consolatio, & illud bonum nuncium proponit. Atque hæc ille de verbis Christi & Ioannis, Matth. 3. & 4. disputat.

Sed quum fateatur Apostolos simile prædicandi mandatum accepisse, & Paulum eum ordinem sequutum fuisse, vt testatur Lucas, act. 20. 21. quæ sit, quod nec Pauli, nec alterius cuiusquam Apostoli verba Calvinus profert, vt illis quoque aliquid respondeat? An omnia illa nihil aliud sunt, quã *syllabarum contextus abecedariss*, cui hære superstitiosum sit? Sed versutus hæreticus tacere illa maluit, quàm ad maiorem turpitudinis suæ demonstrationem illa pertractare. Proferemus ea igitur in lucem, vt quomodo impius hæreticus totum pœnitentiæ ordinem in Scripturis descriptum inuerterit, magis ac magis intelligatur. Mandatum prædicandi quod Apostoli acceperunt (ad hæc rem quod attinet) huiusmodi fuit: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, quum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, &c. et paulo post: Prædicari in nomine eius pœnitentiã & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Hoc mandatum repetijt Petrus. *Hunc Deus exaltauit ad dandam pœnitentiã Israël, & remissionem peccatorum.* Semper præcedit remissionem peccatorum pœnitentiã, vt causa suum effectum, & medium suū finem. Illum ordinem seruauit Petrus, seruauit Paulus, seruauerunt & alij Apostoli. Petrus in prima sua concione, *pœnitentiã* (inquit) *agite, & baptisetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Hic rursum causa quidem finalis agendæ pœnitentiæ & suscipiendi baptismi est remissio peccatorum, sine qua nulla est iustificatio per fidem. Sed causa remissionis peccatorum præcedens & ad eam disponens est pœnitentiã, sicut causa efficiens instrumentalis est baptismus. Quemadmodum absurdissimè diceretur, in hac propositione medici ad ægrum, cape hoc pharmacum, aperiatur tibi vena, potionem hanc vt cunque amaram epota, vt sanitatem recuperes, quod sanitatis recuperatio illa omnia præcedit, quia causa cur illa omnia subeuntur, sanitatis recuperatio est; sic omnino absurdissimè disputat Calvinus, quia remissio peccatorum est causa agendæ pœnitentiæ ideo hanc illam præcedere. Rursum sicut absurdissimè dicitur, nemo potest curandæ ægritudini operam seriò dare, nisi prius sibi persuadeat se esse sanum, sic absurdissimè à Caluino dicitur, *nemo potest pœnitentiã seriò studere, nisi prius se Dei esse nouerit, vterque hoc sibi persuadeat.* Sicut enim

Luc. vi.

Act. 15. 31.

Pœnitentiã remissionem peccatorum semper præcedit.

Act. 2.

F

5

amaris

amaris medicamentis curatur ægritudo, vt sanitas consequatur, sic medicus animarum nostrarum Christus, eiusque post eum Apostoli, amarum poenitentiae medicamentum peccatoribus praescribunt, vt remissio peccatorum consequatur. Sic Paulus commemorat apud Agrippam se & Iudaeis & gentibus annuissse vt poenitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna poenitentiae opera facientes. Conuersioni ad Deum anteponit poenitentiam, eamque condignam, non per *superstitiosum syllabarum contextum* (vt impius Calvinus loquitur) sed ordinem praedicationis suae & conuersionis peccatorum commemorans. Sic alibi: *Nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant a diaboli laqueis.* Poenitentiam praeponeit non solum remissioni peccatorum & iustificationi, sed etiam ipsius veritatis cognitioni & fidei; quia ne ipsa veritas cognoscatur, fidesque recta animo concipiatur, ipsa saepenumero peccato praepediunt. Sic verbi gratia de animi superbia in Pharisaeis dixit Christus: *Quomodo potestis credere qui gloriam ad inuicem accipitis & gloriam, quae a solo Deo est, non queritis?* vnde proficitur Paulus alio in loco, se prius poenitentiam quam fidem praedicasse. *Docuit (inquit) publice & per domos, testificans Iudaeis atque gentilibus poenitentiam in Deum & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Et manifeste apud Marcum Christus. *Poenite mihi, & credite Euangelio.*

Act. 26.

2. Tim. 2:25.

Ioan. 5.

Act. 20:21.

Marci 1. In Harmon. ad Marc. c. 1.

Poenitentia praecedet fidem.

Calvinus scripturae Evangelicae corruptor.

Quae verba duplici cavillo conatur eludere Calvinus. *Quaeri (inquit) potest, quomodo ex Euangelio pendeat poenitentia cur eam Marcus ab Euangelij doctrina separat.* Primum non Marcus, sed Christus haec verba dixit, Deinde Christus poenitentiam ab Euangelij doctrina non separat, vt fingit Calvinus, sed ad fidem Euangelio praebendam, seu ad credendum Euangelio, viam ac preparationem necessariam esse poenitentiam docet. At si ita est, *quomodo ex Euangelio pendeat poenitentia?* ait Calvinus id est quomodo erit meum paradoxum verum, quod prius oportet credere Euangelio, & per illam fidem Deum sibi habere certo propitium, vt sic poenitentiae serio studeatur? *Duplex (inquit) solutio est.* Nam *Deus interdum sic nos ad respiciendum inuocat, vt tantum dicat mutandam esse in melius vitam, postea conuersionem & vitam nouitatem Spiritus sui donum esse ostendit: vt sciamus non tantum nobis praecipere quod officij nostri est, sed obsequendi gratiam & virtutem simul offerr.* Hic Calvinus ex parte falsum narrat, ex alia parte qua verum dicit, suis placitis contradicit. Falsum

e st:

est; *Deum interdum ad poenitentiam sic inuitare, vt tantum dicat in melius mutandam esse vitam.* Semp̄ enim peccati praeteriti odium, & propter offensum Deum tristitiam ac dolorem Scriptura a poenitentibus flagitat. Quod autem dicit & verum dicit, vitae nouitatem Spiritus S. donum esse, Deumque non solum praecipere, sed etiam obedientiae & exequendi facultatem conferre alteram Calvinus haeresem funditus euertit, qua docet D E I mandata obseruari non posse. nec ad ea non obligari, nec Spiritum Christi in adiutorium nobis dari, vt *ad iustitiam consequendam nos inuet, nec vt per eum adiuuemur ad iustitiae summam, vt beneficia sed Christi in cordibus nostris ob signet,* ipseque Christus tota nostra sanctificatio ac iustitia sit.

Sed pergamus cu Calvinus hoc in loco. *Si hoc modo accipimus quod Ioannes concionatus est (de poenitentia agenda in remissione peccatorum) sensus erit Dominus vos ad se conuerti iubet. Quia vero id non potestis propria industria, spiritum regenerationis promittit. Quare hanc gratiam fide amplecti vos oportet.* Omnia confundit & peruertit Calvinus Ioannis Baptistae praedicatione (de qua tamen hic non agitur, sed de Christi) illa erat, vt poenitentiam ante omnia agerent, non quidem propria industria & solis naturae viribus, sed ex speciali diuinae gratiae adiutorio, quo nec veteris legis iusti, nec qui tunc erant fideles Iudaei carebant. Spiritus regenerationis, quae vitae nouitatem inducit, promittitur quidem poenitentibus, vbi Deo reconciliati peccatorum remissionem consecuti fuerint: non quia fide illam apprehenderunt, (somnia hoc Calvinus est) sed quia credentibus & poenitentibus, *dignaque poenitentiae opera facientibus* (vt Paulus concionari solebat) ille Spiritus regenerationis per Christum confertur: pariter & vna cum remissione peccatorum. Et hoc modo poenitentia semper praecedit ipsam regenerationem & remissionem peccatorum, quam Euangelium docet. *Spiritus regenerationis fide apprehensus,* vt Calvinus loquitur, id est, credere quod poenitenti ille Spiritus a Deo impertietur, non facit vt homo rite poeniteat, nec quicquam in eo operatur, in quo nondum est, & cui nondum collatus est, vt sic propriae industriae defectum ille suppleat, iuxta Calvinus figmentum, sed specialis Dei gratia, quae hominem ad poenitentiam excitat (est enim & illa donum Dei singulare) humanae industriae impotentiam supplet, facitque vt homo vera & legitimam poenitentiam agat.

Calvinus sibi contrarius.

Instit lib. 3. c. 17. num. 2. & ca. 1. nu. 1. & seq.

Scripturam corrumpit Calvinus.

Act. 26.

Regeneratio fide apprehensa non facit poenitere

Sed

Sed hinc Calvinus memor se Spiritui regenerationis & nouitati vitæ plus tribuisse, quam aliàs solet, aut quam solius fidei iustificantis doctrina permittit, seipsum rempestiue corrigit, & dicit. *Quamquam fides, quam haberi Euangelio Christus postulat: minime ad donum renouationis restringi debet, sed præcipue ad peccatorum remissionem spectat. Coniungit enim Ioannes penitentiam cum fide, quia se ideo Deus nobis reconciliat, ut tanquam Pater à nobis sanctitate & iustitia colatur.* Præoccupatione hac vitur Calvinus, quia perpetua eius & suorum doctrina est fidei iustificantis obiectum nihil aliud esse quam gratuitam peccatorum remissionem in Euangelio prædicatam à fide apprehensam. Nunc autem affirmat spiritum quoque regenerationis per fidem quam Euangelio habemus, apprehendi, ut fide iustificemur. Respondet autem non ad hoc donum renouationis restringi fidem, sed præcipue ad remissionem peccatorum spectare. Quæ responsio tamen in forma recipiatur, satis adhuc eius altera sententia refutatur. Satis enim nobis est, quod ad hoc donum renouationis fides spectat. Non volumus ad hoc donum fidem restringi. Planè volumus ad remissionem quoque peccatorum fidem ampliari. Sed volumus, & vult Scriptura, ut ad vtrunque fides spectet: iuxta illud Pauli. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis (vbi peccatorum remissio innuitur) & renouationis per Spiritum S. quem effudit in nos abundè.* Satis nobis est Deum se nobis ideo reconciliare, ut postea colamus eum in sanctitate & iustitia, quod hinc fateretur Calvinus. Sic enim non in sola remissione peccatorum, nec in sola fide eam apprehendente, salus & iustitia nostra consistit (quod assidue Calvinus docet, & constanter Catholica damnat Ecclesia) sed præterea in Spiritu regenerationis & vitæ nouitate, quæ altera & potior est Christianæ iustitiæ pars. Sed hoc in prioris solutionis suæ gratiam ponere & concedere coactus est Calvinus.

Posterior solutio est, *Credere Euangelio* in his Christi verbis tantundem valere atque *gratuitam iustitiam amplecti*, Sæpe enim in Scripturis specialem istam inter fidem & remissionem peccatorum relationem occurrere: sicut quum docet nos fide iustificari. Hæc altera solutio per se absurdissima est, ut eius confirmatio penitus insulsa. Absurdum & impiū est (*credite Euangelio* hunc sensum habere, *Gratuitam iustitiam amplectimini*: quasi Euangelium eiusque prædicatio nihil aliud credendum fideque amplectendum contineret, quam gratuitam

iustitiam,

iustitiam, maximè in sensu Caluini, qui per gratuitam iustitiam non plus intelligit quam gratuitam remissionem peccatorum, quæ initialis & minima pars iustitiæ Christianæ est, sanè ut priuatio veteris formæ inter principia rei generandæ minimum & maximè improprie principium est. *Credere Euangelio*, est omnia credere quæ Euangelium de Deo, de Christo, de tota fide ac salute humana docet. Solutionis confirmatio insulsa est; Hæc enim eius vis & consecutio est. *Occurrit sæpe in Scripturis inter fidem & remissionem peccatorum relatio*, id est, sæpe in Scripturis remissionem peccatorum credere docemur, ergo hoc in loco *credere Euangelio*, significare debet *credere gratuitam iustitiam*, quæ est (in sensu Caluini) remissio peccatorum. Insulsa & friuola hæc consecutio est: primum, quia etsi sæpe ita se res habeat, quum etiam sæpe aliter se res habeat, & aliis in locis sæpissime fides alia quam plurima obiecta respiciat, nulla est consecutio, ut hoc in loco ad illud vnum obiectum fides restringatur. Deinde Euangelium multo plura in se complectitur quam gratuitam peccatorum remissionem. Non ergo sequitur. *Credere gratuitam remissionem peccatorum sæpe Scriptura docet.* Ergo quum dicitur, *Credite Euangelio*, idem & non aliud docere putanda est.

Sed quomodo hoc ipsum Calvinus probat, quod fides sæpenumerò in Scripturis ad peccatorum remissionem refertur. *Sicuti* (inquit) *quum docet nos fide iustificari*, Egregia scilicet probatio, quæ sola nouella S. Scripturæ corruptela nititur. Nam fide iustificari in Catholica hæctenus Ecclesia, nunquam illum sensum habuit, fide amplecti gratuitam iustitiam. Nouella hæc est & horum temporum corruptela pestilens. Fide iustificamur in sensu veterum Ecclesiæ Patrum, maximèque Sancti Augustini, (loquendo de ipsa in se fide) quia totius iustificationis nostræ coram Deo fides, quæ in Deum & Christum eius credimus, fides (inquam) sana & orthodoxa, omnia credens, quæ diu nitus ad credendum reuelata sunt, radix, principium, & fundamentum est: nec sine illa iustificari quisquam potest. Aut certè fide iustificamur (loquendo de perfectione eius) non qualibet, sed (ut Paulus docuit) *Fide per charitatem operante*. Ita vtraque Caluini solutio contra tam perspicua Christi verba, quibus penitentiam fidei ut medium fini anteponit, varia impietate & absurditate plena est.

Redeamus nunc ad principale institutum nostrum. Sanè

in

Euangelio credere quid.

Caluini insulsa consecutio.

Fide iustificari quid.

Galat. 5.

Calvinus seipsum refutat.

Tit. 3.

Instit. lib. 3.
cap. 4. num. 3.

Pœnitentiã
remissioni
peccatorum
necessariã
quomodo
Calvinus
docet.

Pœnitentiã
necessariã
dispositio ad
iustificatio-
nem.

Act. 2.

Act. 8.

Matth. 3. &
4.

Luc. 3.

Act. 26.

in tota Scriptura vbiçunque prædicatur pœnitentiã, remissioni peccatorum & conuersioni ad Deum, ipsique reconciliationi & iustificationi peccatoris, vt causa suo effectui & medium suo fini anreponitur. Sed totum hunc pœnitentiã ordinem inuertit impius Calvinus, vt solam suã iustificantem fidem, absque vlla præcedentiã pœnitentiã necessitate, sustineat. Dicat fortè aliquis. Nullam ergo Calvinus pœnitentiã agnoscit peccatoribus necessariã, vt ad Deum conuertantur. & sapientur, quam toties & tam euidenter Scriptura commendat ac mandat? Certè Calvinus ipse in tractatione Scripturarum quæ pœnitentiã prædicant, vt ad Deum peccator conuertatur; eandem aliquando docet & tradit. Sed memor huius suã doctrinã, eam in sua Institutione, quam omnibus nefariis & pestilentibus dogmatibus refertam esse voluit, temperat ac moderatur hoc modo. *Diximus* (inquit). & nos quodam loco nunquam sine pœnitentiã obuenire peccatorum remissionem, quod nulli nisi afflicti & peccatorum conscientia vulnerati Dei misericordiam implorare sincere possunt, sed nul. adieciimus, pœnitentiã non esse causam remissionis peccatorum. Illa quoque animarum tormenta sustulimus, quod debita præstanda sit. Agnoscit se docuisse aliquando pœnitentiã ad remissionem peccatorum esse necessariã, sed doctrinã illã duplici moderatione restringit. Vna est, quod non sit remissionis peccatorum causa: altera quod debitã pœnitentiã præstari debere non docuerit. Vtrumque Scripturis ex diametro aduersatur. Pœnitentiã esse remissionis peccatorum causã, non sanè efficientem aut meritoriam, (gratuita quippe est omnis peccatorum remissio, qua ex impio aliquis fit iustus) sed causã, sine qua non, vt loquuntur Dialectici, & necessariã (quia necessaria est ad veniam consequendam dispositio) omnes Scripturæ superius citatæ peripicue docent: maximè illud Petri. *Pœnitentiã agite, in remissionem peccatorum.* Similiter ad impium Simonem Magum. *Pœnitentiã age ab hac nequitia tua, & Deum roga, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Rursum debitã pœnitentiã esse præstandã, (quod se sustulisse gloriatur Calvinus,) ex diametro repugnat illis Ioannis Baptistæ verbis, *facite fructus dignos pœnitentiã: & illi Pauli doctrinã, quam Iudæos & gentes docuit, vt digna pœnitentiã opera facerent.* Hæc enim digna pœnitentiã opera, & fructus pœnitentiã digni, debitã illã pœnitentiã præstandã docent, quam tradunt ac-

curatè

curatè SS. Patres, & post eos doctores Scholastici, & quam se sustulisse gloriatur Calvinus. Nec minus animarum tormenta adfert, qui *digna pœnitentiã opera* docet, quod Paulus fecit, quã qui debitã præstandã pœnitentiã affirmat; quod Ecclesia docet, docuitque his multis seculis, vt ipsemet fateretur Calvinus. Cæterum vt proteruus æger necessaria corporis medicamenta tormenta corporis vocat, & medicum crudelitatis accusat, sic proteruus & impius Calvinus, aliique horum temporum hæretici, *digna pœnitentiã opera*, quæ animalibus curandis Apostoli adhibuerunt, & post illos Ecclesia, *animarum tormenta* vocant, & asperitatis ac seueritatis nimie Ecclesiam accusant, non præsentem modò, sed & antiquissimã, omniumque post Christum ætatum Patres. Sic enim Calvinus scribit: *Parum me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrant. Video quidem eorum nonnullos (dicant simpliciter, omnes ferè quorum libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè ac durè loquutos.* Sic ille suos medicos accusat.

Sed vt ad præcedentiã Caluini verba redeamus, sicuti Scripturis sanctis (quod iam ostensum est) apertè aduersatur, sic & secum ipse apertissime pugnat: Supra enim dixerat. *Ostendit volumus non posse hominem pœnitentiã serio studere nisi se Dei esse noverit: Dei autem se esse nemo verè persuasus est, nisi qui eius gratiam prius apprehenderit.* Hoc autem loco dicit. *Nulli nisi afflicti & peccatorum conscientia vulnerati misericordiam Dei implorare sincere possunt, & hanc esse causã cur sine pœnitentiã peccatorum remissio non obueniat.* Hæc inter se pugnare quis non videt? Qui iam se Dei esse noverit, & hoc verè persuasus est, eiusque gratiam fide apprehendit, ille profectò summã conscientie pacem obtinet, ille peccatorum conscientia nec vulneratur, nec affligitur, quia illã iam sibi remissa esse, & Dei filium iam se esse certissime credit. Rursum qui vulneratur & affligitur conscientia peccatorum, ille se adhuc Dei esse Deique gratiam apprehendisse aut penitus ignorat, aut certè dubitat. Idcirco enim affligitur, quia Deum sibi iratum propter peccata aut sentit aut timet. Contraria igitur hæc & pugnantia apertè sunt. De vtrisque tamen Calvinus dicit quod soli tales pœnitentiã operam dare, Deique misericordiam sincere implorare possunt. Sed ideo hæc ita pugnantia Calvinus scripsit ac docuit, quia vno in loco vult pœnitentiã ex fide iustificatè

nasci,

Animarum
medicinã
non tormẽta
pœnitentiã
Ecclesiãstica
adfert.

Instit. lib. 3.
cap. 4. num. 38.

Instit. lib. 3.
cap. 3. num. 2.

Instit. lib. 3.
cap. 4. num. 3.

Calvinus
sibi ipsi con-
tradicit.

nasci, & hominem sola fide iustificari, iuxta proprium suum dogma; alio in loco pœnitentiam peccatori necessariam vult docere, iuxta manifestas Scripturas. Dum ergo quæ iuxta Scripturas alibi docuit moderari & temperare vult, tam diuinis Scripturis quam sibi ipsi manifestè repugnat & aduersatur. Et sic quidem Calvinus totum pœnitentiæ ordinem inuertit, qui in præsentis Euangelio luculenter docetur.

Nunc ipsam pœnitentiæ naturam ac rationem totam quomodo subuertat ac tollat, contra huius Euangelij apertam doctrinam, paucis explicandum est. Sanè eam, vt dixi, cum quotidiano iustorum profectu confundit. Nam post longam de pœnitentia disputationem, quam duabus partibus consistere vult mortificatione carnis, & spiritus viuificatione, quæ duo in illis verbis contineri affirmat, *Desine à malo, & fac bonum*, tandem concludens dicit, *Vno ergo verbo pœnitentiam interpretor regenerationem; cuius non alius est scopus nisi vt imago Dei, quæ per transgressionem Adæ fœdata, & tantum non obliterata est, in nobis reformetur. Sic docet Apostolus: Renouamini Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate. Item alibi. Induentes nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui creauit illum.* Hæc Calvinus. At quis dubitat, quis ignorat Apostolum ista scribere non ad infideles & impios, quibus *Deus dat pœnitentiam vt conuertantur & saluentur*, sed ad credentes & iustificatos, quibus dixit: *Ephesiis quidem; Non estis iam hostes & aduena, sed ciues Sanctorum & domestici Dei.* Colossensibus autem, *Gratias agimus Deo pro vobis &c. audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes.* Non ergo isti de numero pœnitentium erant, nec pœnitentiam docuit Paulus, quum illa scriberet.

Rursum quis dubitat, quis ignorat, renouationem illam, ad quam Paulus ibi hortatur filiorum Dei esse, & perpetuum iustorum profectum, quo de die in diem renouantur? Quid quod Calvinus ipse hanc regenerationem & renouationem eodem modo ibidem describit? *Hæc, inquit, instauratio non vno momento, vel die, vel anno impletur, sed per continuos imò etiam lentos in eandem profectus abolet Deus in electis suis carnis corruptelas, repurgat eos sordibus, sibiq; in templa consecrat, sensus eorum ad veram puritatem renouans.* Hæc est quotidiana ipsorum iustorum renouatio, profectus quotidianus, quo de virtute in virtutem ambulant, quo legitimum cer-

ramen

tamen certant positi in agone, quo denique seruiunt iustitiæ, & exercent eam, ambulantes in via iustitiæ, & facientes voluntatem Dei, vt propterea absurdissimè præcedentibus verbis adiungat Calvinus: *quo se tota vita exercent in pœnitentia.* Non enim hæc est peccatorum pœnitentia, sed est iustorum in via Domini ambulatio & in mandatis eius exercitatio. De qua sic Augustinus. *Hæc est in hac peregrinatione iustitia nostra, ad illam perfectionem plenè adueniendæ iustitiæ, vbi perfecta charitas erit, ipsiusq; cursus rectitudine & perfectione tendere, castigando corpus, elemosynas dando, orationibus insistendo, & hoc faciendo in doctrina sana.* Hæc ille. Hoc quippe modo, vt alibi idem docet, *perfecti esse possumus iustitiæ possessores, si recto itinere fidei, de die in diem nostra renouatione perficientes, iam perfecti simus eiusdem iustitiæ viatores.* Absurdissimè igitur Calvinus, quotidianum illum iustorum profectum, qui iustitiæ Christianæ cursus est, cum impiorum hominum pœnitentia confundit. Christus apertissimè hæc duo distinxit, quum diceret *iustos non indigere pœnitentiæ*: indigent enim sanè quotidiano profectu. Sed ille quotidianus iustorum profectus peccatorum pœnitentia in Scripturis vocari non solet. Sub persona filij prodigi suppliciter ad patrem redeuntis, hominem pœnitentem describi, & hanc parabolam proximæ Christi doctrinæ de pœnitentia peccatorum confirmationem esse, ipsemet Calvinus in Harmonia hoc Euangelium explicans profitetur. Atqui in huius pœnitentia, quæ renouatio, quis profectus, quis in virtute progressus apparet? Quis non videt peccatorem describi à veteri vita resurgentem, non regeneratum aliquem in via iustitiæ proficientem? Quanta igitur Caluini dementia, in ea ce pœnitentiæ vim ac rationem ponere, quæ non peccatoribus, sed iustificatis propria, nihil prorsus cum veri nominis pœnitentia aut resipiscencia commune habet? Cæterum hoc paradoxum Caluino placuit, primùm vt veri nominis pœnitentiam (ne animarum aliqua ponerentur tormenta) penitus è medio tolleret: Deinde vt illa sublata, soli iustificanti fidei facilior pateret via. Tum vt tota iustorum renouatio per Christi gratiam facta, non aliqua coram Deo iustitia, sed perpetua quædam pœnitentia censeretur. Tandem vt hoc modo nouam quandam & singularem scholam, non à Catholicis modò vniuersis, sed ab ipsis Lutheranis, aliisque horum temporum sectis diuersam, homo audax & improbus aperiret. Quam variam eius

G

impie

Pœnitentiã
cum profe-
ctu iustorum
quotidiano
confundit
Calvinus.

Instit. lib. 3.
cap. 3. num. 8.
Ibid. num. 9.

Ephes. 4. 23.

Coloss. 3. 10.

Ephes. 2.
Coloss. 1.

Ibid. vbi su-
pra.

In lib. de per-
fect. iustitiæ.

De pec. mor.
& remiss. lib.
cap. 13.

Luca 15.

impietatem, (qua stante tota huius Euangelij doctrina corruit,) populo fideli (quantum expedire videbitur) aperire, & merito execrandam proponere operæ precium erit.

Feria 2. hebdom. 3. Quadragesima.

Nemo Propheta acceptus est in patria sua.

Luc. 4.

Gratia Dei
cur suum
semper non
sortitur effe-
ctum.



Nocus explicandi veram & propriam causam non efficaciter operantis gratiæ Christi, seu quoad miracula externa ab ipso facta, seu quoad dona ac motus animorum internos: id est, cur Christus sua alicubi miracula operetur, alibi non operetur; suæque gratiæ effectus in quibusdam producat, in quibusdam non. Eadem quippe est utriusque operationis diuinæ suum aliquando effectum non sortientis ratio, quum ad humanam salutem utrumque Deus operetur: maximè verò donorum gratiæ, quæ in cordibus ipsis hominum suam sedem habent: & quæ sic in homine Deus operatur, ut actiones inde emanantes humanæ sint, ideoque liberæ, vel saltem ut hæretici concedunt, spontaneæ: de eo enim hoc nunc loco non laboramus. Si ergo defectus operationis diuinæ suum effectum non sortientis in ipsis miraculis, quæ extra hominem Christus operabatur, soliusque Christi opera fuerunt, non ab ipso Christo, sed ab hominibus in quorum gratiam fiebant causam accepit; multo magis gratiæ internæ suum aliquando effectum in duris hominum cordibus non sortientis causa, non in Deo, sed in solis hominibus ponenda erit. Est autem hæc explicatio hoc loco utilis & oportuna, propter hæreticorum huius temporis, maximè Caluini, variam hac in parte corruptelam & impietatem. Ille enim utriusque generis gratias & beneficia Christi, ita partim ex absoluta Dei voluntate, cui resisti non possit, partim ex gratia per seipsam efficaci, quam humana voluntas abicere nequit, proficisci & promanare docet; ut tam in qui-

bu

bus illæ gratiæ de facto & efficaciter præstantur, quam in quibus non præstantur, sola vel præstandi vel non præstandi causa Deus ipse sit, qui ubi efficaciter præstantur, totum solus facit, ubi non præstantur, solus etiam in causa est: quatenus impiorum corda excæcat, stupore percutit, voluntates excitat, & conatus firmat. Quorum duo priora in a Harmonia, duo posteriora in pestilenti sua b Institutione scripsit: & adhuc istis tetriora, ut in opere nostro de Iustificacione olim latè ostendimus. Atqui in hoc præsentis Euangelio docet CHRISTVS causam, cur in sua patria, & in ciuitate Nazareth, in qua nutritus erat, nulla miracula faceret, ipsorum ciuium suorum incredulitatem, arrogantiam, Christi que contemptum fuisse. Dicitis (inquit) mihi hanc similitudinem, Medice cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ad hanc eorum obiectionem, qua conqueratur quod in ciuitate Nazareth miracula non faceret, sicuti in Capharnaum plurima & stupenda fecerat, vide quid respondeat. Amen dico vobis, quia nemo Propheta in patria sua, id est vester mei contemptus, qui inter vos humili loco natus videor, huius rei causa est. Quod expressus diuus Matthæus & Marcus posuerunt: apud quos Christus in simili causa & eisdem ciuibus suis dixit: Non est Propheta sine honore nisi in patria sua & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum. Imò ait Marcus, non poterat ibi ullam virtutem facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum. Quæ sanè diui Marci verba, ita perspicua veritate Caluini oculos perstrinxerunt, ut mendaciorum suorum aliis in locis immemor (nominatim quæ ad caput decimum tertium Matth. scripserat ad illa verba, vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis datum non est, ubi dicit Deum doctrinæ suæ luce priuare homines, non solum enigmaticè loquendo, sed etiam quum aperte loquitur, eorum sensus hebetando & stupore percutiendo, ut in plena luce cæcutiant, quam impiam suam sententiam aliis ibi Scripturis firmare contendit) ad hæc tamen Marci verba ita scribit: Sanè ita res se habet. Dominus ubi videt virtutem suam à nobis non recipi, tandem eam subducit: & tamen interea conquerimur eius opem nobis deesse, quam nostra incredulitas procul arcet ac repellit. Marcus autem negans Christum etiam potuisse inter eos virtutes facere, eorum culpam amplificat, à quibus impedita fuit eius bonitas. Nam certè increduli quan-

Inst. lib. 2. ca. 3 num. 6.

& seq. a in Matth. cap. 13.

b Lib. 2. cap. 4 num. 3.

Lib. 11. cap. 4. & seq.

& seq.

Incredulitas
causa non
vide di mi-
racula.

Matth. 13.

Marc. 6.

Caluin. sibi
contrarius.

In Harmon. Euangel. ad Marc. cap. 6.

G 2

tum

Calvinus se-
ipsum refu-
tat.

Gratia Dei
cur à prava
voluntate
non vincit-
tur.

Gratia &
miracula
Christi non
procedunt à
voluntate
Dei absolu-
ta.

Gratia quo-
modo volū-
tatem ex
mala bonam
facit.
*Retract. lib.
1. cap. 22.*

lum in se est Dei manum sua contumacia constringunt. Non quod Deus quasi inferior vincatur, sed quia illi non permittunt virtutem suam exequi. Hæc Calvinus, præcedentem suam impiam sententiam ipsemet refutans, alterius huius loci perspicuitate conuictus. Et optimè quidem dicit, *Deum à vobis quasi inferiorem non vinci, quando eius manum nostra contumacia constringimus*, id est, quando eius bonitatem & sufficienter excitantem repellimus; sed causam huius rei non satis explicat. Causa quippe hæc est, ideo in huiusmodi casu Deum ab hominis prava voluntate quasi inferiorem non vinci, quia ipsa prava voluntas non vincit in hoc casu, sed deficit. Quicumque vincitur à vincente vincitur. Prava voluntas Dei gratiæ resistendo nihil vincit, sed suam impotentiam, & defectam ostendit. Non benefacere deficere est, non consentire vocanti Deo voluntatis defectus est. Deum non posse peccare, non arguit in Deo abquam impotentiam, sed summam perfectionem. Quare ita? Quia ipsum posse peccare defectus est & impotentia. Eodem modo, posse resistere gratiæ Dei, posse impedire bonitatem eius, nulla est pravae voluntatis victoria aut potentia, sed summa miseria & impotentia. Ac per hoc Dei gratia à prava voluntate non vincitur. Deinde Dei gratia sicut & hæc Christi miracula non procedunt ab absoluta aliqua Dei voluntate & infallibili, quasi videl. quomodocunque dispositos Deus sanare vellet, & apud quoscunque & quomodolibet dispositos Christus sua miracula præstaret; sed procedunt à voluntate Dei antecedente, qua paratus est Deus sanare, & parat⁹ fuit Christus miracula facere, ubi à parte voluntatis humanæ impedimentum non erat. Quare C H R I S T V S in patria sua inueniens hoc impedimentum, id est, *propter incredulitatem suorum, nullas virtutes fecit.* Eandem ob causam ubi virtutes fecit, fidei & credulitati ipsorum tribuit, quibus sua beneficia præstitit. Quod illud toties repetitum, *fides tua te saluum fecit*, luculenter demonstrat. Deus ergo ab hominum incredulitate non vincitur, quia stante incredulitate Deus virtutes facere non intendit. Similiter Dei gratia à prava hominis voluntate consensum negante non vincitur, quia stante illa prauitate Deus per suam gratiam hominem conuertere non intendit.

Dices gratiam idcirco dari, vt ex prava voluntate bonam faciat. Verum sanè id est, nam & miracula ideo fiunt vt homines credant. Sed vtrumque fit cum ipsius voluntatis li-

bera

bera cooperatione; quæ propter suam libertatem, etiam semeripsam conuertere, & seipsam ex mala bonam facere dicitur. Ait enim disertè Augustinus. *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius: sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur*, nempe nisi à Dei gratia præueniente accipiat. Atqui (dicit aliquis) idem Augustinus docet. *Dei gratiam à nullo duro coram respuit, quia ideo data est vt cordis duritia primitus auferatur.* Verum quoque hoc est, quia durum cor ab excitante & præueniente gratia necessariò mouetur, & hoc sensu penitus non respuitur: duritia tamen tota cordis, vt à Deo motum seipsam quoque moueat, actum conuersionis eliciendo, non semper auferatur: quia mouente cor durum Dei gratia, homo seipsam liberè mouet vel non mouet ad eliciendum actum Dei gratiæ conformem: vt * aliis multis in locis apertissimè Augustinus docet. Quare etsi ideo data sit gratia vt duritia cordis auferatur, quia tamen hic effectus diuinæ gratiæ operationi consequens quidem est, non autem proximus & immediatus, vt prior ille iam dictus, idcirco infallibiliter & perpetuò non sequitur, sicuti prior effectus, de quo Augustinus dixit, *à nullo duro corde respuitur.* Consequentis enim effectus intentio proximi effectus certitudinem necessariò præsupponit. Deus enim intendens peccatorem conuerrere, si ipse velit conuerti, tangit cor eius certissimè vt conuertatur si velit. Hæc apud idoneos Auditores explicari hoc loco poterunt, vt omnes agnoscant, non in Deo aut gratiam necessariam subtrahente; aut sufficientem dene-gante, sed in seipsis causam esse, cur aut miracula hodie non fiant, sicut olim (maximè in tanta hodie Martyrum copia, quos Anglicana persecutio dedit) aut ad Deum homines à peccatis vel hæresi non conuertantur. In seipsis inquam, quia aut oblatam Dei gratiam improba voluntate respuint, aut orthodoxam veritatem luculentissimè hodie defensam vanitati hæreticæ ad oculum demonstratæ postponunt; aut ne illa gratia omnino offeratur, ne hoc seculo miracula per tot Martyres fiant, & ipsorum præcedentia peccata, & præsens incredulitas in causa fuerunt.

G 3

Feria

*De prædest.
Sanct. cap. 8.*

* *De corrup.
& grat. c. 2.
Cone. 27. in
Psal. 118. E-
nar. in Psalm.
70. & 77.
Serm. 13. de
verb. Apost.
De nat. &
grat. c. 32.*

Feria 3. hebdom. 3. Quadra-
gesima.

Matth. 18.

1. Si te audierit, lucratus erit fra-
trem tuum.



Causis par-
tialibus to-
tus tribuitur
effectus.

Locus obseruandi frequentem in Scriptura loquendum ut effectum totum partialibus causis, & eisdem infimis non raro tribuat. Lucrari enim animam perditam, præcipue quidem Deo, eius gratiæ & Christi merito tribuendum est, partim quoque ipsius conuersi pœnitentiæ, lachrymis, fidei, fiduciæ, orationi, aliisque ex libero eius arbitrio cum speciali Dei auxilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tribuitur correctioni fraternæ, quæ non nisi externum quoddam medium est, idemque inter externa infimum, quum Pastoris prædicatio & correptio magis sit ordinarium & excellens medium, quia ex vnctione loquitur. Docere his locus hæreticos hodie debet, ne blasphemiam putent, si Beatam Virginem aut alios Sanctos, vitam, spem ac salutem nostram interdum vocamus: quatenus videlicet, vitæ, spei ac salutis nostræ partiales causæ sunt, tamen nec primariæ nec integræ. Docere etiam hic locus hæreticos debet, non statim vni causæ totum effectum tribuere, quia vnus interdum causæ mentio in Scripturis fit, vbi totius effectus consequi dicitur: ut in variis illis sententiis: *fides tua te saluum fecit*, in Euangelio: & *fide iustificamur* in Epistolis Paulinis. Quum enim de spe & charitate & obseruatione mandatorum similes sententiæ legantur, ut illis quoque salus & iustificatio tribuatur, non magis soli fidei totus ille salutis & iustificationis effectus tribuendus est, quam soli spei, aut soli charitati, aut soli obseruationi mandatorum. De spe Paulus dicit: *Spe salui facti sumus*. De charitate dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*. *Qui manet in chari-*

Rom. 8.
1. Pet. 4.
Lucæ 7.
1. Io. 2. 4.
Ioan. 14.

tate

tate, manet in Deo, & Deus in illo. Si quis diligit me sermonem meum seruat, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Multaque alia huiusmodi, quæ diuus Ioannes tum in Euangelio suo, tum in Epistola prima de charitate laude necessitate, virtute amplissimè scribit. Denique de vno illo charitatis actu huius Euangelij, quo per fraternam correptionem lucratur animam fratris nostri dicit diuus Iacobus: *Qui conuersi fecerit peccatorem ab errore viae suæ, saluabit animam eius, & operiet multitudinem peccatorum*. De obseruatione mandatorum disertissimè Christus dicit. *Si vis ad vitam ingredi: serua mandata*. Et Paulus ad eundem sensum: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei*. In his omnibus sententijs, partialibus causis totus tribuitur effectus, quia veræ causæ sunt, tamen non integræ. Quod contra hæreticorum imposturas, ex huius occasione sententiæ obseruare operæpretium erit.

Iacob. 5.

Matth. 19.
1. Cor. 7.

2. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Locus explicandi contra horum temporum hæreticos, penes quos est censura ac disciplina Ecclesiastica hinc à Christo instituta: Disciplinam enim & censuram Ecclesiasticam à Christo hoc loco institui omnes intelligunt. Sed Ecclesie nomine quid intelligi debeat, non omnes rectè assequuntur. Hæretici hodie ut Ecclesiasticam disciplinam, quam à Prælatibus Ecclesie exerceri videbant, penitus subuerterent, seque ipsos à censuris Ecclesie, ipsaque maximè excommunicatione immunes seruarent, nouas huius loci interpretationes commenti sunt. Quidam enim toti congregationi hæc authoritatem tribuunt, tum quia Ecclesia congregationem & multitudinem significat, tum maximè quia publica censura his verbis significatur. Christus enim (aiunt illi) gradatim ascendit à priuata admonitione ad testes duos, aut tres à testibus ad Ecclesiam: quæ nisi plures quam duo aut tres essent, non esset gradatio, sed descensio. Totam igitur fidelium congregationem intelligunt, non quidem toto orbe dispersam, sed illius loci ac parociæ, cui frater

Hæreticorum
variæ senten-
tiæ de Eccle-
siastica cen-
sura. i. Sētēt.
De tota coti-
gregatione.

G 4. corripiendus

2. Sentent.
De Senioribus populi.

Calvinus

Beza

Consistoria
Calvinian.

3. Puritanorum sententia.

Musculus
Bernensis &
Gualterus
Tigurinus
contra Calvinistas.
Confessio Heluetica,
Cap. 17,

corripiendus subiicitur: quia actor sequitur forum rei. Hæc fuit prima Lutheranorum sententia, adeo ut quidam illorum verterit hæc Christi verba, *dic Republica*, ut annotavit hoc loco Beza. Sed hos omnes turpiter errare idem statim affirmat. Calui. igitur cum suis exponit hæc verba, *dic Ecclesia* idest, *dic Senioribus populi*. Nam adhuc quidem locum ita scribit. *Legitimam Ecclesiam gubernationem præbyteris inunctam fuisse constat, non tantum verbi ministris, sed qui ex plebe morum censors illi adiuncti erant*. Hæc ille hoc loco. Idem accuratè docet Institutionum libro quarto capite tertio numero octavo, & Ecclesiam nomine intelligendos esse ait *Seniorum Senatam* seu Consistorium, ut nunc vocant. Theodorus Beza in hunc locum eodem fere modo: *Evangelista* (inquit *pro Seniorum collegio Ecclesiam dixit*. Luc. autem cap. vigesimo secundo ver. 66. Seniores populi τὰ πρεσβυτέρων τῆς λαῆς, quæ verba ille vertit, *Ordo seniorum populi*. Idem in Confess. fidei cap. 5. sect. 32. *Seniorum senatum à Christo hoc loco intelligi affirmat*. & in præfatione confessionis Helueticæ in hunc Senatam Seniorum viros principes ac nobiles, qui autoritate valeant; eligendos monet. Hinc eruerunt Calvinistæ per totam Galliam, & in Hollædia, sicut & Anabaptistæ, sua Consistoria seu Seniorum senatum ex laicis hominibus Pastori adiunctis cōfectum; penes quos est omnis potestas & iurisdictio Ecclesiastica, nō solum quoad cēsuras & disciplinas, sed etiam quoad collectas pecuniarias faciendas, quoad leges morum, quoad cetemonias in cultu diuino, & quoad dubia de fide confinienda. Puritani in Anglia Calvinii sententiam sequuntur, nisi quod ex solis Ecclesiasticis viris seu potius ministerialibus, & ijs qui ad Ministerium vocati sunt hunc Seniorum Senatam consistere volunt. Anglo Calvinistæ seu Caluino Papistæ à tota hac Calvinii forma ex voluntate Principis dissidentes, docent & sustinēt contra Puritanos in locum horum Seniorum Magistratum civilem successisse. Quare apud illos, *dic Ecclesia* significat, *dic magistratum civilem*. Ex hac sententia Musculus in locis comm. in capit. de magistratibus hæc Calvinistarū Consistoria & Seniorum Senatam multis verbis confutat. Gualterus quoque Tigurinus acerbè in illa inuehitur in comment. in 1. ad Corinth. capite quinto. Quare Heluetica confessio, cui Tigurini subscriperunt, presbyteros & seniores confundit, ac pro eodem habet. Nam & electos ad ministerium à Senioribus ordinandos, & pec-

cantes

canes à Senioribus corripiendos docent. Sic varia & confusa est hæreticorum hodie circa hæc Christi verba sententia. Omnes tamen in eo conueniunt, ne Ecclesiam nomine Prælati Ecclesiam, ut vnus Pastor, aut Episcopus, aut summus Pontifex vllō modo intelligatur.

Vno autem argumento præter ea quæ iam dicta sunt, omnes innituntur. Christus (inquiunt) censure & disciplinæ formam hoc loco accepit ex ipsa Synagoga consuetudine, in qua tunc erat Synedrium, seu Seniorum populi tribunal, quorum arbitrio omnis disciplina subiacebat, ad exemplum Moysis, qui causis & litibus componendis 70. Seniores præfecit. In hoc ergo iudicio, *dic Ecclesia*, intelligit Christus Seniores populi, non vnum aliquem Pastorem. Hoc argumentum multis verbis hoc loco profectur a Calvinus, & breuiter perstringit b Beza. Sed vtrique breuiter respondeo. Tametsi probabile sit iuxta formam loquendi, ad Seniorum Senatam, qui apud Iudæos erat Christum alluisse ideoque *Ecclesiam* vocabulo, quæ multitudinem significat usum fuisse, tamen certum est quod sensus verborum eius non ad Iudicæ, sed ad suæ Ecclesiam futuram politiam respiciebat: quæ quia nec Democratica, ut populus regat, nec Aristocratica, ut pauci Seniores gubernent, sed monarchia instituta est, (*Dedit enim Apostolos, Prophetas, Doctores & Pastores in edificationem corporis sui &c.*) non nisi de vno Ecclesiam Præposito intelligit possunt: ut Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, & alij hoc loco intellexerunt. Sic quæ Christus Matth. 23. Scribis & Phariseis ad litteram dixit, *Quæ dicunt facite &c.* de Præpositis Ecclesiam totum intelligendum est: ut docet a Augustinus, b Chrysostomus, & c Origines. Sed & Calvinus ipse ut primam Lutheranorum sententiam refuter, quæ Ecclesiam nomine totam credentium multitudinem intelligi vult, idque exemplo disciplinæ apud Paulum, qui Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero Seniorum, sed à toto piorum cætu excommunicari iubet, hunc in modum respondet. *Quia tunc nulla adhuc Ecclesia erat, quæ Christo nomen dedisset, nec talis ratio de paucorum delectu adhuc constituta, ipse autem Dominus tanquam de more vsitato recepto loquitur, non dubium est quin ad veteris Synagoge ordinem alludat, quia absurdum fuisset Ecclesiam, quæ adhuc nulla erat, iudicium proponere*. Hæc ille. Eodem modo ipsi Cal-

Exod. 18.

a In Harmo.
b In Annot.

Ecclesiastica
censura pro-
batur esse pe-
nes Ecclesiam
Prælatos.

1.
Ephes. 4.

a Serm. 49.
de verb. Do.
b Hom. 8. 5. in
Ioan.
c Hom. 7. in
Ezech.

2.
1. Cor. 5.

Calvinus
Lutheranis
respondens,
seipsum refu-
tat.

uino de Seniorum Senatu, quem confinxit, respondendum. Quia necdum Ecclesia Christi, aut futura eius politia constituta erat, Dominus visitato more loquens ac veteris Synagogæ ordinem alludit, quia absurdum fuisset Ecclesiæ, quæ adhuc nulla erat, iudicium quale futurum erat proponere: Sicuti ergo ex his verbis *dic Ecclesia*, Democratia in Ecclesia Christi poni non potest propter vocem *Ecclesiæ*, quæ multitudinem significat, vel propter exemplum Pauli, qui in primis Ecclesiæ rudimentis illa forma vsus videtur: sic nec Aristocratiam aut seniorum consistoria ponere oportet, propter morem Iudaicum, ad quem Christus alludit: sed *Ecclesiæ* nomine illi intelligi debent, quibus postea omnem disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem commisit. Neque enim Christus in his verbis, *dic Ecclesia*, dat aliquam authoritatē

3. Ecclesiæ, sed præsupponens illam authoritatem futuram, ostendit quanta & qualis esse debeat. Penes autem quos futura esset, non his verbis *dic Ecclesia*, sed sequentibus illis, *Quæcumque alligaueritis super terram &c.* explicat Christus.
4. Nam de Ecclesiæ Præpositis, & de vno sententiam ferente, hæc verba intelligi, non solum Patres omnes semper intellexerunt sed & ipsi hodie Caluinistæ agnoscunt, qui ipsam excommunicationis sententiam, qui est alligare super terram, non nisi à ministro seu Pastore pronunciarī debere vnanimiter docent.

Matth. 18.

5. Postremò quid sit dicere Ecclesiæ, vel non audire Ecclesiam hoc loco, satis perpiscuè Christus docuit, quando non populo aut Senioribus populi, sed solis Apostolis, eorumque successoribus dixit: *Qui vos audit me audit: Qui vos spernit, me spernit.* Dicit ergo Ecclesiæ qui dicit Præposito Ecclesiæ, & audit Ecclesiam qui audit Præpositum Ecclesiæ.

Lucæ 10.

Argument.
hæreticorū
respondetur.

Neque tamen propterea Christi gradatio hoc in loco manca aut mutila, sed prorsus perfecta & plena est. Plus enim est vni dicere, seu apud vnum querelam deponere, penes quem Authoritas est alligandi in terra quæ erunt ligata in celo, quàm vel priuatim vel corā testibus corripere qui refractarium per excommunicationem aut aliam censurā puniendi potestatem non habent. Denique sicut in veteri populo per totū populū & totā Synagogā intelligebantur Seniores populi, vt habes Exod. 4. Iosu. 20. & 1. Paral. 13. quia penes Seniores populi erat gubernatio, sic in nouo statu & hoc in loco per Ecclesiā intelliguntur Præpositi & Pastores, quia hos *Spiritus Sanctus* posuit regere populum Dei. Frustra

Act. 20.

erg

ergo Caluinus, Beza, Musculus, omnesque ferè huius ætatis hæretici, ex Christi verbis, *dic Ecclesia*, Monarchicā in Catholica Christi Ecclesia politiam perpetuò obseruatam subuertere conati sunt. Sanè quum Theodorus Beza pro suo Seniorum collegio seu Senatu, consuetudinem temporis Apostolicæ allegaret dicens, *Quod ad nostras Ecclesias attinet, profitemur maximè nobis probari puritatem Ecclesiarumque sub ipsis Apostolis viguit*, respondet ei Musculus in locis commu. *Si reuocas temporum illorum mores, primùm conditiones & status quoque illorum temporum reuoca.* Et rursus: *Distinguendum est inter statum Ecclesiarum qui tum erat, & inter eum qui nunc est.* Hæc ille, admittens quidem pro vero quod Beza affirmat, (quum tamen sit penitus falsum, vt vel ex his quæ dicta sunt, satis apparet) consequentiam tamen quam Beza facit penitus reiiciens.

Confess. fidei
ca. 5. sect. 20.Cap. de Magi-
stratibus.

Feria 4. hebdom. 3. Quadra- gesima.

I. Quare discipuli tui transgrediuntur tra- ditionem Seniorum?

Matth. 15.



Ocus diligenter explicandi, quæ & qualis hæc Pharisaorum interrogatio fuerit, & cur eam Christus reprehenderit. Videtur enim hæreticis, & imprimis Caluino, ex hac interrogatione à Christo reiecta, omnes penitus traditiones humanas atque Ecclesiasticas ipsas vt rem supersticiosam, procul ablegari, penitusque damnari. Quare multus & copiosus in hoc capite Caluinus est, vt iustissimas Pharisaorum reprehensiones in eo comprehensas, in Ecclesiam Catholicam transferat. Ac primùm, ad hunc locum quod attinet, cauillationem hanc & superstitionem Pharisaorum in eo consistere vult Cal. quod ceremoniam lauandi manus, rem per se liberam & indifferentem, sic vrgebant contra discipulos Christi, qui eam prætermiserunt, quasi rem necessariam, & ad Dei cultum pertinentem, quum in lege Dei præscripta non esset, sed ab illis verbo Dei assuta. Idem affirmat de aqua benedicta ceremoniam Ecclesiasticam,

quia

Cauilla Caluini puerilia & putida.

Luc. 10.

Epist. 118. cap. 5.

Traditionū Ecclesiasticarum contemptus ex Pharisaicarū reprehensione non sequitur. Traditionū Ecclesiasticarū à Pharisaicis discrimen duplex.

1. Discrimen.

Deut. 4.

quia ad exorcismos illam applicamus, & ut rem necessariam regemus, & vnicum baptismum toties iterando quantum in se est obliteramus. Quod postremum ab eo ineptissime obiici vel quælibet anicula Christiana aduerteret; quæ aquæ benedictæ usum à baptismo longissime distingui statim responderet. Nec secundum quod ponit vel vllus idiota Catholicus ignorat merum mendacium esse, quum omnes videant in eorum vsu nullam necessitatem poni, sed liberè vel assumi, vel non assumi: modò absit contemptus, qui non in ceremoniam, sed in Ecclesiæ Præpositos, qui eam instituerunt, imò in Christum cadit, dicente ad illos Christo, *Qui vos spernit, me spernit*. Primum quod obiecit, apertam Caluini insaniam demonstrat; iuxta illud Sancti Augustini. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est*. Ad cauillationem Phariseorum quod atinet, si rectè expendatur textus, de discipulorum factò nihil in alteram partem respondet Christus, sed in ipsos Phariseos grauiora crimina retorquet, vt transgressionem mandati Dei in decalogo propter quandam eorum traditionem in auaritia fundatam, item hypocrisim eorum, de qua postea dicitur. Sed factum discipulorum, qui non seruabant traditionem illam Seniorum de lauandis manibus, Christus apertis verbis nec defendit, nec damnat: vt propterea traditionum Ecclesiasticarum contemptum ex hoc factò discipulorum Christi deducere hæretici nullo modo possint. Cæterum vt eunque hac in re discipuli vel peccauerint, vel non peccauerint (Christus enim eorum factum nec damnat nec defendit) traditiones illas Seniorum cum traditionibus Ecclesiasticis nullam planè affinitatem habere duabus maximè ex causis notandum est. Primum, quia tota ratio cultus diuini apud Iudæos in ipsa lege Moisaica exactissime & scrupulosissime tradita fuit, difertèque vetitum, ne quid ei adderetur, dicente Moysè: *Non addetis ad verbum quod ego vobis loquer*. &c. Quare reliquis Prophetis aut sacerdotibus post Moysen nulla est data potestas nouas ceremonias instituendi. Atqui de cultu nouæ Ecclesiæ, quam Christus erexit, Christus ipse excepta Sacramentorum institutione & vnica precandi formula nihil ordinauit, nec in historia Euangelica vlla prohibitio extat, vt ad verbū Euangelij scriptum nihil addatur; sed contra Christus iussit suos Apostolos *sicut semetipsum audiri*: Misit illos cum amplissima potestate *sicut pater ipsum miserat*: promisit, & postea

misit

misit spiritum s. qui eos omnia doceret. Denique ipsi Apostoli & Seniores præcepta vana promulgarunt, & obedientiam aliis Præpositis deferendam præscripserunt. Reliquerunt denique nobis traditiones partim scriptas in epistolis, partim non scriptas, vt Paulus testatur. Hæc est igitur vna latissima differentia cur Seniorum traditiones non scriptæ in lege à discipulis Christi negligi potuerint, traditiones tamen Ecclesiasticæ non scriptæ in Euangelio vel literis Apostolicis contemni à Christianis non debeant. Altera ratio est, quòd hæ traditiones Seniorum ad nullam populi Iudaici ædificationem, sed onus inutile, nec ad diuini cultus augmentum, aut tanquam medium melius colendi Deum, vt affirmat Calvinus, sed ad eius corruptelam potius faciebant (vnde illa omnia *apiles f. bulas* Paulus vocat, vt docet Augustinus contra aduersar. legis & Prophetarum) & à recentibus Scribis ac Doctoribus paulo ante Christi aduentum ortum habuerunt, vt latè describit Epiphanius in hæresi Ptolomeitarum & D. Hieronymus variis in locis, in cap. 8. Esaiæ: in cap. 3. Epist. ad Tit. in Episto. ad Algasiam quæst. 10. Vide quoque Irenæum lib. 4. cap. 25. & 26. Traditiones autem Ecclesiasticæ, quas exemplo discipulorum Christi cõtemnere volunt hæretici, sunt traditiones Apostolicæ & totius antiquitatis testimoniis firmatæ, non recentè inuentæ, omnèsque ad Dei cultum & populi ædificationem institutæ. Quare nullam, vt dixi, affinitatem traditiones Ecclesiasticæ cum Seniorum traditionibus, quarum transgressio à Phariseis obiicitur, affine aut commune habent. Inepta igitur & insulsa cauillatio est propter Pharisaicas reprehensas, Ecclesiasticarum traditionum contemptum concludere.

2. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Locus obseruandi hæreticos interpretes hoc loco omnes, verbis quidem generalibus hoc idem crimen Catholicæ Ecclesiæ impingere, sed in nulla Ecclesiastica traditione hoc hætenus probare potuisse. Crimen Phariseorum his verbis à Christo obiectum, non illud erat, quod cæteras traditiones extra verbum Dei scriptum seruarent, sed quod illis seruandis ita præposterè & superstitiosè, adeoque im-

piè

Ioan. 15. & 16.

Act. 15. & 16.

Hebr. 13.

2. Thess. 2.

2. Discrimen.

1. Tim. 1.

Lib. 2. cap. 1.

Phariseorum crimen circa traditiones suas.

piè inhererent, vt propter illas seruandas Dei mandata in Lege scripta cur negligenter, aut penitus violarent, aut peruersis expositionibus eluderent, vt in textu apparet, circa mandatum *de honorandis parentibus*. Propter hanc enim preposteram & superstitionem, adeoque impiam suarum traditionum obseruationem, illud Esaiæ vaticinium in illos merito contorquet, quo dixit Propheta. *Sine causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Quare Marcus illis verbis propheticis statim subiunxit. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones vestras.* Hæc igitur ob causam per doctrinas & mandata hominum frustra & in vanum Pharisæi Deum coluerunt, aut potius colere se Deum existimarunt, quia sua illa mandata, suasque illas traditiones ita vnicè deperibant, ita aliis obtrudebant, vt DEI interim mandata propter hæc humana, vel negligenter, vel violarentur, vel etiam peruersis interpretationibus eluderentur. Fuit ergo Pharisæica hæc (vt ipse Calvinus agnoscit) *non ex professo, sed obliqua transgressio Legis Dei, quum officia diuinitus inuncta securè omitti patiebantur. Scriba enim suis placitis ita addictum tenebant populum, vt intendere verbo Dei non vacaret.* Hæc ille, & alia quædam, satis rectè Pharisæicam transgressionem qualis esset describens. Sed mox impiè & infulsè admodum in Catholicam Ecclesiam idem crimen contorquet, his verbis: *Nunc pro se quisque expendat, an non hodie magis hæc prauitas in Papatu grassetur, quam olim apud Iudæos. Non negat quidem Papa quin sit obediendum Deo. Sed vbi ad rem ventum est, quia non secus ac capitale crimen detestantur modicum carnis gustum, quibus furtum vel scortatio veniale delictum est, propter suas traditiones euertunt Legem Dei.* Hæc est licentia Calviniana & omnium hæreticorum hodie, non nisi putidis mendaciis Catholicam doctrinam traducere, suosque miseros discipulos meris mendaciis pascere. Non modicum carnis gustum (qui aliqua ex causa etiam ieiunio seruato legitimus esse potest) sed iustam ex carne refectionem tempore ieiunij, non semper & simpliciter vt capitale crimen detestatur Ecclesia, (nam vel infirmitas ab omni peccato, vel obliuio aut ignorantia diei ab omni crimine liberare potest) nec tam in ipsa simplici comestione capitale crimen ponit, quam in contemptu legis Ecclesiasticæ, vel in scandalo aliorum. Furtum vero vel scortationem pro veniali delicto Catholica Ecclesia nunquam habuit, nisi aut furtum intelligat, vbi materia

exiguitas

Caluini criminatio putida & mendax.

exiguitas à mortali excusat, vel de scortatione loquatur, quæ sola cogitatione concipitur, absque consensu vel actu criminis. Quæ sanè duo nec furtum, nec scortatio simplici sermone appellanda sunt. Sed aliter quam mentiendo docere Calvinus non potuit.

3. *Sine causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Locus hæc verba à fermento Calviniano asserendi & repugnandi. Iam in duobus præcedentibus locis ostensum est, nec traditiones Ecclesiasticas cum Pharisæicis aliquid commune habere, nec ipsas Pharisæicas simpliciter à Christo damnari, sed propter certas circumstantias illis adiectas, quas in secundo loco aperuimus. Ait tamen adhuc Calvinus hæc verba exponens, à *Christo in vniuersum reprehendi, quod homines peruersè DEVM colant suo arbitrio.* Qui sanè sensus de priuatis hominum cultibus acceptus verus est, sed nec à CHRISTO hinc intentus, vt ex adiectis circumstantiis iam ostendimus, nec ad traditionum Ecclesiasticarum reprehensionem vlllo modo pertinens: quæ ipsum Deum authorem habent, non priuatos homines, vt ostensum quoque superius est. Addit postea Calvinus docere his verbis Christum, *non alium esse rationalem Dei cultum, quam qui ad regulam verbi eius formatus est.* In hunc sensum multa Calvinus in principio huius capituli disceptauit: quorum omnium vanitatem breuiter explicabo, vt habeat concionator, non solum quo Calvinum traducat, Euangelicæ doctrinæ corruptorem maximum, sed imprimis quo calumnias acerbæ Ecclesiæ Dei ab illo impostore intentatas clarè aperiat, & solidè refutet. *Videmus (inquit) quanta in ratione & modo colendi Deum sit hominis proteruita. Nonos enim cultus subinde consingunt, & quo quisque videri vult sapientior, suum acumen in hac parte ostentat.* Hæc ille pro suo libito garriens. Mox de quibus loquamur, ostendit, *Non de extraneis loquor, sed de ipsis Ecclesiæ domesticis, quos Deus peculiariter hoc honore dignatus est, vt pietatis regulam ore suo dictatam habeant.* Catholicos ergo accusat, & ipsos imprimis Ecclesiæ magistros. Vbi sic obiter Calvinum premo. *Si Ecclesiæ domesticos, & ex quorum ore pietatis regulam dictari Deus voluit, eos esse agnoscis quos accusas,*

qua

Caluini putida disputatio contra cultus non scriptos.

Act. 8.

Caluini criminationes in totam Ecclesiam.

qua eos fronte accusare audes? & à vera Ecclesia quare te subtraxisti? Si tales non sunt, sed Antichristi, non Ecclesie membra, cur ita stultus es, vt contra caput tuum, eos Ecclesie & domesticos & capita profiteri volueris? Sed hoc est perdere sapientes in sapientes in sapientia sua. Ad rem redeo. Nunc accusationis fundamenta sequuntur. *Præscripsit Deus quomodo à nobis coli velit, ac perfectam sanctitatem lege sua complexus est.* Hoc Caluino negamus, quod totam rationem cultus diuini in particulari Deus in Scriptura Evangelica vel Apostolica nobis præscripsit. Hæc enim Scripturam per Legem Dei significare debet, nisi ad legales ceremonias cultum Dei hodie reformandum iudicet. Causas cur hoc negari debeat, ex ipsis Scripturis ostendimus in prima parte huius operis, in Domin. infra Oct. Natalis Dom. circa ieiunia Annæ Prophetissæ, & in festo Simonis & Iudæ. Prosequitur suam accusationem Caluinus. *Bona pars quasi res sit leuis & frivola obsequi Deo, ac seruare quod præcipit, multa additamenta hinc inde sibi accersit.* Generalis accusatio qua facilitate obiicitur, eadem negatur: & dolosus versatur in generalibus. Sequitur: *Qui auctoritate pollent, commenta sua in hunc finem obtrudant, quasi aliquid habeant perfectius verbo Domini.* Insulsa calumnia est hominis impotenter maleuoli. *Obrepat deinde tyrannus, quia ubi semel iubendi licentiam sibi sumpserunt homines, rigide exigunt suarum legum obseruationem, nec sustinent vel minimum apicem vel contemptu, vel etiam negligentia omitti.* Alia rursus hæc est, & generalis calumnia, à terro maleuolentiæ pectore profecta, vt facile ostendat Caluinus, in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis se fuisse, quum hæc euomeret. Videamus tamen sequentia, an aliquid sobriè dicturus sit. *Porro mundus quum legitimi imperij sit impatiens, maximeq; ad iugum Domini ferendum contumax, laqueos tamen vanarum traditionum facile ac libenter induit: imò talem seruitutem videntur multi appetere.* Scilicet non contentus Ecclesie Catholice magistros tyrannidis accusasse, nunc totum populum Christianum affectatè superstitionis accusat. Bene habet. Homini insani maleuolentia & facundia canina nemini vult parcere. Sed nunc quam laruam obtrudat, sequentia demonstrant. *Interea vitatur cultus Dei, cuius principium ac caput est obedientia. Eius imperio præfertur hominum auctoritas, morosè, adeoq; tyrannicè cogitur vulgus totum suum studium ad nugas applicare.* Laruam obtendit de vitiatu cultu Dei, sed totum definit in accusa-

tionem

tionem Præpositorum Ecclesie, quibus obedire & subiaccere quum Apostolus iubet, hoc totum bonus Caluinus morositatem & tyrannidem vocat. Hæc quasi præfatus Caluinus, vt apud suæ farine homines, lectoris beneuolentiam captaret, ad doctrinam huius loci descendit.

Docet (inquit) hic locus primùm omnes fictitios cultus minime Deo placere. Verum hoc est de omni cultu priuata auctoritate aut superstitione inuecto, idq; contra Dei legem, qui propriè fictitius cultus est hoc loco damnatus. Talis enim Phariseorum hæc traditio erat, quod filij offerentes dona in templo, & parentum necessitati non subuenientes, mandatum Dei de honorandis parentibus satisfacerent. Sed an tales fictitios cultus Caluinus intelligat, sequentia docebunt. *Quia (inquit) se vnum audiri Deus vult, vt nos ad veram pietatem suo arbitrio formet ac instituat.* Cultum ergo fictitium Caluinus definit, qui ab vno Deo non instituitur. Cui respondeo. Aut vnus Dei nomine eos quoque completitur, quos Deus mittit, vt eius nomine ad pietatem homines instituant, & sic Ecclesie Magistros, Pastores ac Doctores agnoscit, qui dati sunt ad consummationem sanctorum, & ad adificationem corporis Christi, quæ duo cultus quoque diuini rationem continent, & contra præcepta atque auctoritatem Ecclesie nihil dicit; aut vnus Dei nomine alios omnes præter Deum excludit, & sic egregiè & impiè mentitur, quum ait, *se vnum audiri Deus vult.* Christus enim Deus ipse aliter dixit, Apostolos suos alloquens, *Qui vos audit, me audit.*

4. Non quod intrat in os coinquinat hominem.

Locus hæreticus in hæc verba cauillationes breuiter & dexterè soluendi. Omnes enim aut pene omnes hodie hæretici his verbis abusi sunt, vt ieiunia aut delectus ciborum ab Ecclesia præscriptos, res liberas esse, & nihil ad pietatem facere, quia violatum ieiunium, aut quilibet sine delectu cibus coinquinare hominem non potest. A quorum etiam stultitia temperare sibi Caluinus non potuit, quin illud etiam hoc loco annotaret. Nam circa huius parabole explicationem, quam Christus postea facit, ait. *Hic Christus fustus exponit, quod prius attigerat, regnum Dei non esse positum in cibo & potu, sicuti etiam Paulus docet Rom. 14. Nam quum res externa nature pure sint, liber quoque ac purus est*

H

earum

Hebr. 13.

Deus solus quomodo audiendus.

Ephes. 4.

Luc. 10.

Delectus ciborum defenditur.

in Harmon. Euangel.

earum usus. Nec verò ex bonis Dei creaturis contrahitur immundities. Hæc ille: cui stolido hæretico iam millies à Catholicis responsum est, cibum quidem vetitum quatenus cibus est, & quatenus in os intrat, non coinquinare, sed præcepti Ecclesiastici contemptum, & ipsum cibum quatenus vetitus est multum coinquinare. Caro porcina si eam comederet Iudæus vigente adhuc lege, quatenus comesta non coinquinabat, sed quatenus vetita ira coinquinabat, ut sancti illi Machabæi, senexque Eleazarus mori potius voluerint, quàm illam comedere. Dicit Apostolus; *In vino est luxuria.* Haud dubiè vinum quatenus bibitur & intrat in os, non generat luxuriam, nec coinquinat, sed immoderatè sumptum, luxuriam generat; Sic ergo in cibo vetito est peccatum, sicuti in vino immoderato est luxuria. Pauli verba ad Romanos 14. quam vim habeant, ibi explicitum. Rerum externarum tametsi in se puræ sunt, non est tamen usus purus semper ac liber: sed sicut immoderatus usus impurus atque illicitus est, sic usus earum legitima autoritate vetitus ac prohibitus, impurus quoque atque illicitus est.

2. Machab. 7.

Ephes. 5.

In Antidotis Apostolicis.

Feria 5. hebdom. 3. Quadragesima.

Exibant demonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, qui sciebant ipsum esse Christum.

Luc. 4.

1. Cor. 11.

Hæretici nullo modo audiendi.

Hebr. 11.

2. Petr. 2.



Nocus, non esse audiendos hæreticos, Satanas ministros, & in angelos lucis sese transformantes, tametsi vera dicentes, & veram ex parte fidem aliquando profitentes. Nam ut Christus hoc loco utilem & necessariam doctrinam tradit, nullum nobis cum dæmonibus commercium habendum, nec ullam ab illis veritatem exquirendam (quod contra horum temporum magos & maleficos incredibiliter exundantes obseruari potest) sic etiam docet cum hominibus hæreticis, qui ministri Satanæ & organa sunt, & per quorum ora ac linguas filios subtractionis, indoctos & instabiles

Chri-

Christianos fallit ac decipit, sicut olim per ora pseudoprophetarum Israëlitas incredulos decepit (Dicebat enim, ego ero spiritus mendax in ore Prophetarum, ut decipiam Achab:) nullum esse habendum commercium, nec ullam ab illis veritatem exquirendam. Profitebantur hinc dæmonia Iesum esse CHRISTVM, id est, Messiam à populo fidei expectatum: & hoc se scire aiebant. Et aliud immundum dæmonium hoc eodem in capite exclamavit voce magna, dicens: Scio te qui sis, sanctus Dei: ο άγιος Θεός. Ille Sanctus Dei. Increpavit tamen illum Iesus, dicens. Obmutesce. Noluit ab eo testimonium accipere. Hoc quoque in loco increpans non sinebat ea loqui, aut profiteri, quod scirent ipsum esse Christum. Christus quidem aliis in locis tum discipulis suis, tum iis quos sanauerat, præcepisse legitur, ne dicerent illum esse Christum. Sed illud simplex præceptum erat sine obiurgatione, idemque magis humilitatem suam docens, quàm alios obligans; unde & eo non obstante, quanto magis præcipiebatur eis, (ait Marcus) tanto magis plus predicabant. Quare illis in locis utuntur Evangelistæ verbo διεσαίεθ; Sed hoc in loco utitur Lucas verbo ἐπέλιπον, quod significat cum imperio increpare, & cum increpatione imperare. Nam & eodem verbo utitur hoc eodem capite Lucas, quum de Christo dicit, Imperavit febrim. ἐπέλιπον τῷ πυρετῷ: quod Beza vertit, obiurgavit febrim. Christus ergo increpans hoc loco dæmonia, & non sinens ea loqui, imperio & præcepto utitur cum obiurgatione & reprehensione coniuncto. Cur autem hoc fecerit, docet egregiè Sanctus Chrysostomus. Diabolus (inquit) veritatem aliquando dicit, primum ut rerum ordinem confundat, deinde ut auferat Apostolorum dignitatem: postremo ut multitudini persuadeat sibi attendere. Quæ ne fierent, etiam vera dicentium dæmonum ora obstruxit Christus. Hæc ille. Tres causas ponit, quæ hæreticis ad amissum quadrant. Garrit hæreticus, & veritatis amicus aliqua semper ex parte videri vult; vel ut Ecclesiæ ordinem confundat, in qua non omnes Propheta, non omnes Doctores, ideoque non omnes audiendi sunt: vel ut Præpositorum Ecclesiæ auctoritatem sibi ipsi vendicat, & inuadat gregem lupus rapax; vel denique ut sibi attendere indoctos & instabiles faciat, abducens discipulos post se, & ponens sibi nomen in terra, ut impietatis nomine inclarescat. Paulus Christi exemplum imitatus, clamante post Paulum & Silam puella spiritum pythonem habente, Hi sunt serui Dei altissimi

3. Reg. 22.

Matt. 16. 20.

Marc. 8. 36.

Homil. 29. in ad Cor.

Tres causæ cur hæreticus aliqua vera dicit. 1. Cor. 11.

Act. 20.

Act. 16.

quod haud dubie verissime dicebat) *dolens precepit spiritui exire ab ea.* Doluit Paulus, non quia vera dicebantur, & quidem tum cognitu necessaria (expediebat quippe publice sciri Paulum & Silam veritatem Evangelicam predicantes, seruos Dei altissimi fuisse:) sed quia a diabolo dicebantur, cuius testimonium ne quidem verum & utile, villo modo tolerandum, nedum recipiendum esse sciebat.

At quæ tandem huius rei causa esse potest? An rerum veritas à personis loquentium, ac nō potius à rebus ipsis suam certitudinem accipit? An aliquid propterea falsum est, quia Satanas id dicit, si per se verum est? aut ideo verum est quod Angelus dicit, si per se falsum est? nihil plane horum, si ad humanas disciplinas & earum veritatem oculos conuertas. Quum enim non auctoritas, sed ratio totius veritatis humanæ regula ac principium sit, non ibi quis dicat, sed quid dicatur attendendum est. At verò in causa fidei, quæ auctoritate, non ratione nititur, longè aliter se res habet. Nam doctrina fidei, quia priuato iudicio, sensu, ingenio non acquiritur, ac neque priuatis reuelationibus & afflatibus nititur, sed iuxta ordinem à Christo institutum, ab aliis discenda est; nec à quibusuis aliis, sed à solis Ecclesiæ magistris quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, hinc fit vt in quæstione fidei necessariò ante omnia quærendum sit de potestate docentis, & de persona loquentis, ac denique an veritatis quam adfert, testis idoneus ac legitimus sit; talis videlicet, cuius testimonio tuto & rectè acquiescere debeam. Talis Satanas, talis hæreticus nullus est. Nec à Satana, nec ab hæretico Satanae ministro veritatis diuinæ testimonium petendum est. Non est ab hoste veritatis quærenda veritas. Nihil ad illos Scripturarum pertractatio pertinet, quia nec ipsas Scripturas aliter possident, quàm Imperatoris sui signa miles transfuga, Appositè & eruditè Tertullianus; *Dispicit debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit.* At quis dubitabit illis solis gam competere, cui ipsa fides & nominis Christiani vera possessio competit? Illis inquam, à quibus, & per quos tradita est disciplina, qua sunt homines Christiani. Idem monet a Origenes, idem b Athanasius, idem alij Patres. Idem ipse Paulus nos docet, Volens enim superbos quosdam pseudopphetas retundere, qui volebant esse Legis Doctores, quum ad hoc vocati non essent, sic eos alloquitur. *An à vobis verbum Dei processit, aut ad vos solos peruenit? id est,*

Hæreticus non est legitimus testis veritatis,

Act. 20.

In Prescrip.

a Hom. 31. in Lucan.

b In epist. de Synod. A- rym. & Seleuc. 1. Cor. 14.

An

An vos fidei Christianæ magistri fuistis, aut vos soli, vestrique sodales Christianas litteras possideris? Quorsum hæc, nisi vt doceat, non à quolibet veritatem sacram addiscendam aut accipiendam esse, sed ab illis tantum, qui eius aut magistri sunt, ac Doctores, aut certe communes discipuli & sectatores: quorum neutrum aut Satanas, aut eius ministri hæretici sunt: qui videlicet *seipos segregauerunt*, vt Iudas Apostolus loquitur & seorsim colligunt. His accedit, quod quemadmodum Satanae, sic & omnis hæreticus, si qua vera dicit, vel ipsis veris multa falsa permiscet, & de facto fallit, vel malo sine illa asserens, in sine seducit. Quod de quodam hæretico ab Augustino obseruatum, nobis quoque documento esse debet. *Hæc omnia (inquit) quæ dixit, rectè diceret, si in eis Catholicum sensum defendere niteretur. Quia verò scimus quid ex his moliatur efficere, profectò dicit etiam rectè peruersè.* Tenendum igitur Saluatoris nostri hoc loco documentum his profectò temporibus saluberrimum. Loquente nobis hæretico veritatem aliquam sacram, & quantumcunque salutarem (quid enim sacratius, quid salutaris, quàm Christum esse illum Sanctum Dei, & filium DEI?) increpemus illos, non sinamus eos loqui, dicamus illis: *Obmutesce, Vade Satana. Quæ enim participatio luci cum tenebris, aut quæ societas Christi & Belial? Timeo Danaos & dona ferentes. Suspecta mihi hæretici vox est, etiam vera dicentis. Oues Christi alienum non sequuntur, imò non audiunt, sed fugiunt ab eo.* Sic in tuto fides erit, sic suus Christo honor (qui in illis quos misit, honoratur) illibatus manebit.

Denupt. & Concup. lib. 2. cap. 13.

1. Cor. 6.

Ioan. 10.

Feria 6. hebdom. 3. Quadragesima.

1. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Ioan. 4.



Ocus explicandi vim & dignitatem operum gratiæ, quæ procedunt à Spiritu Sancto contra impios horum temporum hæreticos, qui hanc vim & dignitatem adeo negant, vt omnia opera Spi-

Instit. lib. 3. ca. 15. num. 3. & c. 17. nu. 3.

In commen. in hunc locū. Tit. 2.

Spiritus S. aqua vitæ fontana.

In commen. in hunc locū.

Quomodo Spiritus S. tollit sitim.

ritus Sancti in filijs Dei quantumcunque perfectis penitus immunda, adeoque peccatis potius, quam virtutibus accensenda (sunt impij Calvini verba) esse pronuntient. Loquitur Christus de Spiritu Sancto, quem daturus est credentibus: quod & ipse hoc loco Calvinus agnoscit. *Aqua* (inquit Christus) quam ego dabo ei, supple bibenti ex illa, & Spiritum Dei in se accipienti (quæ per *lauacrum regenerationis effundit abundè*) fiet in eo *fons aqua*, id est, fons donorum & gratiarum. (Duas enim aquas ponit, vnam fontanam, seu fontis instar, quia principium & plenitudo gratiarum omnium est, ipsum videl. Spiritum Sanctum, alteram ab eo deriuatam ac fluentem, quam alibi vocat *flumina aque vitæ*, fluentia in cordibus credentium, quæ sunt ipsa dona virtutum & gratiarum, quibus filij Dei donantur) *salientis in vitam æternam*: id est, quæ gratiarum & donorum aqua cordibus piorum infusa, saliet in vitam æternam. Querimus hinc ab hæreticis horum temporum: Quid est *salire in vitam æternam*? Calvinus nihil aliud illis verbis significari vult, quam huiusmodi gratiarum ac donorum perpetuitatem ac stabilitatem. *Continua* (inquit) notatur irrigatio, quæ in hac mortali & caduca vita cælestem in illis æternitatem fouet. Non ergo ad breue tempus in nos fluit Christi gratia, sed sensque ad beatam immortalitatem diffundit, quia fluere non desinit, donec vita incorruptibilis, quam inchoat, suis omnibus numeris compleat. Sed iuxta hunc sensum, non erat dicendum, *salientis in vitam æternam*, sed *salientis*, vel *fluentis* potius in æternum. Sic enim perpetuum & stabilem eius fluxum notaret. Deinde in priori sententia stabilitas hæc & continua irrigatio gratiarum Christi significata est, vbi Christus dixit. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Ad quæ verba Calvinus, *Vult* (inquit) *Spiritum Sanctum scatebram esse perpetuò fluentem, nec esse periculum vt exarescant, qui spirituati gratia renouati sunt.* Aut ergo in his posterioribus verbis plus dicit Christus, aut priorum verborum inanem & insuetam repetitionem facit. Et quidem multò plus eum dicere ipsa verba conuincunt. Illic enim de effectu aquæ quam daturus erat quoad eius perpetuitatem, dixit, *non sitiet in æternum*: quia acceptus semel Spiritus Sanctus, quantum ex se est, tollit sitim in perpetuum: sitim, inquam, siue peruersam ac præposteram rerum noxiarum (qualis febricitantium est) terrenarum videlicet & carnalium, siue rectam & ordinatam rerum diuinarum & spiritualium,

quare

Quatenus ad salutem necessaria sunt: Nam sitis & desiderium maioris perfectionis in hac vita non extinguitur: nec etiam prorsus in altera vita, vbi satietas non est, quæ fastidium parit, sed cum aliquo semper desiderio coniuncta, quæ ipsam sitim iucundiores facit. Illic igitur in prioribus verbis docet Christus Spiritum Sanctum tollere sitim, qualem dixi in perpetuum, quantum ex se est. Nam quantum ex parte hominum est, quorum lubrica & incerta voluntas est, quia illi redeuntes frequenter ad vomitum, excutiunt Spiritum Sanctum, redit iterum illa sitis, aut peruersa aut ordinata quam dixit, vbi *profugus à patre filius in seipsum reuertitur* incipit. Hic verò, & in his verbis docet Christus alium effectum aquæ quam daturus erat, nempe vt fieret in bibente illam *fons alterius aquæ*, non solum perennis & continuus, sed admirabilis præterea efficacis, *salientis* videlicet *in vitam æternam*: id est, eum in quo est salire facientis, (neque enim ipsa dona per hanc secundam aquam significata per se saliant aut operantur, sed operari faciunt, & operationum sanctarum principia sunt, tametsi, vt sic loquar, principiata & secundaria) *in vitam æternam* id est, talia opera & virtutes sanctas producentis, quæ hominem ad vitam æternam perducant: siue per modum meriti, siue per modum simplicis iustitiæ hoc loco non inquirimus. Satis nunc erit ostendere, aquam salientem in vitam æternam ex fonte Spiritus Sancti perfluentem, esse aquam, quæ eum, in quo est, salire facit, id est, efficaciter perducit ad vitam æternam. Vfus est Christus verbo *salienti*, vt ostenderet huius aquæ efficaciam certissimam, quæ non solum pertingit, aut de facto peruenit ad beatitudinem, sed quæ sua quædam energia, efficacia & impetu (qualis in salientibus est longè alia quam in ambulantis, aut quoquo modo incedentibus) ad eam hominem perducit. Ab impetu quippe & virtute principij seu fontis sui, Spiritus Sancti cui nos hæc alterius aquæ dona coniungunt, habet hæc aquas habent hæc dona & gratiæ credentibus infusæ, vt eos ad Deum perducant, Deoque ac vita æterna dignos faciant. Sumpta est metaphora ab aqua materiali, quæ tantum ascendit, quanta est altitudo principij à quo emanat. Sic dona Spiritus Sancti, quia ab eo procedunt, ad eum ipsum eiusque fruitionem hominem conscendere faciunt.

Sed erunt hæc omnia clariora, & ad fidelis populi captū

H 4 magis

Luc. 15.

Salire in vitam æternam quid significet.

Gratiarum dona credentibus infusa, perducunt ad vitam æternam.

Ioan. 7.

Hom. 50. in

Ioan.

Rom. 5.

Hæres. 9.

Spiritus S.
cur aquæ
comparatur.

I. Causa.

Animæ om-
nem immū-
ditiam 4.
modis au-
fert Spiritus
Sanctus.I.
r. Petr. 2.

Psal. 50.

magis accommodata, si quas ob causas ipse Spiritus Sanctus à Christo in hoc Euangelio aquæ comparatur & aqua viua nuncupatur, paucis explicemus. Sic enim apparebit cur ex hoc fonte aquæ viue, alia scaturiat aqua viua saliens in vitam æternam. Quam vtramque vna iterum sententia complexus est Christus, quum diceret: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aqua viua. Hoc autem dixit* (ait Euangelista) *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Hic ergo iterum *Aqua viua* Spiritum Sanctum significat: flumina de ventre credentium fluentia, sunt dona gratiarum ipsius Spiritus Sancti, quæ totum interiorem hominem abundè irrigant: vt docet in hunc locum Chrysostomus. Vtram iterum aquam Paulus vna itidem sententia expressit, dicens. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (hæc est aqua manans & fluens saliensque seu salire faciens in vitam æternam, quia opera omnia pietatis producit, quæ perducunt hominem in vitam æternam) *per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Hic est fons aquæ salientis, de quo hic Christus loquitur. Et ideo cum ista Samaritana vberius loquitur, quia inter alias hæreses, Samaritani Spiritum Sanctum esse negabant, vt docet Epiphanius.

Sed nunc (vt dixi) cur aquæ viue ac salienti tam ipse Spiritus Sanctus, quam eius dona (quia non nisi per sua dona nos inhabitat, nosque irrigat Spiritus) comparentur, explicandum est. Hanc autem explicationem ex commentario doctissimo Ioannis à Toledo in hunc locum magna ex parte accipiemus. Primum sicut aqua lauat corpora, sordisque ac maculas auferit, sic Spiritus Sanctus per sua dona, suamque operationem auferit peccata, & quicquid animam coram Deo immundam constituit. Sed longè id excellentius facit in anima quam vlla aqua materialis in corpore: idque quatuor modis. Primum, quia ablutam & repurgatam animam non solum in sua munditie naturali relinquit, sicut aqua materialis corpus nullam illi præterea munditiam conferens, sed munditiam etiam imprimi supernaturalem, sic faciens nouam creaturam, vt per *pretiosa dona*, quæ impertit, *eam faciat consortem diuina nature*, vt D. Petrus affirmat: ideoque *super niuem dealbet*, vt cecinit Propheta regius. *Lauabis me, & super niuem dealbabor*: id est, supra naturalem munditiam nouam spiritualem accipiam ipsa niue candido-

rem.

rem. Secundò, quia aqua corpus abluir quidem, sed non reddit formosum in pristina illud forma relinquens, Spiritus S. sic abluir animæ sordes, vt nouam illi formam ac decorem adferat, qua iam Deo mirè placeat iuxta illud. *Concupiuit Rex speciem tuam: & per alium propheram ad populum dilectum dicit Deus. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, ergo dilexi te.* Tertio quia aqua dum corpus abluir, idem tamen debilitat, & frequentius adhibita, corrumpit ac destruit. Spiritus S. sic lauat vt roboret, & quò diutius animam inhabitat, eò robustiorem facit: quod Paulus sentiens dixit: *Omnia possans in eo qui me confortat.* Quarto, quia aqua sic lauat corpora, vt ablutione facta recedat, nihil amplius conferens. Spiritus Sanctus sic abluir, sic ornat, sic roborat, vt semper permaneat: inhabitans corda & corpora nostra, idque adeo vt templa eius simus, ipseque in nobis loquatur quæ dicenda sunt, postulet quæ petenda sunt, operetur quæ facienda sunt. *Apud vos manebit, & in vobis erit*, ait Christus. *Vos estis templa Spiritus Sancti*, ait Paulus. *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis*, ait iterum Christus. *Ipse Spiritus postulat pro vobis*, ait iterum Paulus: addens alio in loco. *Qui operatur in vobis, qui credidistis.* Atque tot quidem modis aquæ materiali comparatur Spiritus Sanctus, quatenus abluir ac mundat.

Iam verò quatenus aqua terram fœcundat & fructificare facit, sic etiam illi Spiritus Sanctus assimilatur, quia animas credentium mira mirabiliter fœcundat, vt non solum plurimos, sed & optimos fructus ex ea producat, De quibus Apostolus: *Fructus* (inquit) *Spiritus est charitas* (vt omnium prima ac cæterorum radix) *gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Sed in hac fœcunditate ac varia fructificatione, quam aqua facit iuxta variam aut subiecti & materiæ dispositionem vt ipsius terre, aut rerum ipsarum insitam vim, cuique propriam, vt in plantis, arboribus ac seminibus, longè excellentior est diuini Spiritus in cordibus credentium fœcunditas, multoque copiosius incrementum. Primum enim aqua florentes quidem arbores, & terram bonam fœcundat, sed nec arbores mortuas reuiuiscere facit, nec terram sterilem fœcunditate donat. Arqui Spiritus S. animas peccato mortuas ad nouam vitam restaurat, iuxta illud de filio prodigo pœnitente Patrique reconciliato, *mortuus erat, & reuixit: &*

H

5

pigros

Psal. 47.

Esai. 43.

3.

Philip. 4.

4.

Ioan. 14.

1. Cor. 6.

Matth. 10.

Rom. 8.

1. Thess. 2.

2. Causa.

Spiritus S. animam fœcundat.

Galat. 5.

1.

Luc. 15.

Esaiæ 40.

2.

Rom. 7.

Psal. 76.

I. Cor. 6.

Esaiæ 15.

Lib. 2. epi. 2.

Confess. lib. 9. cap. 1.

Demonst. Euan. lib. 7. cap. 9.

Lib. 2.

Do. 4. Aduert. text. 5. Dom. Pasche, text. 5.

& 6. Dom. post Pent. text. 3.

Hæreticorū impia doctrina cōtra efficaciam Spiritus S.

pigros & steriles piis actionibus nouo feruore accensos fecundat: iuxta illud Prophetæ, *Qui sperauit in Domino mutant fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.* Secundò aqua quæcunq; fecundat, ad mensuram & modum naturæ cuiusque, quam non excedit, fecundat vt vnaqueque seu planta seu arbor non nisi sui generis fructus aut flores aut herbam proferat. Vnde fit vt cuius arboris fructus amari sunt, eos dulces reddere nulla aquæ fecunditas possit. Atqui Spiritus Sanctus, sic animas credentium irrigat atque fecundat, vt qui prius *fructicabant morti*, (vt Paulus loquitur) *nunc fructificent Deo.* De qua admirabili mutatione, non sine admiratione exclamauit Prophetæ, *Et dixi. Nunc cœpi. Hæc est mutatio dextra excelsi.* Hanc immutationem filiorum iræ in filios Dei, vasorum contumeliæ in vasa misericordiæ qua publicani fiebant Apostoli, meretrices auditores Christi, adulteri, fures, maledici, auari, ebriosi, abluti, sanctificati, iustificati, sunt, & casti, veraces, modesti, sobrii, liberales facti, idque in Spiritu Dei nostri, vt Paulus dicit, exprimere volens Esaias, de ea sic scribit *Vitulus & vrsus pascentur simul, & catuli leonum requiescent, & leo & bos comedet paleas.* Talem in seipso mutationem factam eleganter describunt B. Cyprianus, & Beatus Augustinus. Sic barbaras & truces gentes per Euangelij prædicationem susceptam, ad omnem modestiam ac pietatem conuersas fuisse adnotauit Eusebius. Denique Origenes Christianæ religionis vnâ hanc esse vel maximam commendationem, & veritatis, quam docet, exitium argumentum, quod Spiritu Sancto donati in alios viros mutantur, contra Celsum paganum luculenter ostendit. Vide quæ in hanc rem congesimus in promptuario nostro morali.

In hac etgo tanta Spiritus Sancti in filiis Dei efficacia & operatione, qua credentes in Christum sic abluit ac munda, vt non solum sordes auferat, sed & nouam munditiem conferat, nouo decore illustret, nouis viribus corroboret, ipsosque permanenter inhabitet, in eis loquens & operans, sic etiâ fecundat & irrigat, vt vberimos fructus proferat, vt mortuos vita steriles fecunditate donet, ac denique in alios prorsus viros immutet, palpandum se offert execranda hæreticorū hodie doctrina, qua (dissimulata hac tota diuini Spiritus operatione) docent homines in Christo per Dei Spiritum regeneratos, nulla veræ iustitiæ opera præta-

re posse, ad mandata Dei exequenda non obligari, opera bona quæ faciunt, non nisi immunda proferre, denique manere eos in seipsis semper immundos & impios, vt sola Christi iustitia illis imputata, quam sola fides apprehendit si & non aliter corâ Deo iusti auât scti appareant. Ita Christi verba hoc loco de Spiritu Sancti incredètib; efficacia impia ac detestabilis illa eorū doctrina (in qua tamè totius noui Euāgelida cardo vertitur) penitus eludit, falsiq; arguit.

Quod quomodo vnus Calvinus inter cæteros, ac præ cæteris faciat, aduertere & intelligere oportet. Impossibile est ille de arcana operatione Spiritus Sancti in filiis Dei expresso disputans, & vnum de hoc vno argumento caput integrum, sed breuissimum scribens, docet primum Spiritum S. *spiritum sanctificationis* seu sanctificantem & viuificantem dici, non solum quia *in spem æternæ hereditatis nos colligit, cuiusque signaculum est*, (quod alibi tantum premere solet, sed etiam quia *caelestis vitæ in nobis semen ac radix est.* Addit quia *Arcana sua irrigatione ad germina iustitiæ proferenda nos fecundet, vocari in Scripturis aquam*: quas ibi aliquas recenset, sed non huius Euangelij locum, qui hanc Spiritus Sancti operationem luculentissime expressit. Affirmat à purgandi quoque ac mundandi energia aquæ nomine nuncupari. Fateatur, quia *gratiæ suæ liquore perfusus in vitæ rigore restituit ac fouet*, inde nomen obtinere olei & vñtionis. Rursum quia *concupiscentiæ nostræ vitia assidue excoquendo & exurendo, corda nostra incendit amore Dei & studio pietatis*, ab hoc quoque affectu merito ignem appellari. Denique *fotem esset vnde caelestes ad nos manant diuitiæ, Dei manum esse qua suam potentiam exercet, quia virtutis suæ afflatu diuinam nobis vitam sic inspirat, vt non iam agamur ipsi nobis, sed eius actione ac motu regamur, vt si quæ sunt in nobis bona, fructus sint gratiæ ipsius.* Hæc ille omnia, diuini Spiritus operationem & efficaciam in filiis Dei iuxta Scripturas orthodoxè describens. Sed enim non nisi mera impostura hoc totum est, quam in omnibus aliis pene dogmatibus hodie controuersis exercet: vt multa videlicet orthodoxè primum dicat, quasi lac & mel porrigens, posteaque omnia asperfo suo veneno inficiat, & allectum prima veritate lectorem in suam nassam facilius trahat. Nam in sequenti disputatione, primò *præcipuum Spiritus S. opus fidem esse, & ad eam magna ex parte referri, quæ ad vim eius & operationem exprimendâ passim occurrunt, statim disputat: mox de ipsa fide eius-*

Inst. li. 3. ca. 1. num. 2.

Caluini sententia de Spiritu S. efficacia in cordibus credentium.

Num. 3. Esaiæ 55. & Ioan. 7. Exech. 37. 1. Ioan. 2.

Luc. 3. Ioan. 4. Act. 11.

Caluini impostura singularis.

Num. 4.

Calvinus totam priorem doctrinam retractat.

Ca. 11. nu. 12.

Num. eod.

Rom. 5.

Cap. eodem.

Num. 15.

Num. eod.

Num. eod.

Lib. eodem

cap. 17. nu. 2.

Non per Christum Spiritus S. sed per Spiritum S. Christus nos sanctificat.

quæ definitione, officio, effectu, per multa capita longissime disputans, tandem ca. 11. quod de Iustificatione fidei est, contra inhaerentem iustitiam totis ingenij viribus pugnas, pro qua nihil evidentius facit, quam hæc interna Spiritus Sancti efficacia ab ipso met iuxta Scripturas tradita, totum tandem pectoris sui vlcus aperit, & dicit. *Non negamus quin reformet nos Deus Spiritu suo in vita sanctitatem & iustitiam. Sed primò videndum est, faciátne hoc per se & immediatè: an verò per manum filij sui, penes quem omnem plenitudinem Spiritus Sancti deposuit, vt sua abundantia membrorum inopia subueniret.* Ecce iam negat Deum Spiritu suo immediatè & per se in nos agere, nosque reformare, sed per manum Christi, cuius abundantia omnem nostram inopiam supplet: id est, nobis per fidem imputatur. Hic enim est verus Calvinus sensus, vt ex sequentibus apud eum magis elucescet. Mox enim adducit in medium illud Pauli, *nos vnus hominis obedientia iustos esse.* videlicet nobis imputata, vt apud Paulum exponit. Deinde paulò post, *falli Catholicos,* ait, quod gratiam Dei non gratis & iustitiam imputationem, sed Spiritum ad sanctitatis studium adiuuantem interpretantur. Moxque Petrum Lombardum nominatim taxat, quod Dei gratiam præcipuè in iustificatione consideret, quatenus ad bona opera per Spiritum Sancti gratiam dirigimur. Tandem eodem in loco Augustinum reprehendit, quod gratiam ad sanctificationem refert, qua in vita nouitatem per Spiritum regeneramur. Postremò in alia sequenti disputatione disertè affirmat *unicum Christum pro iustitia complemento à Paulo assignari, & ex fide Christi omnes iustificari, non vt adiuentur ad iustitia summam, sed vt ex ipsa fide iustificentur.* Nunc ergo Calvinus detracta larua, qua orthodoxus videri voluit, Spiritus Sancti internam efficaciam & operationem in nobis docendo, totam suam impietatem aperuit, eandem efficaciam penitus denegando. Nunc enim negat Deum Spiritu suo nos reformare, aliqua operatione ipsius Spiritus Sancti per se & immediatè, sed solummodo per manum Christi, & per abundantiam Spiritus S. in Christo, quæ nobis imputatur.

Vbi aduertat lector prorsus contrarium in Scripturis doceri. Videlicet Christum per suum Spiritum nos reformare & sanctificare, non autem Spiritum Sanctum per Christum id facere. In hoc ipso Euangelio Christus dat nobis Spiritum vt fontem aquæ salientis in vitam æternam. *Aqua quæ ego dabo, &c.* Non ipse Spiritus dat nobis Christum. Sic Christi-

stus

stus ascendens mittit nobis Spiritum veritatis, qui inducat nos in omnem veritatem. Non Spiritus Dei illum mittit. *Deus Pater misit Spiritum filij sui in corda nostra, in quo clamamus Abba Pater.* Non filius mittit in corda vt nos reformet, sed Spiritus Patris & Filij ab ipso se mittitur, vt vterque locus iam citatus docuit. Sic iterum Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,* (etiam intelligendo illam quam semper Calvinus intelligit de charitate, qua Deus nos diligit, nosque gratos & charos habet) non per manum filij, per imputationem gratiæ, sed per Spiritum S. qui datus est nobis. Datus inquam nobis, non imputatus, intra nos, non extra nos, quem in nobis accepimus (dare enim & accipere correlatiua sunt) non quem in Christo per fidem apprehendimus. Postremò quum idem Paulus dixisset, *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi,* ne quisquã per manum Christi immediatè ista fieri cogitaret, adiecit, & *in Spiritu Dei nostri.* Plurima sunt huiusmodi apud Paul. loca, ubi immediatum omnis iustitiæ in nobis authorem, Spiritum Sanctum facit, non manum Christi. Christi enim eiusque mortis merito datur nobis Spiritus Sanctus, illud Ioannis: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Sanè Christus ad remissionem peccatorum consequendam nobis datus est, immediatè, factus pro nobis redemptio per precium sanguinis sui. Sed ad sanctificationem spiritualem, quæ nostra in Christo regeneratio & renouatio est, non Christus, sed Spiritus Sanctus datus est nobis, nec per manum Christi, sed per operationem Spiritus Sancti illa sanctificatio seu renouatio nobis confertur: Dicente iterum Paulo, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè.* Renouationem dicit Spiritus Sancti, quam ipse Spiritus S. facit, & quia eius opus est: idque quatenus in nos effunditur, nõ quatenus eius plenitudo apud Christum deposita est, vt fingit Calvinus. Sumus quidem in Christo, & per Christum noua creatura creati in illo & per illum in operibus bonis, sed mediante ipso Spiritu S. de quo statim adiecit Apostolus, *quæ preparauit Deus vt ambulemus in illis.* Spiritus enim S. est qui preparat corda nostra per gratiæ suæ auxilium & dona vt bene operemur. Totum igitur sanctificationis nostræ ordinem inuertit Calvinus, vt ex reali & inhaerente, imputatiuam & denominatiuam tantum illam efficiat.

Simili impostura, ac fraude eodem adhuc in libro vtitur.

Quum

Ioan. 4.

Ioan. 14.

Galat. 3.

Rom. 5.

1. Cor. 6.

Ioan. 7.

Christus per se redemit, per Spiritum S. sanctificauit.

Tit. 2.

Galat. 5.

Ephes. 2.

Lib. 3. cap. 16. num. 1.

Caluini impostura notabilis, quod non iustificamur per fidem bonis operibus vacuum.

Sanctificationem imputatam docet Caluin.

Ex cap. II. num. 15.

Caluin. sibi contrarius.

Lib. 3. cap. 3. num. 11.

Quum enim dixisset. *Non somniamus fidem bonis operibus vacuum, aut iustificationem quae sine ijs constet*, quod ab illo orthodoxè & certissimè dici quilibet orthodoxus & pius existimaret, totum fucum in sequentibus statim ipse detergit. *Hoc tantum (inquit) interest, quod quum fidem & bona opera necessario inter sese coherere fateamur, in fide tamen, non in operibus iustificamur.* Transeat interim istud (quia ad rem praesentem non facit) tamen duplici mendacio onustum. Audiamus qua tandem ratione fidem iustificantem bonis operibus vacuum esse neget. *Id (inquit) qua ratione facile explicare promptum est, si ad Christum conuertamur, in quem dirigitur fides, & unde totam vim accipit. Quare ergo fide iustificamur? Quia fide apprehendimus Christi iustitiam, qua una Deo reconciliamur. Hanc verò apprehendere non possis, quin & sanctificationem simul apprehendas. Datus est enim nobis in iustitiam, sapientiam, sanctificationem, redemptionem: Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificet. Vis ergo iustitiam in Christo adipisci? Christum ante possideas oportet. Possidere autem non potes, quin fias sanctificationis eius particeps, quia in frustra discipuli non potest. Ita liquet quam verum sit nos non sine operibus, neque tamen per opera iustificari, quoniam in Christi participatione qua iustificamur, non minus sanctificatio quam iustitia.* Hæc omnia Caluinus. Summa est, fidem iustificantem non esse sine bonis operibus, scilicet Christi nobis per fidem imputatis, sed bene sine vllis bonis operibus nostris. Rursum habere nos sanctificationem, sed quæ in Christo sit, & nobis imputetur sicut iustitia Christi fide imputatur, non quæ in nobis sit, ex vlla Spiritus Sancti operatione & efficacia in nobis. Sic iterum quod antea de Spiritus S. operatione iuxta manifestas Scripturas stabilierat, nunc per imputatam sanctificationem penitus subuertit. Eadem ex causa in verbis prius citatis gratiam Dei voluit esse *gratuita iustitiae imputationem, non Dei Spiritum ad sanctitatis studium adiuuantem.* Rursum in eodem loco negat quod ad bona opera per Spiritus S. gratiam dirigimur, quum primo loco à nobis citato dixisset, *nos diuini Spiritus actione ac motu regi, ut si qua sunt in nobis bona, fructus gratiae ipsius sint.* Denique quum eodem in libro dixisset, *Deum virtutem Spiritus subministrare, qua superiores in certamine contra peccatum victoresque simus*, quod conforme illis aliis eius verbis est, quibus dixerat, *Spiritum Sanctum concupiscentiae nostrae vitia assidue excoquendo & adurendo corda nostra incendere amore Dei & pietatis, totum quo*

que

que hoc consequenti alibi doctrina funditus euerit. Ait enim *reliquias peccati, quæ sunt concupiscentiae vitia contra quæ pugnamus, in nobis non dominari, nec regnare, si promissionem in baptismo nobis à Deo datam fide tenemus*, id est, si remissionem peccatorum & iustitiam Christi cum sanctitate eius coniunctam fide firma apprehendimus. Hæc est manifesta Caluini impietas, omnibus hodie aut penè omnibus hæreticis communis, qua totam operationem & efficaciam Spiritus Sanctus in hoc Euangelio luculenter à Christo credentibus promissam, quæ opera iustitiæ in nobis profert ad vitam usque æternam consequendam pertingentia, penitus & pertinaciter negant: nisi quod Caluinus cæteris astutior & nequior, illud totum operationi & efficaciae Spiritus Sancti vno in loco dare videtur, quod aliis in locis, ut suis hæresibus consequenter doccat, penitus negat, aufert, & destruit. Quæ eius tam impietas quam astutia ad veritatis gloriam & tanti impostoris aperiendam nequitiam, necessario mihi hoc loco excutienda videbatur. Magis tamen eam in Antidotis nostris Apostolicis, fauente Deo, excutiemus.

2. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.*

Locus Catholicorum religionem saluberrimam & necessariam in SS. Patrum testimoniis & iudicio studiose inquirendis ac proferendis contra putidas Caluini calumnias defendendi. Quia enim hæc mulier Patrum veteris testamenti factum de cultu Dei in monte Samariæ contra Christum præposterè protulit, bonus Calu. pulchrum sibi argumentum nactus visus est, ut omnem in vniuersum Patrum & magistrorum Ecclesiæ Christi auctoritatem labefactaret, nostramque in illorum factis ac dictis vel imitandis, vel in veritatis antiquæ testimonium proferendis, diligentiam in vniuersum condemnat. Quæ in re perinde facit ac si nullas Scripturas pro veritate proferendas quisquam diceret, eo quod diabolus illas contra Christum impiè & præposterè protulit. Sed audiamus superbi hominis ad hunc locum hac de re verba. *Hic locus (inquit) insigni documento est, quam præposterè faciunt, qui posthabito Dei mandato, se conformant*

ad

Instit. lib. 4. cap. 15. nu. 11.

SS. Patrum testimonia & exempla piè proferri.

In com. ad hunc locum.

ad Patrum exempla. Illi haud dubie præposterè faciunt, qui Dei mandatum patrum exemplis postponunt: quod nemo Catholicus facit. Cæterum Catholici Patrum exempla imitantes, non illa Scripturis aut Dei mandato anteponunt, sed quid doceant Scripturæ, & quid iubeat Deus, malunt à Patribus discere, quàm à Caluino, ab Ecclesiæ magistris antiquissimis & tam eruditionis quàm sanctitatis nomine celeberrimis, quàm ab nouello hæretico & indocto (quod frequentes eius contradictiones demonstrant) & impio, quod detestandæ eius hæreses, maximè de Deo Authore & impulsore peccati, (vt olim demonstraui) ad oculum loquuntur. Audiamus tamen petulantis hominis accusationem, & si quid ea ponderis ac momenti habeat, dispiciamus. *Notandum* (inquit) *est quot modis hic peccare soleat mundus.* Bonus Calvinus aut extra mundum, aut de mundo nõ est: nisi fortè & idem peccet, sicut solet mundus. *Sæpè* (inquit) *contingit vt sine defectu pro patribus maior pars sequatur, qui minimè omnium habendi erant Patres.* Si qui ita peccant, Patrum authoritati nihil hoc derogat, sed eorum temeritatem arguit, qui pro Patribus habent, qui non habendi erant. Multi olim pro Scripturis habebant quæ apocrypha erant: quod Scripturarum iustam authoritatem nihil imminuit. *Ita hodie Papietas videmus, quum inflatis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apostolis locum dare.* Putidum mendacium impostore hæretico dignum. Sic Patres allegant Catholici vt Scripturis Prophetis & Apostolicis primum semper locum concedant. *Vbi autem paucos nominarunt honore dignos, coaceruare ingentem hominum sui similium cateruam, vel saltem descendere ad corruptiora secula, quibus etsi nondum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrina puritas multum declinauerant.* Bene est quòd saltem aliquos Patres honore dignos censere dignatur. Quæ sit aliã ingens caterua, coniciendum lectori relinquit, ne si eos nominaret, in promptu esset exceptio. Cui hoc vnũ respõdemus, in illa caterua non alios esse, nisi qui Patres illos honore dignos, in eadem doctrina ac fide imitati fuerunt, De seculis corruptionibus quod garrit, in nullius seculi Patribus verã hætenus vacillauit fides: nisi aut nullam tunc Christi Ecclesiam, aut sine legitimis Patribus Ecclesiam fingat. Est hodiernum seculum omnium quæ hætenus fuerunt, ad fidem ac religionem quod attinet, propter grassantes sine numero hæreticos, corruptissimum. *Ergo tenendum est sedulo*

De iustificat. lib. 11.

Calvinus. I.

Calvinus.

Mendacium Caluini putidum.

Calvinus.

Patrum discrimen à Caluino vanè confictum.

Calvinus.

discr-

discrimen, ne Patres censeantur, nisi quos constabit fuisse Dei filios: Deinde qui pietatis suæ excellentia nunc honoris gradum promeriti sunt. Tenendum quoque sedulo discrimen est, ne Scriptura Canonica censeatur, nisi quàm constabit diuinitus fuisse inspiratam: Deinde quæ doctrinæ suæ excellentia hunc honoris gradum promerita sit. Sed nec propterea aut Patrum aut Scripturæ ea quæ cuique debetur labefactatur authoritas.

Frequenter etiam in eo peccatur, quod temere ex Patrum factis communis lex statuitur. Frequenter quoque in eo peccatur, quod ex Sanctorum factis in Scriptura commemoratis communis lex statuitur. Nam quia Elias sacerdotes Baal magno numero interfecit, licere sibi hodie Calvinistæ putant sacerdotes Catholicos mactare: & quia Abraham cum ancilla Agar consentiente Sara coniuge concubuit, Calvinianæ ancillæ morosas se habere dominas conqueruntur, quòd quum illæ steriles aut vetulæ sint, cum heris suis dormire non permittantur. Nihil fingo, sed quod in nostra Anglia gestum scio. Taceo alia pudoris & modestiæ causa. Nihil hoc tamen vel Scripturarum vel Patrum iustam reputationem imminuit. *Vulgus enim non satis honoris se Patribus habere putat, nisi eos eximat hominum numero.* Sic quidam Euangelici fratres non satis honoris se diuinis Scripturis habere putant, nisi omnia in illis conscripta ipsi quoque sine discrimine imitentur. *Ita dum nobis in mentem non venit homines fuisse qui labi poterant, vitia virtutibus promiscuè miscemus: Vnde sequitur pessima in viuendi ratione confusio.* Nam quum ad legis regulam examinanda sint omnia hominum facta, trutinam ipsam suis ponderibus subiicimus. Denique ubi tantum fit patrum imitatio, impune post eos se peccare mundus putat. Totum hoc ex præpostera quoque Scripturarum lectione accidit interdum, vt vix pro vitis habeantur, quæ à Sanctis viris vel malè perpetrata, vel in figura gesta legunt, aut ab aliis lecta audiunt. Sic propter Dauidis adulterium & homicidium electorum peccata excusantur: & duas sorores ducere exemplo Iacob, aut seipsum interficere exemplo Sampsonis, aliqui malè sani hæretici se posse arbitrati sunt. Nec tamen vel scripturarum lectio vel Sanctorum Patrum pia & prudens imitatio propterea explodenda est. Et Patres quidem homines fuerunt, qui labi poterant. Calvinus similiter & Lutherus homines, opinor, fuerunt, qui multo probabilius & labi & decipi, & toto cœlo à veritate ac pie-

2. Calvinus.

3. Reg. 18.

Calvinus.

Calvinus.

Gnostici & Circumcelliones.

I rate

*Bolsecus in
vita Caluin.
Luth. in sine
lib. de seruo
arbit.*

3.

Caluinus.

Caluinus.

*Monastices
instituta an-
tiquissima.*

Caluinus.

Caluinus.

Caluinus.

tate aberrare poterant. Caluinus tamen vt eum sui imiten-
tur, adeo libenter semper tulit, vt neminem sibi contradi-
centem ferre potuerit. Lutheri verò illa superbissima vox
est. *Ego in hoc libro non contuli: sed asserui & assero: & penes
nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo vt præstent obse-
quium.* Item illud: *Scio me mea dogmata habere de cælo. Ter-
tium vitium est (ait Caluinus) praua æmulatio, vbi scilicet
nec eodem præditi spiritu, nec eodem instructi mandato, trahi-
mus in exemplum quod aliquis Patrum fecit. Quid hoc ter-
tium à secundo differat quod proximè posuit, nec ipse Cal-
uinus distinguet vnquam, nisi quod ibi imitationem dixit,
hic æmulationem prauam vocat. Sed quid ex eo inferat
videamus. Ex hoc fonte fluxisse bonam partem veteris mona-
stices fatebuntur, qui prudenter veterum scripta expendunt.
Laudo Caluini ingenuitatem. Si enim veteres monachi à
suis maioribus sua instituta acceperunt, eosq; imitati sunt,
profectò nec res noua est monasticæ vitæ institutum (vt
clamare solent hæretici) nec veteres monachi sua aliqua
inuenta amplexi sunt: sed à probatissimis Patribus ea hau-
serunt. Laude hoc dignum, non vituperio, nemo æquus
negabit. Ergo (ait Caluinus) *nisi sponte errare libeat, semper
videndum est quo quisque spiritu donatus sit: quid ferat cu-
iusque vocatio, quid singulis conueniat, & quid singulis sit man-
datum.* Bonus Caluinus quod semper in Ecclesia Catholi-
ca accuratè seruatum est, nunc demum quasi nouus de cæ-
lo magister, alios se docere posse arbitratur. Quis nescit in
Ecclesia Catholica ordinem hierarchicum esse, vt ad pie-
tatis studium quod attinet, nec nouum aliquod institutum
à pluribus suscipiendum sine iusta autoritate & stricto
examine approbatum aliquando fuerit, nec priuatæ perso-
næ singulare aliquod vitæ genus sine Patrum suorum spi-
ritualium ac Superiorum approbatione aggredi vnquam
potuerint? Nihil ergo ad rhombum hæc omnia. videamus
reliqua. *Huic tertio vitio affine est aliud, confusio scilicet tempo-
rum, dum posteri in Patrum exemplis occupati diuersam agendi
legem sibi à Domino præscriptam esse non cogitant. Hoc si ita
est, iam ad primam accusationem redit, ne de iis qui post-
habito Dei mandato ad Patrum se exempla conformant.
Cui quod antea responsum est, hic quoque satisfaciet. Sed
aliquid in specie dicturus Calu. est. Audiamus. Huic (in-
quit) *inscitia acceptum refertur debet immensa caeremoniarum
congeries, quibus obruta est Ecclesia sub Papatu.* Hæc adhuc in-**

definita

definita accusatio est, quia nec caeremonias designat quæ
spirituali huic viro displicent, nec ex qua parte steter illa con-
geries ostendit. Sed dolosus versatur in generalibus: & Cal-
uino magis ex re visum est dolo agere quàm in sinceritate
veritatis & honestatis. Audiamus adhuc cætera. *Statim ab
Ecclesie exordio ex hac parte peccari ceptum est, quia plus va-
luit stulta Iudaismi affectatio, quàm decebat. Habebant Iudæi
sua sacrificia. Ne tali pompa carerent Christiani, inuictus est im-
molandi ritus. Quasi verò deterior futura esset Christiana Ec-
clesia conditio, si cessassent omnes vmbra, quibus offuscari poterat
Christi claritas.* Hic instituitur veteris Ecclesie accusatio.
Sed primùm totam actionem reiicimus vt nefariam conspi-
rationem, iuri humano atq; diuino repugnantem. Non est
audiendus filius contra Patrè, aut seruus contra Dominum,
in iis quæ ius paternum, aut Domini prerogatiuam concer-
nunt. *Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior
Domino suo.* Caluinus aut filius & membrum Ecclesie est,
aut extraneus hospes & aduena. Si filius, aut membrum, non
est audiendus contra Patres & capita Ecclesiarum Christi.
Si extraneus, & aduena, eius accusatio contra domesticos fi-
dei multò magis reiicienda est. Deinde iuxta Apostoli regu-
lam: *Auersus presbyterum accusatio recipienda non est, nisi sub
duobus aut tribus testibus.* Caluinus ergo contra totum pres-
byteriũ veteris Ecclesie solus arguens & absq; testibus, non
audiendus, sed castigandus est. Rursum actio sequitur forum
rei. Si veteris Ecclesie patres reos constituere Calu. vult, nõ
eos apud tribunal suum, sed apud tribunal Christi, quod in
terris aliud non est quàm Ecclesia Christi, conuenire debet.
Nunc homo impius & audax, actorem & iudicem agit: accu-
sat & condemnat. Nullam Ecclesiam, sed seipsum audit. Po-
stremò quid erit in religione firmũ, quid constans, quid cer-
tum, si totius veteris Ecclesie ab ipso eius exordio (sic enim
loquitur praxis, idq; in toto externo cultu, post tot secula,
argui, reprehendi, superstitionis & affectati Iudaismi dam-
nari possit? An non eadem libertate quilibet alius hæreticus
quodlibet fidei dogma, quãtalibet omnium Patrum ab ipso
Ecclesie exordio consensione firmatum, conuellere, argue-
re, & condemnare poterit? Sanè sic noui Ariani in colloquio
Petricouicæ habito cum Protestantibus an. 1566. Patrum te-
stimonia & veteris Ecclesie consensum eadem fiducia circa
Christi diuinitatem reiecerunt, qua reliqui Protestantes &
hic Calu. circa Sacrificiũ Eccles. eiusq; caeremonias eandem

1. Cor. 5.
Caluinus.Veteris Ec-
clesie accu-
satio.

Matth. 10.

1. Tim. 5.

Calvinus.

Calvinus.

Calvinus
declaman-
do, non pro-
bando totā
Ecclesiam
accusat.

Hebr. 13.

veterem Ecclesiam reiciunt. Quare hac in re Cal. nihil nisi suam dementissimam insaniam pio & prudenti lectori prodidit. *De illis enim dubitare (multò magis illa affectati Iudaismi damnare) quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, insolentissima insana est*, ait S. August. vir (ni fallor) Calvino modestior, & fide dignior. Sic ipsam, vt dixi, actionem, vt improbi hominis nefariam conspirationem, merito reiciamus. De re verò ipsa mox in alio huius Euang. loco dicetur. Iam ad recentioris Ecclesiæ accusationem descendit, & ait: *sed postea longius erupit, ac sine modo grassatus est furor. Furiosa est, & nihil aliud, quam insani cerebri declamatio, nulla ratione subnixta, nullo argumento firmata. Concludit tandem: Ergo ne hic labamur, semper ad præsentem regulam attentos nos esse oportet. At quæ est hæc præsens regula? Attendat Lector, ne se inanibus verbis falli patiatur. Olim (inquit) suffitum, luminaria, vestes sacrae, altare, vasa, & similes ritus Deo placebant. Nempe quia obedientia nihil habet gratius vel magis pretiosum. Nunc à Christi aduentu mutata est ratio. Quis sic Calvine, aut vnde id probas? Ne vno quidem verbo probat impostor à Christi aduentu mutatam esse rationem, vt nunc ceremoniis externis in cultu Dei externo nõ sit opus. Sed suam nudam ac simplicem assertionem, totius accusationis fundamentum ponit. Suam nudam ac simplicem assertionem, præsentem regulam vocat, ad quam attentos nos esse oportet. Post omnem declamationem tam contra veterem quam contra præsentem Ecclesiam, quum ad rem & punctum venit, quo accusationis totius causa, ratio, fundamentum constitui debet, nihil adfertur aliud, quam nuda & simplex affirmatio. Atqui qua ille facilitate mutatam iam esse in Christi aduentu rationem affirmat, vt altaria, quæque eo pertinent locum amplius in Ecclesia Christi habere non debeant, eadem facilitate hoc totum nos illi negamus: & negantem habemus nobiscum vniuersam Ecclesiam Christi tam veterem ab ipso eius exordio quam præsentem. Nec negamus tantum, sed & ex Apost. probamus, disertis verbis dicente: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Si altare, suffitum quoque, luminaria, vestes sacras, vasa, & similes ritus eo pertinentes. Cæterum de re hic nõ disputamus, nec disputandi locus est. Calvini tantum aduertenda improbitas, impudentia, impietas, qui post tam longam accusationem tam in genere quam in particulari, tam grauem, tam acerbam, quum ad causæ firma-**

mentum

mentum venit, nihil quam lectorem ludificat. Perpetuus hic illi mos est. Audacter asserit, confidenter accusat, copiosè concludit. Nihil omnino probat, nihil confirmat. Hoc est impostorem ac seductorem agere, & vt Apostolus dicit, *in astutia & nequitia circumuenire*. Quare iterum post nudam & simplicem assertionem suam, fortissimè concludit. *Ergo quid nobis in Euangelio præscribat Christus, considerandum, ne temere sequamur quod sub lege Patres seruauerunt. Nam quæ tunc fuit pia sacrorum observatio, hodie sceleratum sacrilegium foret.* Quid in Euangelio præscribat Christus, & quam latè patet docendi potestas Ecclesiæ magistris in Euangelio data, & quatenus externis ritibus Deus colendus sit, ipsa nos Ecclesia docere debet & docuit, non Calvinus, non alius quilibet post tot secula nouellus magister. Lippis ac tōsoribus in Ecclesia Catholica notum est ceremonias Ecclesiæ nõ ex imitatione Iudaica magis quam ethnica, sed ex Apostolorum & Apostolicorum virorum pia institutione promanasse. De qua re mox plura dicemus in postremo huius Euangelij loco. Nam de ipsa SS. Patrum saluberrima & necessaria auctoritate, & quatenus ea valeat, & quousque se extēdat, in opere nostro de Principiis fidei iam olim latè diximus.

3. *Vos adoratis quod nescitis. Nos adoramus quod scimus.*

Locus impotentem Calvini calumniam, qua Catholicos ad hæc verba grauat paucis repellendi. *Hoc (inquit) fulmine concidunt bona omnes intentiones quas vocant. Habemus enim homines nihil posse quam errare, vbi sua, eos regit opinio sine verbo aut mandato Dei. Nam Christus personam & causam gentis suæ suscipiens, Iudæos longè à Samaritanis distare docet, & hoc vno eos præstare, quod aeternæ salutis fœdus cum illis pepigerat Deus: & quod non incognitum aliquod numen, sed Deum vnum adorant, qui se illis patefecit, & à quo sunt in populum adoptati.* Obseruanda est collectionis Calvinianæ absurditas pariter & impietas. Absurda & insulsa hæc collectio est. Samaritani quia cum vero Deo falsos deos colebant, nec vllam habebant religionis suæ certam regulam ac normam, videlicet nec Scripturas (nisi solum Pentateuchum) nec sacerdotes legitimos & à Deo missos, nec certa legitima sacrificia aut festa à Deo instituta

Ephes. 4.

Calvinus.

Lib. 7. cap. 12.
& seqq. lib.
11. cap. 5.Calvinianæ
collectionis
absurditas.Epiphani.
ar. 9.

sed in 4. sectas (Sebuços, Corthenos, Dositheos, Esse nos) diuisi tam sacrificia immutabant, quam festa transferebant: prout cuique sectæ visum erat, & à solo diuini cultus loco ac templo abhorrebāt, has & alias ob causas adorabant quod nesciebant. id est in toto Dei cultu aberrabant: ergo Christiani Catholici nullas bonas intentiones habere possunt, nisi quæ in Dei verbo aut mandato scripto continentur. Hęc est enim ex illis verbis, *vos adoratis quod nescitis*, Calvin. conclusio. Cuius absurditas in simili apparebit. Qui ambulat in tenebris ambulat quo nescit: ergo qui ambulat in lumine nisi lucernam manu gerat, ambulat quoque quo nescit. Christiani quippe Catholici & fide iā ac spiritu Dei donati, ambulant in lumine, aguntur Spiritu Dei, habent ductores, quos Deus illis dedit Scripturarum lucerna non semper opus habet. Multa pietatis opera vel ex Spiritu S. solo instinctu, vel iuxta ductorum suorum ac Pastorum consilia, absque expresso in Scripturis mandato Dei, pię ac laudabiliter exequuntur. Quorum nisi in ipsis Scripturis multa occurrerent exempla, (quæ in alio huius operis loco enumerauimus) fingi hoc à me videri posset. Nunc autem ex bonis filiorum Dei intentionibus (quibus se hostem Calvin. profitebatur tum hoc tum aliis in locis) quæ vel non expectato Dei mandato spontaneas Deo oblationes & hostias spirituales faciunt, vel præter & ultra ipsum Dei mandatum in Scripturis positum (quod frequenter necessaria sola prescribit) opera supererogationis præstāt, innumera bona opera Deo gratissima procedunt. De quibus in promptuario nostro Morali semel atque iterum differuimus. vt ipsemet Calvin. hunc suum com. in Euang. Ioan. in Harm. trium Euāgelist. in omnes Apostolicas Epist. conscriberet. in quo quæso verbo aut mandato Dei scripto fundatur? Aut vbi mandatum in Scriptura accepit? An negabit tamen, aut videri saltem non volet, ex bona intentione ad Dei gloriā & proximi utilitatem se ea omnia scripsisse? Negare etiam poterit absque vllō Dei verbo aut mandato in Scripturis posito ad illa opera animum applicuisse? Cur ergo cęcus hereticus in aliis tam multis piorum bonis operibus ac laboribus, easdem bonas intentiones non aduertit? Cur eas reprehendit, & hominum impiorum, qui verum Deum ignorant, cæco cursui assimilant? Omnes à vero Dei cultu alieni, vt isti Samaritani, vt Pagani, vt hæretici, adorant quod nesciunt: nec eos inuare possunt bonæ aliquæ intentiones, quia sine fide

impossibi.

Bona opera in Scripturis non præscripta.

In Dom. inf. Oct. Nat. Do.

Do. r. post. Eiphan. tex. 1. Do. Pascha. tex. 2. Do. 4. post Pent. tex. 2.

Heb. 10. Rom. 8.

impossibile est placere Deo, & Spiritum Dei non habent, à quo agantur. At verò pię & Catholici Christiani, Christo capiti in suo corpore, quod est Ecclesia, adhaerentes, ideòque Spiritum Christi, qui in corpore eius est, & extra corpus eius non est, in sese habentes, id adorant quod sciunt, in Dei cultu non aberrant, tamen extra Scripturæ terminos, multa bona in Scripturis non præscripta operentur, & eorum bonæ intentiones plurimum eos iuuant, multaque præclara opera Deo grata, proximis vtilia proferunt. Ex quibus efficitur non absurdam modò, sed & impiam (vt dixi) collectionem hanc Calvinianam esse. Quare quod iterum hoc loco repetit & ingeminat, eadem impietate laborat. *Quantumuis* (inquit) *in sua pertinacia sibi blandiantur & plaudant, qui ex sensu suo vel hominum traditionibus adorant Deum, hac vna vox de cælo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prostermit: Itaque vt Deo probetur nostra religio, necesse est vt in scientiam ex eius verbo conceptam recumbat.* Quadrant hæc verba optimè in ipsum Calvinum, omnesque sectarios, qui ex sensu suo (non ex sensu Ecclesiæ, non ex sensu, & consensu SS. Patrum contra quos modo Calu. declamauit, non ex sensu S. S. Conciliorum) & ex hominum traditionibus, Lutheri, Bucerii, Zvinglij & aliorum placitis Deum adorant, Scripturas exponunt, dogmata fabricant, cultum instituunt. Isti omnes adorant quod nesciunt. Istorum religio non recumbit in scientiam ex verbo Dei conceptam, sed in scientiam ex proprio cuiusque cerebro conceptam, ad quam postea Dei verbum contorquent, vt in nostris fauente Deo, Antidotis Euangelicis & Apostolicis toti orbi manifestum fiet. Catholici verò, quorum hic bonas intentiones extra scriptum verbum impugnat Calvinus, nec ex sensu suo, nec ex hominum traditionibus, sed ex sensu Spiritus Dei, quem acceperunt in corpore Christi, & ex hominum quos Deus misit suæque Ecclesiæ præfecit, & eam docere ac regere iussit, doctrina & præceptis Deum colunt: Religionem quoque tenent non à seipsis recenter inuentam, vt Calvinus cum suis, sed ex verbo Dei conceptam, iuxta perperuam Catholicę Ecclesiæ fidem, & Sactorum probatorum expositiones orthodoxas: quas contra omnes quocumque tempore exurgentes hæreses pastores Ecclesiarum, qui pro tempore fuerunt, summa religione & diligentia sequuti & imitati sunt, vt alio in loco ostendimus. Iā verò absterfa hæc Caluini in Ecclesiam Catholicam calūnia, videamus quàm hæc reprehensio

Caluinianæ collectionis impietas.

Sensum suum & traditiones humanas non Catholici, sed hæretici sequuntur.

De Princip. fidei li. 7. c. 12.

Heretici hodie Samaritanis similes.

4. Reg. 17.

Genes. 33.

vos adoratis quod nescitis, in ipsum maximè Calvinum, omnesque hæreticos rectè ac meritò retorqueri debeat. Samaritani adorabant quod nesciebant, quia nec verum Deum nec eum rectè colebant. Non cognoscebant verum Deum, quia quem pro Deo colebant, illius solum terræ Samaritanæ non vniuersorum, Deum esse credebant. Non eum rectè colebant, quia nec ritus à Deo præscriptos tenebant, & præterea multos falsos Deos adorabant. Temporis deniq; progressu etiam templum magnum in monte Garizim extruebant, quod templo Hierosolymitano ex Dei mandato extructo emulum foret. Sic templum contra templum, altare contra altare erigebant, seque veros Dei cultores venditabant. Eorum originem his verbis describit Scriptura. *Abdu- Etis decem tribubus in Assyriam,* (quarum tota possessio Samaria tunc vocabatur) & in eorum locum ac possessiones Assyriis translatis, *Nunciatum est regi Assyriorum, et dictum Gentes quas transtulisti & habitare fecisti in civitatibus Samaria pro filiis Israël, ignorant legitima Dei terra, & immisit in eos Dominus leones: Ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terra. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens, ducite illuc vnum de sacerdotibus, quos inde captivos abduxisti, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terra.* Semper vocant eum quem colere intendebant Deum terræ, quasi illius terræ proprium quendam Deum, & non totius vniuersi conditorem. *Igitur quum venisset vnus de sacerdotibus his qui captiui ducti fuerant in Samaria, habitauit in Bethel* (hic est ille mons, in quo Iacob adorabat, & de quo hæc mulier in hoc Evangelio loquitur, extructo tunc illic templo magnificentissimo) & docebat eos quomodo colerent Dominum. *Et vnaquaque gens fabricata est Deum suum posueruntque eos in phanis excelsis quæ fecerant Samaritæ gens & gens in vrbus suis, in quibus habitabat. Viri enim Babylonum fecerunt Socothbenot: viri autem Cuthati fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima. Porro Henai fecerunt Nebahaz & Tharibac. Hi autem qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharuaim, & nihilominus colebant Dominum. fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus. Et cum Dominum colerent, dijs quoque suis seruebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt caeremonias eius, atque iudicia & legem & mandatum quod præceperat Domi-*

136

mus filijs Iacob. Hæc est Samaritanorum origo, hæc eorum adoratio, hic cultus. Sic adorabant quod nesciebant. Vide nunc an non in nostri maximè temporis hæreticis eodem modo se res habeat, vt verissimè adorent quod nesciant. Samaritani colebant Dominum in Bethel, in quo postea loco Manasses homo Iudæus ducta in vxorem Sanabaletis filia, qui Darij nomine Iudææ præfuit, ne fratre summo apud Iudæos pontifice esset inferior, magnificentum templum extruxit, & sacerdotem se illic creauit, ac quoscunque potuit apostatas (vt ait in hunc locum Calvinus) præmijs ad se pellexit, soceri videl. sui fretus potentia. Sic autem in hoc monte Dominum colebant, vt vnaquæque gens in aliis excelsis & phanis sua idola suis propriis ritibus colerent. Omnino pari ratione heretici hodie Christiani Catholici quum essent, ipse imprimis Martinus Lutherus, Monachus, Sacerdos, & Doctor, ne quodam alio fratre suo, cui indulgentiarum publicatio (res tum lucrosa) commissa fuit, inferior esset, (eandem quippe modis omnibus ambiuerat fretus Saxonæ Ducis autoritate ac potentia, cuius nouellæ filiæ, Academia VVittembergensi primarius professor ascitus fuerat, nouum in Germania & per amplum latè patentis Schismatis templum Ducis sui potentia fretus erexit altare contra altare, cathedram contra cathedram instituit, Romanæ Sedis legitimam autoritatem omnibus modis conuellens, Sacerdotem se illic, nouum Euangelistam, & Prophetam, Apostolum creauit: & vt Caluini verbis vtatur, quos vnique potuit apostatas ad se pellexit. Mox Lutherani quasi noui Samaritæ crescere & multiplicari cœperunt. Cæterum qui Luthero ad momentum adhæserunt, & cum eo Dominum colebant, id est, Christiani vocari semper volebant, confestim suos quisque deos, sua idola sui cerebri phantasmata colebant, alij rigidi, alij molles, alij extrauagantes Lutherani: & inter hos alij Zvingliani, alij Anabaptistæ, alij Osiandrini, alij demum Calvinistæ, vt multo plures sectæ breui momento exortæ sint, quàm apud Samaritas gentes erant diuersos deos colentes. Qui quidem omnes sicut Samaritæ Dominum in Bethel coluerunt, sic iuxta nouum Euangelium à Luthero restauratum se Dominum colere protestantur. Lutherum enim pro viro Dei & magno Propheta omnes adhuc sectæ reuerentur: & illorum Bethel VVittembergæ est. Interim tamen alius Geneuæ, alius Tiguri, alius in Anglia partim Protestantium qui Regiæ voluntati se accomodant,

Ioseph. Antiq.
lib. 11. cap. 8.

Comparatio
Samaritani
tēpli & schif-
matis cū ho-
dierno schif-
mate.

Matth. 28.

Matth. 5.

Ioan. 21.

Luca. 10.

Hebr. 13.

Ioseph. Antiq.
libr. 13. cap. 6.

Cont. Iul. l. 2.

partim Puritanorum cultus est, alia politia, varia & diuersa dogmata. Omnibus hoc commune est, vt cum Samaritis illis, *non custodiant caeremonias, iudicia atque mandata Dei*, iuxta eorum praescripta, quibus Christus dixit, *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quaecunque praecepi vobis*: iuxta Ecclesiae Catholicae & Praepositorum eius doctrinam & traditionem. sequitur vnusquisque sua placita tam in Sacramentorum administratione quam in verbi praedicatione, totoque cultu atque doctrina. *Sic adorant quod nesciunt*: in tenebris ambulant. Ab eis lumen accipere nolunt, quibus Christus dixit, *Vos estis lux mundi*. Ab eo pasci nolunt, cui Christus dixit, *Pasce oves meas*. Eos audire nolunt quibus Christus dixit, *Qui vos audit me audit*. Illis obedire nolunt, de quibus Paulus dixit, *Obedite Praepositis vestris*. Suam quisque lucem sequi vult, semetipsum pascere, solum Christum in Scripturis loquentem audire, nemini obedire volunt. *Sic adorant quod nesciunt*, & ambulant quod nesciunt. Nam cum veteribus quoque Samaritis *faciunt sibi ex nouissimis sacerdotes excellorum* Homines mechanicos, illiteratos, audaces, temerarios ministerio verbi praeficiunt. Hos caecos duces alij caeci sequuntur, vt adorent quod nesciant.

Sanè contentione illa Samaritanorum cum Iudaeis propter extructum illud templum longius progrediente, tandem ad iudicium Ptolomæi regis delata, & acerrimè à cuiusque partis aduocatis examinata, ex hoc imprimis argumento, quod Iudæi templi sui antiquitatem multò maiorem, Sacerdotem in eo perperuam successionem, Prophetarum qui illi adhæserunt praedicationem ostenderent, quibus omnibus Samaritæ carebant, causa ceciderunt Samaritæ. Pronunciatum est eos adorare quod nesciebant. Iudæos illud adorare quod sciebant, id est totius cultus sui certam scientiam, certa fundamenta, normam & regulam certam habere. Eundem planè in modum nullo negotio conuincuntur hæretici hodie adorare quod nesciunt, quia in eorum Bethel, nec Antiquitas est, nec sacerdotum successio, nec Prophetarum praedictio: demonstrabitur verò nos Dei beneficio Catholicos hæc omnia debere, apud nos esse totam antiquitatem, ex cuius testimoniis fidem nostram roboramus, esse Pontificum & sacerdotum successionem, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam suam: esse Sanctorum Doctorum & Patrum vnanimem cōsensum, quibus Ec-

clesi

clesia vt Augustini verbis vtat) *plātatoribus rigatoribus, adificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit*: ideoque nos adorare quod scimus. Et sicut olim *salus ex Iudæis erat*, quia Christus salutis author, & Euangelica doctrina & Lex, & promissiones ex ipsis erant, quatenus eis praedicta & promissa & à Christo (qui ex eis erat) impleta fuerunt, sic nunc salus ex Catholicis est, & in sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana, quia Christus salutis author non nisi in illa Ecclesia, qui corpus eius est, loquitur, quia tota Euangelica doctrina & Lex Dei, & quaecunque Dei promissiones in ea & ex ea sunt quatenus eius ministerio docentur, & non nisi in ea, eiusque vnitati adhærentibus, adimplentur & possidentur. Et sic quidem omnes horum temporum sectæ & hæreses hoc vno fulmine concidunt. *Vos adoratis quod nescitis*: & hæc vna vox de caelo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum prostermit.

4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

Locus corruptionem & deprauationem hæreticam necessariò reformandi. Ex his quippe verbis fortiter pugnant hæretici, noui testamenti cultum, & euangelij statum, omnibus externis caeremoniis vacuum esse debere, nec nisi spirituales, nudum ac simplicem. Spiritum enim hoc loco interpretantur, vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantum spirituale significat. Vnde Calvinus. *Deum colere in spiritu & veritate, est ablati veterum rituum inuolucris simpliciter retinere quod spirituale est in Dei cultu. Nam veritas diuini cultus in spiritu consistit, caeremonia autem quiddam erant aduentitium. Et iterum Omnibus seculis fide, precibus, gratiarum actione, & puritate cordis & vita innocentia coli Deus voluit: sed erant in Lege varia accessiones, vt Spiritus & veritas sub inuolucris lateret. Sic spiritum & veritatem exponit, quatenus externis omnibus ritibus & caeremoniis opponitur quibus spiritualis cultus adubratur & significatur. Sic omnes caeremonias quæ aliquid spirituale adubratur aut significatur, pro Iudaicis habet Calvinus. Quare mox caeremonias Ecclesiasticas pro huiusmodi habens in eas inuehitur. Hoc (inquit) *discrimen in Papatu non modo cōfusus, sed penitus euersum fuit. Neque enim illic minor est umbrarum densitas, quæ fuit olim sub Iudaismo. Sed fallit lectoris impostor. Cæremoniæ Iudaicæ nõ ideo umbræ fuerunt,**

quia

Ioan. 4.

Cæremoniæ
Iudaicæ quo
sensu umbræ
fuerunt.

quia spiritualem, & interiorē cultū adumbrabant, aut significant, sed quia rerum veritatem, quas Christus completurus erat, vel quæ in Christo compleri debebant typicè & figuratiuè adumbrabant. Neque enim sacrificia animalium & cæremoniæ Iudæorum exteriores, data & instituta à Deo erant, quasi actus exteriores ex interiori virtute procedentes: neque ea iussit fieri, quasi illa ipsius fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent (quamuis qui ea fide & dilectione exhibuissent, rectè, & in Spiritu facere dicti fuissent, nec sic legale opus exercuissent, sed Euangelicum, nouique testamenti proprium) sed vt essent figuræ ac repræsentationes quædam eorum, quæ per Christum futura erant, cuius venturi fidem illa exercendo protestati sunt. Et in hoc Iudæorum cultus à gentiliū cultu latissimè differēbat. Non enim gentes sua holocausta & ritus faciebant, quasi futurorum signa, sed quia grata Diis suis existimabāt. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum: imò expressè eos docuit Deus quod holocaustis & sacrificiis non delectaretur. Quare non ea instituit, quasi quæ in se, & per se placerent, nec vt eorum tantum obedientiam exercerent, vt putat Calvinus, qui ideo hæc Deo grata fuisse ait, quia ab ipso mandata & præscripta fuerunt: sed vt figura eorum, qui illi placebant, & vt pædagogia quædam ad rerum, pro salute humani generis futurarum notitiam eos manu ducens. *Adorare igitur in spiritu & veritate*, non est nullis externis cæremoniis Deum colere, ne etiam eadem opera omnes etiam externi pietatis actus excludantur; sed est non amplius aut in falsitate adorare, sicut fecerunt Samaritani (vt supra explicatum est) aut sacrificiis figuratiuis ac cæremoniis vmbaticis, quæ alterius cuiusdam veritatis vmbre ac repræsentationes sint, verum in veritate rectæ fidei sanæque doctrinæ, & in operibus ex Spiritu procedentibus, seu actibus cum interna pietate coniunctis, Deum adorare. Si enim rectè aduertimus, hæc duo aliis duobus Christus opposuit. Quum enim dixisset, *Veni hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem*, interiecta aliqua distinctione vtriusque adorationis, & Samaritanorum adoratione reiecta, Iudæorum defensionem subiungit repetens: *sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt, Patrem in spiritu & veritate*. Iudæorum adorationi, id est, toti cultui externo qui in templo Hierosolymitano fiebat (de eo enim erat tunc sermo) opponit adorationem ex Spiritu, id est, cultum non legalem, sed Euangelicum

Adorare in spiritu & veritate quid.

Duo adorationis genera aliis duobus opposita, verum falso, perfectum imperfecto.

gelicum, non carnalem, sed spiritualem, non in sacrificiis & cæremoniis futurarum rerum figuratiuis, & vmbaticis, sed in actibus seu merè internis ac spiritualibus, vt pura fide, dilectione, spe, seu etiam externis, sed ex spiritu procedentibus & ab aliis illis virtutibus aut elicitis, aut impietatis, ideoque spiritualibus quoque. Samaritanorum adorationi, quæ tota falsa erat & cæca (*adorabant enim quod nesciebant*) opponit cultum Dei *in veritate*, in sana fide, & recta Dei notitia: vt veritas errorem excludat, quo Samaritani laborabant, sicut Spiritus cæremonias legales & carnales excludebat, ex quibus cultus Iudaicus constabat. Et hic sensus à doctissimis Ecclesiæ Patribus traditur, vt mox docebitur.

Sed vt ad Caluini commenta respondeatur, non est quidem dubitandum, *omnibus seculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis, & vitæ innocentia se Deum coli voluisse, & spirituales Iudæos ita Deum verum piè ac studiose coluisse*. Sed non erat ille legalis cultus, verum Euangelicus; nec templo Hierosolymitano proprius, cui adoratio in Spiritu opponitur, sed quem quouis in loco ac tempore quilibet verus Israëlita, seu alius quicumque Dei cultor exerceret. *Accessiones verò cæremoniarum Iudaicarum non ideo adhibebantur: vt in illis inuolucris Spiritus ac veritas lateret*, vt Calvinus affirmat, Spiritus, inquam, & veritas, sicuti hoc loco à Christo accipiuntur, vt supra satis ostendimus; sed ad futuras veritates adumbrandas, vt iam dictum est, docetque latè in Epistola ad Hebræos Paulus. Quod ergo Calvinus addit *hoc discrimen in Papatu esse confusum, adeoque euersum, quia non est illic minor vmbarum densitas, quam olim sub Lege fuit*, vel putida caullatio, vel crassa ignorantia est. Nullas enim vmbas Papatus habet, nullas cæremonias vmbaticas, quæ videlicet futurarum rerum vmbre & figuræ aut repræsentationes sint, quales cæremoniæ Iudaicæ erant, dicente Apostolo: *Vmbra habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostijs quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere*. Nostra sacramenta, nostrum sacrificium à Christo institutum, non sunt futurorum bonorum vmbre, sed sunt præsentium bonorum, quæ nobis conferuntur, instrumenta & signa efficaciam. Nostræ cæremoniæ circa Dei cultum, nostra templa, altaria, vestes, ac vasa sacra, luminaria, suffragia, nostræ genuflexiones, & quicumque externi ritus, nihil futurum adumbrant, sed vel actus exteriores sunt ex interiori

Caluini ignorantia docetur.

Vmbaticæ cæremoniæ amplius non sunt.

Hebr. 10.

Cæremoniæ Ecclesiasticæ cur adhibentur.

virtute

virtute procedentes, quæ per se Deo placent, vel actus reuerentiæ erga Deum, atque etiam ad excitandam mentis deuotionem, & ad rerum spiritualium, quas tractamus, aliquam expressionem, ac denique interni cultus nostri attestatiorem, quæ omnia spiritualis cultus adiumenta sunt.

Videamus an hoc ipsum Calvinus & sequaces eius interdum non attestentur. Sanè Calvinus tum in definitione sacramenti ait, *nos in sacramentis, pietatem nostram erga Deum tam coram eo & Angelis, quam coram hominibus testari*, tum postea explicans sacramenti naturam ait diserte *sacramenta ceremonias esse, quibus Deus exercet populum suum ad testandam apud homines religionem*: tum denique in vniuersum de ceremoniis dicit, *gentilitas illas initiationes in sua sacra & ceteros degeneres ritus, tametsi erroris erant ac superstitionis pleni, iudicio tamen fuisse, non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere*. Theodorus quoque Beza in confessione fidei suæ ita scribit. *Christus veteres illas umbras suo fulgore ita dispulit, mundumque ita docuit in Spiritu & veritate Deum colere, ut tamen nihilominus crasse & rudis nostræ natura habuerit rationem, ideoque signa exteriora adiunxerit*. Habemus claram & perspicuam aduersariorum confessionem. Quæ si ad certa sacramenta, certaque ceremonias, quales Caluino placent, piè retinendas valet; quantò magis ad illa sacramenta, ceremonias, ac ritus omnes, quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, piè ac laudabiliter retinendas valere debet? Ineptè igitur, & quod suæ ipsius doctrinæ ex diametro aduersatur, addit hoc loco Calvinus. *Quibuscunque elabi cavillis conentur, in externa tantum forma nos esse Patribus dissimiles constat, quia illi spiritualiter Deum colentes ceremonijs astricti erant, quæ Christi aduentu sunt abolitæ*. Habemus quippe & nos ceremonias ac ritus (teste Caluino) *sine quibus religionis professio non subsistit*, & ut ait Beza, *quæ crassa ac rudis nostræ natura postulat*. Non ergo Iudæis in externa forma ideo dissimiles sumus, quod illi ceremoniis astricti erant, nos nullis astringi debemus; sed in hoc planè plurimum dissimiles sumus, quod illi per suas ceremonias Deum spiritualiter non colebant (quod hîc asserere videtur Calvinus) sed aliud quid agebant, ut supra explicatum est. Tales umbratiles ceremoniæ Christi aduentu abolitæ sunt: Ceremoniæ Ecclesiasticæ, quales supra descripsimus, abolitæ non sunt: ipsomet teste & approbante Caluino. Frustra igitur hoc lo-

Instit. lib. 4. c.
14. num. 19.

Calvinus se
ipsum refu-
tat.

Cap. 4. nu. 30.

In Comment.
in hunc locum.

Calvinus se
ipsum refu-
tat.

co, atque etiam * paulo superius, contra veteres Patres, ceremoniarum cultores, planèque suæ ipsius doctrinæ repugnantèr declamavit Calvinus.

Nunc sensum verborum Christi quem dedimus, quatenus adoratio in Spiritu & veritate, adorationi Samaritanorum & Iudæorum à Christo opponitur, ex Patribus aliquot doctissimis confirmabimus. Tractans hunc locum D. Ambrosius, ait. *Spiritus hic ponitur pro gratia spirituali, in qua adoratur Deus, sicut adoratur etiam in veritate. Non enim adoratur, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio haurit affectu*. Veritatem igitur opponit errori circa verum Deum, quo laborabant Samaritani: Spiritum, seu spiritualem gratiam ceremoniis Iudaicis, qua illæ carebant, & quæ Euangelio propria est. Idem clarius & expressius D. Cyrillus in hunc locum. *Præsens aduentus sui tempus Christus significat, in quo figuræ legis in veritatem, & umbram in cultum spiritualem & placentem Deo Patri viuendi normam per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat. Spiritualis enim adorator Deo gratus est, qui non forma & figuris Iudaicis ad pietatem obumbratur, sed Euangelica virtute resurgens, recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem. Cultum spiritualem opponit figuris Iudaicis, & veritatem exponit rectam dogmatum disciplinam*. Nec multum aliter Hilarius, qui in his duobus verbis, *in Spiritu & veritate, libertatem ac scientiam adorantium ostendi* ait: *Libertatem*, quia umbratice cultui non astringitur, nec vlli certo loco, ut vtrique putabant, tam Samaritani, quam Iudæi. *Scientiam*, ut errorem ac falsitatem, qua laborabant Samaritani, à veris adoratoribus remoueat. Sic igitur adoratur Deus in Spiritu & veritate, ut quemadmodum actus pietatis externos, & opera charitatis erga proximum, quibus Deum colimus, Deoque seruiamus in iustitia, hæc adoratio non excludit; ita nec vel sacramenta, vel ceremonias Christianas excludat, quibus cultus Dei externus administratur, vel ad Dei gloriam, vel ad nostram in Deum fidem ac pietatem magis ac magis excitandam.

* * *

* In huius
Euang. tex. 2.

De Spiritu S.
lib. 3. cap. 12.

In Ioan. lib. 2.
cap. 93.

De Trin. li. 2.

*Sabbato hebdom. 3. Quadra-
gesima.*

*Qui sine peccato est vestrum, primus in eam
lapidem mittat.*



Oculus quidem hic moralis est, nec accusatores, nec Iudices, nec executores iustitiæ idoneos illos esse, qui vel eisdem criminibus, vel aliis laborant, quorum poenas à delinquentibus deposcunt, vel quæ in aliis inflatis buccis reprehendunt aut damnant.

Sed nostri temporis hæreticis imprimis hæc quadrat. Omnes enim eorum & libri, & ad populum conciones, cleri Catholici, maximeque Romanorum Pontificum vitia & flagitia crepant. Quod ut alibi quavis data occasione impius & impurus Calvinus facit, ita nec in hoc Euangelium temperare sibi potuit, quin eandem suam impetiginem proderet. *Notanda* (inquit) *circumstantia est, quæ hic exprimitur, ut quisque eorum honore alios antecederet, reatu suo citius tactum fuisse. Audientes quippe quod Christus dixerat, Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat, unus post alium exhibant, incipiendo à senioribus. Atque utinam saltem in Scribis nostris, qui hodie suam operam ad Christum oppugnandum, (id est, ad Calvinum, & alios eius farinae homines, horum temporum hæreticos refutandos) Papa venditant, (id est, Ecclesiæ Dei conferunt, quorum maxima pars Papam non vidit vnquam, nec aliquod ab eo beneficium vel accepit vel expectauit) tantum esset verecundia. Sed adeo ipsos depuduit, ut flagitijs omnibus infames eo ipso gloriantur, quod probrosis impunè esse liceat. Hæc hoc loco Calvinus, non S. Scripturarum interpretem, sed veteris comediæ scurram agens. Eadem modestia in sua Institutione vsus, de toto ordine Ecclesiastico scribit. Nihil hodie fingi potest hoc ordine magis effrene ac dissolutum, at eò licentia prorupit, ut totus orbis vociferetur. Cæterum, qui non in vnum hominem, sed in totum ordinem Ecclesiasticum, non lapidem mittit, sed tam ingentia saxa deuoluit, an ille sine peccato est? an ita castus & purus, ut nullo incontinentiæ vitio tactus fuerit? Inspiciantur etiam*

adhuc

*In Comment.
in hunc locum.
Caluini pro-
cax crimina-
tio in totum
Ordinē Ec-
clesiasticum.*

*Lib. 4. ca. 12.
num. 22.*

adhuc hodie ciuitatis Nouiodunensis in Picardia scruia & rerum gestarum monumenta; in illis adhuc hodie legitur, Ioannem hunc Calvinum Sodomiam conuictum, ex Episcopi & magistratus indulgentia, solo stigmate in tergo notatum, vrbe excessisse. Nec eius familiae honestissimi viri adhuc superstites, impetrare hæcenus potuerunt, ut huius facti memoria, quæ toti familiae notam aliquam inurit, è ciuicis illis monumentis ac scrinijs eraderetur. Sed & quum Geneuæ dominaretur Calvinus (adeo sanè, ut aliquot annis vrbis clauis penes illum essent,) Adonidem quoque suum eum habuisse, & occultis libidinibus operam dedisse, testatur pueri ex domo Caluini fuga, tota argentea Caluini suppellectile onusti, quem nec ex fuga retrahere, nec villo modo inuestigare Calvinus voluit, ut in eius vita scribit Bolsecus. Vbi & alia multa commemorantur impuri huius & improbi nebulonis insignia stratagemata. De Theodoro Beza, qui Caluino successit, & in totum clerum Catholicum persæpè debacchatur, multos & magnos in eum lapides mittens, atque incontinentiæ redarguens, vnicum ipsius Bezae de sua turpitudine præconium subiiciam. Est quippe in tanto hæresarcha affectatæ turpitudinis sempiternum testimonium. Sic suos amores decantauit.

Calvinus.
Sodomita.

Bolsecus de
vita Caluini.

THEODORVS BEZA DE
SVA IN CANDIDAM ET
Andebertum beneuolent a.

*Abest Candida. Beza quid moraris?
Andebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelij manere pergis,
Procul Candidulaq., amoribusq.,
Et leporibus, Andebertuloq.,
Immo Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres,
Nanque Vezelij carere possum,
Et carere parente, & bis, & illis,
At non Candidula, Andebertuloq.*

K

Sed

*Sed vtrum rogo praeferam duorum?
Vtrum inuisere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida, Anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Andeberte?
Quid si me in geminas secem ipse partes,
Harum vt altera Candidam reuisat,
Currat altera versus Andebertum?
At est Candida sic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam,
Sic Beza est cupidus sui Andebertus,
Beza vt gestiatur integro potiri:
Amplector quoque sic & hunc, & illam,
Vt totus cupiam videre vtrunque,
Integrisque frui integer duobus.
Praeferre attamen alterum necesse est,
O duram nimium necessitatem.
Sed postquam tamen alterum necesse est,
Priores tibi defero, Andeberte:
Quod si Candida forte conqueratur,
Quid tum? basiolo tacebit vno.*

*Confess. fid.
cap. 5. sect. 39.*

Elcg. 3. & 4.

Quid hoc nefario homine aut impudentius, aut impudius? Audet tamen & ille omnes qui cœlibatum vouent, infamis incontinentiæ arguere. Nullum (inquit) est tam horrendum libidinis genus, quo non sese mutuo polluant, qui voto continentiae sese adstrinxerunt. Hæc ille. Impurissimus nebulo suam scabiem aliis affricat, & vt alter Nero, neminem putat castè viuere, quum fuerit ipse in omni horrendo libidinis genere libidinosissimus: quod præter infame carmen superius positum, aliis adhuc suis elegiis obscœnissimis de sua Publia & Candida toti orbi testatum voluit.

In vita Maximini Imperatoris scribit Iulius Capitolinus, quum ad Heliogabalum imperatorem venisset, operam suam Reipub. offerens, impurissimum Heliogabalum sic eum excepisse; *Maximine, 20. aut 30. milites diceris aliquando lassisse: potes tricenas cum muliere perficere?* Spurcissimus Heliogabalus omnes sui similes existimans, quem virum fortem esse au-

diuerat,

diuerat, libidinosum quoque fuisse, libenter audit. Sic impurus Beza, quum omni horrendo libidinis genere sese polluisset, easdem turpitudines omnibus castitatis amatoribus perlibenter impingit, alios suo pede metiri volens. Meminisse debuit hircus iste, & petulcus nequam, huius Euangelij documentum: *Qui vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Iam vero nõ vnus aut alterius magistri, sed totius in Anglia nunc ministerij quanta sit turpitudine, quam fœda & procax incontinentia, tametsi coniugibus copulentur ministri, (quorũ conciones in veteris cleri & Curia Romanæ reprehensione vt plurimum totę versantur) ex eorum numero quidam edito libello euulgauit, & vernaculo sermone scribens, prælaturæ Anglicanæ maculatore sese inscribit. Maximas quippe & turpissimas illi maculas inspergit, factorũ species ita enumerans, loca & personas ita designans, vt nihil esse illo Anticlero & coniugato ministerio fœdus aut impurius demõstret, siue incontinentiã, siue auaritiã & rapinas, siue omne immanitatis genus spectes. Vnius Lutheri, qui in lib. de Papatu, & alibi sæpe, spurcissimis lædoriis omnes Ecclesiasticos onerat, variã, & execrandã vitæ turpitudinem vide in historia parallela recentes edita, de comparatione Martini Lutheri, cum Sancto Martino Turonensi Episcopo.

Sed nihil à veterum hæreticorum more atque vñu Caluinus & Beza faciunt, qui omnium impurissimi quum essent, Ecclesiæ semper Catholicæ Episcopis ac presbyteris incontinentiæ crimen impingere modis omnibus studuerunt. Apud Victorem Vticensem Episcopum in Vandalicæ persecutionis historia legimus, Vandalos illos Arianos correptis sanctimonialibus, & sacris omnibus in vnum congregatis virginibus, postquam eas cremantes graui suspendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mammillis & lateribus apposuissent, inter tormenta illis dixisse, *Dicite quomodo Episcopi vestri vobis concumbunt, & Clerici vestri. Qua tamen quum fierent, nihil inuestigari potuit, vnde Christi Ecclesiæ macularentur.* Hæc ibi. Inter cæteras calumnias, quas Athanasio maximo & potentissimo Arianorum Antagonistæ grauissimas machinabantur. Ariani, etiam hæc vna erat, mulierem à se muneribus corruptam, vt suam cum ipsa libidinem exleret: noctuq; præterea inaitam compressisse. *Sed vbi mulier, coram episcopis Arianis in iudicium vocatis, hæc obijceret, Timotheus presbyter Alexandrinus qui astabat Athanasio (sic enim inter eos clam cõuenerat) ita*

Martin.
Marprelat.

Hæreticorũ
veterum
praxis ad
Clerum
Catholicum
diffaman-
dum.

De Persecut.
Vandal. lib. 2.

Sozom. lib. 2.
cap. 24.

K 2 affatur

Theodoretus
lib. 1. cap. 21.

Caluini pu-
rida calunia
in caput suū
redundans.

Caluiniana
Theologia,
quod lex gra-
tiae adulteris
impunita-
tem dedit.

*affatur mulierem. Ego te per vim compressi? Tum illa, an non tu
quaso, inquit? tempusq; & locum in quo compressa fuerat, osten-
dit. Sic ridicula, calumniaq; plena deprehensa accusatio est,
Similibus calumniis multi sancti Episcopi à veritatis hosti-
bus vexari sunt, Eustathius Antiochenus, vt apud Theodo-
retum, Chrysostomus, Panysius, Brixius, vt in eorum vitis
apud Surium videre est. Nec moderna defunt exempla, siue
quæ Hugonica rabies in Gallia patrauit, siue quæ Angli-
cana iam 30. & amplius annorum persecutio contra Catho-
licos machinata est, in memoriam reuocentur.*

Iam verò quid Caluinc in mentem venerit, vt in hoc
Euangelium Catholice Ecclesie Theologis impingeret,
adulterij impunitatem, ne ipsos quidem Caluinistas aut sci-
re, aut conuicere posse arbitror. Sic enim scribit. *Hæc papalis
est theologia, Christum hoc loco Legem gratiæ attulisse, qua de-
tur adulteris impunitas.* At quis vel idiotæ vel simplicissima
anus in Ecclesia Catholica Romana nescit, adulterium gra-
uissimis pœnis tam Ecclesiasticis quàm humanis puniri?
Eadem impudentia dicere potuisset iuxta papalem theolo-
giam, Christum gratiæ legem attulisse, qua totius decalogi
transgressoribus impunitas detur. Sed videamus an theolo-
gia Caluiniana hoc ipsum non doceat. Si enim nullis legi-
bus, nec humanis, nec diuinis Christianos obstringi libertas
Euangelica patitur, si ideo sumus sub gratia, non sub lege,
quia legis rigori, quæ transgressores acerbè punit, obnoxij
non sumus, sed sub gratia, quæ nos à Lege manumittit, si
mandatorum Dei observatio (inter quæ est, non mæchabe-
ris, ad obseruandum impossibilis est, quæ omnia Caluinus
& Caluinistæ omnes constantissimè docent, ad quæ au-
tem non astringimur, quarum legum rigori obnoxij non
sumus, quæ præcepta seruare non possumus, eorum haud
dubiè transgressio pœnam non meretur, an non luce meri-
diana clarius est, Caluinianam theologiam esse quod Chri-
stus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impuni-
tas? Dicit quidem hoc loco Caluinus. *Nos tenemus sic re-
mitti à Christo hominibus peccata, vt politicum tamen ordinem
non subuertat, iudicia & pœnas legibus constitutas non aboleat.*
Atqui impunitatem adulterij hoc non adimit, quando adul-
teria occulta sunt, & politico magistratui incognita qualia
haud dubiè pleraque & maxima ex parte sunt. Ergo ex ipsa
Caluini confessione, coram Deo & in occulta scortatione
datur adulteris impunitas. Clarum igitur & perspicuum est,

non papalè, sed Caluinianam Theologiam esse, quod Chri-
stus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas. Ita
(vt dixi) quid Caluino in mentem venerit, vt tam scdam
& infamem doctrinam Ecclesie Catholice impingeret,
quæ ex ipsius propriæ doctrinæ principiis necessariò conse-
quitur, nullum arbitror Caluinistam conuicere posse: nisi
quod iusto Dei iudicio cæcitate mentis percussus, ea con-
tra Christi sponsam expuerit, vnde suam ipsius turpitudi-
nem propalandi iustam alius occasionem daret.

Illud postremò in hoc Euangelio animaduersione di-
gnum est, circa totius huius historię veritatem Canonicam
duo præcipua Caluinistarum capita penitus dissentire.
Caluinus enim ita in hunc locum scribit. *satis constat histo-
riam hanc olim Græcis fuisse ignotam. Itaque nonnulli conijciunt
aliunde assutam esse. Sed quia semper à Latinis Ecclesijs recepta
fuit, & in plurimis vetustis Græcorum codicibus reperitur, &
nihil Apostolico Spiritu indignum continet, non est cur eam in
usum nostrum accommodare recusemus.* Ab altera parte Beza
in hunc modum. *Ad me quod attinet, non dissimulo mihi meri-
tò suspectum esse, quod veteres Græci vel reiecerunt, vel ignora-
runt. Deinde quod narrat Iesum solum fuisse relictum cum mu-
liere in templo, nescio quàm sit probabile: (Ex eadem præpo-
stera suspitione totam Christi cum muliere Samaritana
apud puteum disceptatione, vbi solus cum sola agebat, ho-
mo impurus improbabilem quoque poterit asserere:) &
quod scribit Iesum digito scripsisse in terrâ, nouum mihi & inso-
lens videtur, nec possum conijcere quomodo possit commodè ex-
plicari) explicauit tamen ipse Caluinus satis commodè:)
Tanta denique lectionis varietas facit, vt de totius istius nar-
rationis fide dubitem.* Hæc illa bestia. Sed postrema conie-
ctura quam adfert, multas alias Euangelicæ historię par-
tes, quas duo aut tres Euangelistæ aliter atque aliter refe-
runt, in dubium quoque vocabit: verbi gratia, totum ser-
monem Domini in monte, vt apud Matthæum videtur, vel
in loco campestri, vt Lucas narrat; aliis quoque atque aliis
verbis habitum: Item de Centurionis puero sanato, quem
ad Christum accessisse Matthæus, non venisse, sed alios mi-
sisse Lucas narrat. Ipsam denique resurrectionis Domini
historiam quoad ipsum quo surrexit tempus, in quo varia
videntur dicere Euangelistæ: & alias adhuc partes quàm
plurimas in quibus tanta varietas & apparens dissonantia

Caluinus &
Beza circa
Scripturæ
partes dissen-
tiunt.

Ioan. 4.

Matth. 5. &
seq.
Luc. 6.
Matth. 8.
Luc. 7.

Hæreticorū
hodie petu-
lantia.

est, vt S. Augustinus duos libros integros de consensu Euā-
gelistarum scripserit, & alij multi Scriptores in Concordia
Euangelica concinnanda plurimum & piē sudauerint. Sed
hæc est hæreticorum hodie petulantia, vt multorum iam
seculorum fide firmata, pro suo cuiusque cerebro etiam cir-
ca ipsas diuinæ Scripturæ partes in dubium de nouo reuo-
care audeant. Admittit Calvinus, reprobatur Beza. Cur ita?
Quia pro suo libito vterque decernere, neuter Ecclesiæ do-
centi autem præbere vult. Docet hoc exemplum quam sit
detestanda Nouatorum hodie petulans arrogantia.

Feria 2. hebdom. 4. Quadra- gesima.

Ioan. 2.

*Dixerunt ei Iudæi: quod signum ostendit nobis,
quia hæc facis?*



Oculus quem suggerit ipse Calvinus, ne in hoc E-
uāgelio, quod contra præsentis hæreses accom-
modatè dici possit, non haberemus: Iudæis quip-
pe signum & miraculum aliquod à Christo pe-
tentibus, nos esse similes ait, quia à Caluino, Lutheto, aliis-
que hodie nouis magistris, nulla autoritate præditis, à ne-
mine missis, seipso ad docendi ac prædicandi munus inge-
rentibus, nouaque & inaudita hætenus dogmata in mun-
do spargentibus, noua facinora patrantibus signa petimus,
& miracula, quibus hanc suam vocationem nobis probent
atque confirment. *Testimonium aliquod (ait Calvinus) diuina
virtutis habere Iudæi volunt: Interea nihil admittunt quod
non hominum modulo respondeat. Sic hodie Papistæ miracula fla-
gitant, non quod locum daturi sint Dei potentia. Nam illis fixum
est homines præferre Deo, nec unguē vnum ab eo desletere quod
usu & consuetudine receptum habent. Sed ne absque ratione
videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt suæ pernicia-
cie. Hæc ille. Sed huic impostori respondendum est, si nos
Iudæis similes sumus, qui à nouis magistris miracu-
la appetimus, Calvinum Christo similem esse debere,
i quo ista petuntur. Si Christo similis Calvinus esse vult,*

In cō. ad hūc
locum.

Miracula an
rectè à noua
toribus po-
stulentur.

ostenda

ostendat se esse in Scripturis prædictum, à populo Christia-
no expectatum, magnum denique Prophetam ad consolati-
onem populi Dei, qui noua faciat omnia præfiguratum
sicuti Christus seu Messias populo Iudaico. in Scripturis
promissus erat, ab illis auidissimè expectatus, etiam eo ipso
tempore quod venit, ad consolationem plebis Israël, qui
omnia instauraret, Denique si similes Iudæis sumus à Chri-
sto hoc loco signum petentibus, facere Calvinus debuit,
quod prius CHRISTVS fecit: diuinam suam virtutē o-
stendere eum oportuit, sicut Christus in templo iam osten-
derat, homo solus inermis eiiciens de templo vendentes &
ementes, adeoque flagellis eos ignominiosè abigens: vt sic
iniquè ab illo signum peti doceat, sicuti à Christo Iudæi
(accepto tanto signo tantoque diuinæ cuiusdam potentia
argumento) iniquè & absurdè signum flagitabant. Petebant
ab illo potestatis suæ argumentum, qua freris hoc faceret,
(quod signum ostēdis nobis, quia hæc facis? quum ipsum per se-
factum potestatis suæ ac potentia diuinæ argumentum eui-
dens & luculentum esset. Nunc Calvinus Dogmatista no-
uus, & pro nouo Propheta se iactitans, (scribit enim se vni-
ex illis esse quorum opera Euangelij doctrinam Deus mundo re-
stituit) nullo dato potestatis suæ argumento: sed in lacu suo
Gencuensi latitans, quod ab eo, eiusque similibus miracula
flagitentur, simile quid ab eo flagitari clamitat, quale Iudæi
hoc loco à Christo flagitabant. Sed quid in vtroque discrimi-
nis sit, adhuc locum quod attinet, hæc pauca satis demō-
strant.

Iam verò non iniquè, nec aut fastu aut incredulitate Iu-
daica, sed æquissimè & fide ac religione Christiana, à Luthe-
ro, Caluino, & aliis horum temporum nouis magistris,
ad vocationis suæ penitus extraordinariæ (cucurrerunt enim
nemine mittente) nouæque doctrinae cōfirmationē miracula &
signa expeti & flagitari posse (nam de facto hoc ab illis fla-
gitare paucos arbitror, quum ipsa eorum impia & scelerata
doctrina satis superque seipsam prodat) paucis demonstra-
bitur. Nouos se esse magistros & nouam doctrinam adferre,
his aliquot seculis incognitam adeoque damnatam, nō so-
lū de facto demonstrant veterum Patrum in Scriptu-
ris exponendis iudicia & in controuersis hodie dog-
matibus vnanimem consensum apertè respicientes, (cu-
ius rei varia exempla alibi ex Caluino protulimus) sed
etiam disertis verbis profitentur. Quod noui sint &

In epist. præsi-
ca com. in e-
pistolæ ad Ti-
moth.

Miracula à
uouis hodie
hæreticis iu-
stè petuntur.

Instit. lib. 4.
cap. 3. num. 13.

Confess. fidei
cap. 5. num. 28.

In Annot. ad
Ro. 3. ve. 20.

In Annot. ad
Rom. 4. a. 12.

extra ordinem vocauit magistri, his verbis profiteretur Calu-
nus, *Apostolorum* (inquit) *officium fuit, ut orbem à defectiōe in*
veram obedientiam reducerent. Euangelista officio illis proximi
sunt, adeoque vices eorum gerunt. Hi non sunt perpetui in Ec-
clesia sicuti Pastores & Doctores, sed ad id modò tempus insti-
tuuntur, quo erigenda sunt Ecclesie ubi nulla antea fuerant.
Quàquam non nego, quin Apostolos postea quoque vel saltem eo-
rum loco Euangelistas interdum excitauit Deus, ut nostro tem-
pore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi defe-
ctiōe reducerent, opus fuit. Munus autem hoc extraordinarium
appello. Hæc Calvinus. Nec multò aliter illi in hac parte
conformis Beza. Indigni sunt Ministrorum nomine, qui sese fal-
sò ministros vocant, quum à Domino non sint vocati, id est, qui
vel ritè non sunt electi ab Ecclesia, (si quis est in Ecclesia legiti-
mus Ordo constitutus) vel à Deo non sunt extra ordinem excita-
ti, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis, ut or-
dinaria vocationi nullus esset locus relictus. Hæc ille. Vterque
apertè fatetur & disertè profiteretur vocationem suam extra-
ordinariam esse, & tanquam nouos restaurandi orbis Apo-
stolos aut saltem Euangelistas esse. Idem agnoscit Muscu-
lus in locis communibus in cap. de Ministris Ecclesie, &
Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto. Doctri-
nam quoque se nouam & orbi Christiano incognitam at-
tulisse, non agnoscunt modò, sed & gloriantur omnes. In-
ter alios Beza his verbis, de iustificatione ex fide disputans.
Illi (inquit) per quos nostra etate Dominus veluti sepultus Chri-
sti beneficium in lucem reuocauit, quum viderent, & c. Rursum
de vi & effectu sacramentorum disputans, Hanc (inquit) in-
terpretationem si quis cõtulerit cum ijs qua non Origines modò, sed
nonnulli etiam ex Patribus alioquin pietate eruditione clarissi-
mis in hunc locum scripserunt, comperiet profectò quantam ve-
ritatis lucem Dominus in nos omnium hominum maxime indi-
gnos nostra memoria effuderit. Planè ita nouam ac recentem
suam suorumq; doctrinam esse affirmat, ut sepultum Chri-
sti beneficium de iustificatione nostra in lucem reuocauit,
& nouam veritatis lucem circa Sacramentorum doctri-
nam in eos Dominus effuderit. Ab istis nouis magistris, no-
uamque doctrinam afferentibus, ab istis nouis Apostolis
aut saltem Euangelistis ab Antichristi defectiōe orbem
reducentibus, & collapsas toto orbe Ecclesias restauranti-
bus merito rogamus. Quod signum ostenditis nobis, quod
rectè & bono iure hæc facitis: Christus Dominus omnia re-

stauraturus

stauraturus multa signa ostendit, eaque vehementer vr-
get. *Si mihi non vultis credere, Operibus credite. Si opera non fe-*
cissem in eis que nemo alius facit peccatum non haberent. Ac de
nique discipulis suis ait. Alioquin propter opera ipsa credite.
Nunquid meliores Christo sunt: Petrus cæteri que Apostoli
fecerunt signa & prodigia magna in populo, ut illis crederetur.
Nunquid Apostolis maiores sunt? Moyses nouas leges po-
pulo Iudaico pt omulgaturus, multis & admirabilibus fig-
nis à Deo commendatur. Nunquid Moysè excellentiores
esse volunt? Quum Christus alio adhuc tempore, paulo an-
te passionem, simili in re hanc eandem potestatem excer-
ret, euiciens vendentes & ementes de templo, dicunt ei ite-
rù Iudei. In qua potestate hæc facis aut quis tibi dedit hæc po-
testatem? Tamen post tot à Christo miracula & signa toto
iam triennio in conspectu Iudæorum exhibita, importuna
& friuola hæc erat exostulatio, quod vnus Nicodemus
magister, in Israël eos docere potuit, qui sic Christum affa-
rus est. Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit
Deus cum illo, tamen contra alios nouos magistros, templa
Christianorum (ut hodie Calvinistæ fecerunt) partim spo-
liantes ac deprædantes omni que sacra in eis monumenta
demolientes, ut in Gallia & in hoc Belgio, partim à funda-
mentis subuertentes, ut in Scotia, nullo legitimo signo (nisi
fortè spoliis ac rapinis) suam vocationem & tam immania
scelera, ac sacrificia confirmantes, eadem exostulatio pror-
sus æquissima & necessaria est. Nam ut ipse Calvinus ad-
hunc locum ait: Non armantur hic proterui homines qui sine
ullo mandato se priuata audacia publicum sibi munus usurpant.
Eodem modo nec in præpostera Iudæorum postulatione,
Quod signum ostendis nobis quia hæc facis, in Christi facto
proposita, armantur proterui homines noui, pertinaces magi-
stri, lupi & seductores noui, qui sine villo mandato, à nemine
misi, sed priuata audacia, & extraordinaria sui ipsorum in-
trusione, publicum sibi docendi, prædicandi, Scripturas exponen-
di munus usurparunt. Denique tales nouos & extraordina-
rios magistros ut vocationis suæ rationem reddant, & po-
testatis quam usurpant signa ostendant, virgandos & pre-
mendos esse, ipse imprimis docuit Lutherus. Sic enim
ad Senatum Mulhutium contra clancularium concionato-
rem scripsit. Accersat eum ad se Senatus, etiam presente om-
ni populo si fieri potest, & quaratur ex eo: Quis eum huc miserit
aut vocauerit ad docendum? Id proculdubio Senatus non fecit.

K 5

Quod

Ioan. 10: 38.
Ioan. 14: 27.
Ioan. 13: 11.

Act. 5: 12.

Matth. 21.

Ioan. 3.

In Harm. ad
ca. 21. Matth.

Calvinus à
seipso refu-
tatur.

To. 2. operum
Gerin. lensæ e-
ditorum fo.

455. b. &
456. ii.

Quod si tum dicat se à Deo atque ipsius spiritu missum esse sicut Apostoli (hoc autè dixit Calvinus, dixit Beza, dixit Murellus, dicunt & alij omnes novi hodie magistri) probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati ut concionetur. Nam ubicumque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit. Hæc Lutherus. Eat nunc Calvinus, & non Papiſtas, sed Lutherum arguat, quod exemplo Iudæorum audeat à nouis concionatoribus, qui extra ordinem à Deo se mitti dicunt, signa & miracula efflagitare. Denique aut seductor Calvinus est, qui hoc factum congeritur, aut impostor Lutherus est, qui ad id faciendum hortatur. Sed hic contra caput suum stolidè & imprudenter: ille contra apertam veritatem impiè & imprudenter scripsit.

Caluin. cū
Luthero cō-
mittitur.

*Feria 3. hebdom. 4. Quadra-
gesima.*

I. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*

Ioan. 7.



Iocus pro Ecclesiæ seu Præpositorum Ecclesiæ, per quos Christus loquitur, docet, & omnem veritatem credentibus aut credituris annuntiat, suprema quadam in terris autoritate. Quemadmodum Christus fuit missus à Patre ut manifestaret nomen suum hominibus, sic Christus misit Apostolos & eorum successores illi idem officium præstarent. Ait enim Deo Patri. *Sicut tu me misisti in mundum, sic & ego misi eos.* Ait illis ipsis. *Sicut Pater misit me, ita & ego mitto vos.* Et rursus. *Qui vos audit me audit: qui vos spernit me spernit: Et iterum. Euntes prædicate Euāg. omni creatura. Qui non crediderit, scilicet vobis prædicantibus condemnabitur.* Item. *Docete omnes gentes, &c.* Denique sicut Christus profitetur, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, ut testimonium perhibeam veritati,* sic illis dixit. *Eritis mihi (qui veritas sum) testes in Iudæa & in Samaria & vsque ad ultimum terræ.* Sicut ergo Christus à Patre missus in hoc Euangelio dicit, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, scilicet, Patris mei:* sic Ecclesia potest veraciter dicere. *Nostra doctrina non est nostra, sed Christi qui misit nos.* Christus utrumque dicit, *mea & non*

Ecclesiæ do-
centis autho-
ritas.

Ioan. 17.

Ioan. 20.

Luce 10.

Marc. 14.

Matth. 28.

Ioan. 8.

Act.

mea,

mea, quæ contraria videntur, sed non sunt. Suam doctrinam vocat, quia illam ut homo habebat; non suam sed Patris, quia à Deo Patre illam accepit: sicut a Ambrosius & b Augustinus hunc locum iuxta sermonis Christi contextum exponunt. Rursus non suam vocat, sed Patris, quasi non solum suam, quia ratione eorum quæ docuit eadem fuit doctrina Patris & sua, propter identitatem videlicet eorum quæ docebat. Quæ enim docuit Christus ut homo, sunt eadem cum his quæ doceri vult Pater. Eodem planè modo doctrina Ecclesiæ, & ipsius est & non ipsius. Ipsius est, quatenus illam ipsa docet, loquitur, testificatur. Non ipsius est, quia non à seipsa, sed à Deo, à Christo qui illam misit, à Spiritu Sancto qui loquitur in illa, & docet illam omnem veritatem, illam accepit. Disputauit nuper insulsus quidam hereticus, ut Ecclesiæ autoritatem imminueret, planèque deiiceret. *Alius est qui loquitur, aliud per quod loquitur. Si Deus ergo per Ecclesiam loquatur, hoc non Ecclesia est, sed Dei potius testimonium. Quod si Dei ipsius testimonium sit, sequitur Deum non Ecclesiam Scripturæ, etiam quo ad nos, autoritatem dare.* Hæc ille. Sed hic locus Euangelicus insulsi hominis stupiditatem conuincit. Quemadmodum enim aliud est Deus, aliud Christus quatenus homo, quo sensu doctrinam quam tradidit dixit esse non suam, solius videlicet, & quia à seipso non loquebatur (vnde postea subiunxit: *Qui à semetipso loquitur propriam gloriam querit,* id est, qui quod à Deo accepit, sibi ipsi tribuit, suam propriam, non Dei per quem loquitur gloriam querit) & tamen quia ille quoque eam doctrinam verè in se habuit, ille verè eam docuit, tradidit, testificatus est, eiusque testimonium accipere Iudæi debebant, ideo vocauit eam suam quoque, dicens, *Mea doctrina:* (non dicens, hæc doctrina quam auditis) sic omnino aliud quidem est Deus aut Christus, aliud Ecclesia, quo sensu dicere potest Ecclesia doctrinam quam docet non esse suam, solius videlicet, & quia à seipsa non loquitur, sed aliunde accepit tum potestatem loquendi missa à Christo, tum omnem veritatem quam loquitur (accepto Spiritu Sancto, quem Christus illi promisit ac dedit ut eam induceret in omnem veritatem) & tamen quia eandem doctrinam & veritatem Ecclesia ipsa in se habet, docet, tradit, testificatur, eiusque testimonium accipere iubemur, (*Qui enim vos spernit me spernit,* ait Christus Ecclesiæ suæ) verè vocatur & est, Ecclesiæ doctrina & testimonium: ut quicquid Ecclesia nos docet

a De fide lib.
2. cap. 4.
b De Trinit.
lib. 1. cap. 12.

Guli. VWhita-
kerus in di-
sputat. de S.
Script. quest.
3. cap. vlt.
argum. 13.

Ecclesiæ do-
ctrina quo-
modo & il-
lius sit, &
non illius.
Ioan. 7.

Ioan. 14.

Luce 10.

docet

Causæ distin-
ctæ quo ad
effectum cõ-
iunctæ sunt.

docet ad fidem spectans, siue has esse Scripturas Canonicas, siue hunc esse Scripturarum sensum, siue hoc & illud creden- dum esse, hæc doctrina, prædicatio, testificatio ipsius Eccle- siæ dicenda sit non solius Dei, & ipsi Ecclesiæ obediendum sit, non soli Deo: sicuti Iudæi Christo obedire debebant, eiusque testimonium accipere, non solius Dei per Moysen & alios Prophetas loquentis. Non aduertunt hæretici cau- sam efficientem principalem & causam instrumentalem, mediam & secundariam, tametsi re ipsa distinguantur, ut aliud quiddam hæc sit aliud illa, ratione tamen effectus quem coniuncta & simul producant, vnam integram ac totalem causam facere: sicut aggregatum quoddam ex par- tialibus causis. Vna est extra nos videndi causa siue vnum medium quo videmus, aer lucidus: vbi tamen duo res sunt, lux ipsa quæ primaria est videndi causa, & aer me- dius per quem lux ad nos defertur, & sine quo medio lux ad nos non pertingeret. Similiter vna est extra nos disci- plinæ causa, magister doctus: vbi tamen duo res sunt, ipsa ars & scientia magistri quæ primaria est extra nos ipsos disciplinæ causa quam capessimus, per cuius videlicet intel- ligibiles species ad nos delatas formaliter docti & scientes efficiuntur, sicuti per lucis species ad nos delatas formaliter videmus, & ipsa vox magistri, quæ causa instrumentalis & media est, per quam ad nos scientia eius defertur. Sic enim & fides & omnis disciplina ex auditu est, illa per verbum Christi prædicatum, hæc per verbum magistri pronuncia- tum. Dico in vtroque exemplo, extra nos: quia intra nos & organum esse debet dispositum in primo exemplo, & capa- citas seu docilitas in secundo: sine quibus nec visus nec disci- plina esset, aut certe perfecte non esset. Eodem modo vna est extra nos credendi causa, siue vnum medium quo credi- mus, *Deus per Ecclesiam loquens*. Vbi tamẽ duæ res sunt Deus, & Ecclesia. Ac Deus quidem ut causa principalis credendi, à quo videlicet lumen suum Ecclesiæ accipit ut ritè doceat, & potestatem ut cum authoritate doceat. Ecclesia medium externum est, per cuius ministerium doctrina fidei ad nos defertur. Et quemadmodum ut lux per aerem delata illumi- net, Deus generali suo concursu semper adest; sic ut doctri- na fidei per Ecclesiæ ministerium tradita à nobis credatur, non generali tantum (quia effectus iste credendi superna- turalis est) sed speciali concursu & auxilio Deus docenti Ec- clesiæ cooperatur, ut alibi iatè ostendimus. Rursum, quem-

admodum

Vnum extra
nos credendi
medium.

In defen. con-
tra Vbita.
lib. 1. cap. 3. &
cap. 11. sect. 4.

admodum ut magistri docentis doctrina à discipulo cum fructu & effectu audiatur, necesse est, ut qui audit & capax sit, & docilis, id est, vtrum possit, tum velit intelligere quod docetur, sic ut Ecclesiæ docentis doctrina cum fructu audia- tur & credatur, necesse est ut verbum fidei in terram bonam cadat, in cor docile quod sit docibile à Deo. Sed quia effe- ctus credendi supernaturalis est, ideoque nemo ex seipso terra bona est aut docibilis à Deo, necesse est ut præter lo- quentem Deum per Ecclesiam (quod tantummodo ad ipsam Ecclesiam pertinet ut sit vera & infallibilis fidei magistra) adsit interna Spiritus Sancti in corde audientis operatio, quæ terram bonam & cor docile efficiat. Quæ tamen con- sideratio ad rem præsentem impertinens est, nisi quod sicuti non sequitur, causa disciplinæ & omnis scientiæ est eo- rum qui discunt, viuacitas ingenij & industria propria, er- go magister docens nulla causa doctrinæ est; sic non sequi- tur, causa credendi Scripturis aut cuiuscunque obiecto fidei est internum diuini Spiritus testimonium, donum fidei, lu- men gratiæ: ergo Ecclesia docens siue Ecclesiæ testimonium nulla est causa fidei: aut ergo dici non debet nos propter Ecclesiam credere; quæ antedicti insulsi hæretici frequens est argumentatio.

Ad causam præsentem notandum est, quod Deus Pater per Christum docens, Christus per Ecclesiam loquens, lux per aerem illuminans, magister ex sua scientia docens, vna integram causam suorum effectuum constituunt; ut pro- pterea negari non debeat, Ecclesiam esse quæ nos docet, Ecclesiæ vocem audire, Ecclesiæ testimonio acquiescere nos oportere. Sanè Rex per suum vicarium, Præto- rem, aut quemlibet magistratum ius dicit & iustitiam administrat. Deus quoque per reges quasi per suos ministros regnat, iubet, ordinat. Sicuti igitur Prætori nihilominus aut cui- libet magistratui parendum, non soli Regi in persona loque- ri; & sicuti ipsi & sublimioribus omnibus potestatibus sub- ditos nos esse oportet, non soli Deo cuius ministri sunt; sic Ecclesiæ docenti, testificanti, iubenti parendum nobis est, non soli Deo in verbo suo scripto, quasi in persona propria loquenti, ut hæretici volunt. Tam Ecclesia ex Deo loqui- tur, ut ideo maior sit Dei authoritas; quam Deus per Ecce- siam loquitur, ut ideo aliqua etiam sit, & in terris maxima atque certissima in iis quæ ad Deum pertinent, Ecclesiæ authoritas. Tam Reges ex Deo regnant, (dicit enim Scri-

Ecclesiæ cur
& quomodo
parendum.

Rom. 13.

ptura

Proverb. 8.

Rom. 13.

Regum au-
thoritas cur
non in terris
maxima si-
cut Ecclesie.Authoritatis
Ecclesie de-
fensio contra
Whitakerum
lib. 3. cap. 13.In festo SS.
Simonis &
Iude.Supra fer. 4.
hebdom. 1.
Quadrages.
Matth. 12.

ptura, *Per me Reges regnant*,) vt ideo maior sit autoritas Dei quam Regum; quam Deus per ipsos reges gubernat,) dicit enim alia Scriptura, *Ministri Dei sunt*) vt ideo aliqua sit etiam eademque magna Regum autoritas. Non dico maxima aut certissima. Latum enim hic discrimen est, ex quo multo maior ac certior Ecclesie prestanda obedientia sequitur, quam Regibus. Quia enim omnis terrena potestas subordinatur spirituali, vt nihil illa iubere possit Deo ac diuinis legibus contrarium, vnde in tali casu Regibus obtemperandum non est, ideo autoritas in terris maxima non est. Rursum quia in potestatis sue executione, a Dei Spiritu infallibiliter non regitur, sed frequenter errare potest & errat (nec enim tale Dei auxilium speciale aut illi promissum est, aut promitti necessarium fuit, quum errores Regum ad iusta Dei iudicia populumque merito plectendum frequenter pertineant) ideo certissima eius autoritas non est. Atqui Ecclesia ne in doctrina fidei aliquando erret, singulares a Christo qui fallere non potest promissiones accepit: & accipere profecto debuit, vt certus esset in terris Dei cultus, certa notitia, certa & perpetua obedientia. Sed de Deo per Ecclesiam loquente, & Ecclesie testimonio propterea audiendo, in defensione nostra contra haeticum antedictum plura diximus.

2. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.*

Locus insignis de pietate ac puro Dei cultu ad doctrinam fidei capeendam imprimis necessario. Hunc locum & haec verba in alia huius operis parte late tractauimus. Hic tamen propter insulas Caluini cauillationes pauca addemus. Nempe verbum illud Christi, *Si quis voluerit voluntatem eius (Dei Patris) facere*, miro artificio inuertit, & a vero ac genuino sensu longissime lectorem abducit. Quid sit voluntatem Dei facere, & hoc nihil aliud esse quam Dei mandata, quaeque ille vult & iubet opere prestare, contra alias Caluini corruptelas, iam in alio huius partis Euangelio ex diuinis Scripturis ostendimus. Et illo quidem in loco dicente Christo, *Qui facit voluntatem Patris mei, hic frater meus & soror & mater est*, in sola fide, quae sanctae obedi-

fons

fons est, & carnis defectus tegit, diuinæ voluntatis executionem ponit Caluinus. Alios quoque sensus corruptos eisdem verbis affingit ad cap. Matth. 5. & 7. vt in nostris Antidotis videbit lector. Haec enim verba *facere voluntatem Dei Patris*, nunquam in recto sensu accipere aut admittere voluit Caluinus: quando ei stetit semel sententia, voluntatem Dei, (faciendo quae ei placita erant) nullo modo facere, sed mandatorum Dei obseruatione desperata, in sola sua fide conuiuere. Sed hoc loco, *quia facere voluntatem Dei patris*, ponitur a Christo vt medium & via ad ipsam fidem consequendam, vetus illa cantilena, quod huiusmodi verbis fides commendatur, locum habere non potuit. Hic enim dicit CHRISTVS; *Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar*: id est, fidem doctrinae meae adhibebit, tanquam diuinæ, & non a me tanquam homine priuato, sine Dei mittentis mandato, & sine Dei suggerentis Spiritu adiuuentæ. Docet ergo Christus voluntatem & pium desiderium faciendæ voluntatis Dei, voluntatem inquam non otiosam, desidem, fluctuantem, sed firmam, alacrem & actiuam obsequendi Deo in omnibus mandatis eius, medium, & dispositionem esse egregiam ad fidem Christi verbis adhibendam. Quodenim dicitur, *cognoscet*, significat eum ad cognoscendum recte disponi, nec impedimentum habere cognoscendi. Voluntatem igitur hominis prauam, ira, odio, inuidia, superbia, aut prauis quibusque cupiditatibus obsessam graue impedimentum esse docet Christus, quo minus caelestem & diuinam esse Christi doctrinam cognoscat: sicut doctissimi olim Interpretes a Cyrillus & b Chrysostomus hoc loco annotarunt. Voluntas autem recta & diuinæ voluntati conformis medium & dispositio est accommodatissima, ad cognoscendam doctrinam Christi ex Deo esse, id est, ad certam & firmam fidem illi adhibendam. Cognoscere enim procedere accipitur; sicut in hoc Euang. alibi. *Haec est vita aeterna vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum*. Apertus & luculentus hic est Christi verborum sensus. Nunc vt ea corrumpat Caluinus videamus. Excipit hic Christus (ait Calu.) *rectum iudicium manere ex timore Dei & reuerentia: Ideo si animos habent ad timorem Dei compositos facile agnituros an verum sit necne quod praedicat*. Verum quidem est timorem Dei & reuerentiam illis necessariam esse qui de rebus diuinis recte iudicare voluit, & (quod postea di-

Caluino nu-
quam placuit
voluntatem
Dei facere.a Lib. 4. cap.
43 in Ioan.
b Hom. 48.
in Ioan.

Ioan. 15.

In com. in c. 7
Ioan.

c r (

Calvinus
verba Christi
corripit.

Supra fer. 4.
hebdom. 1.

cit) pietatē & studium obsequendi Deo: ideoq; si parati sumus in Dei obsequium, minimè illum nobis defuturum, quin Spiritus sui luce effulgeat, ut discernere liceat inter veritatem & mendacium: praefractus autem & indociles iustam suae hypocrisis poenam sustinere quoties illis illudit Satan. Hec sanè omnia vera & bona sunt, & animi demissionem atque humilitatem docent, ad diuina capeienda necessariam: De quo argumento in festo S. Marth. Apostoli in secunda huius operis parte multa deprompsimus. Sed verba Christi multo plus dicunt, & non solum reuerentiam quandam erga Deum, aut studium obsequendi Deo significant, quo quis videlicet paratus sit ea credere quæ Deus dicit, (de hoc enim solo obsequendi studio loquitur Calvinus, quum illud animo perfracto & indocili opponat) sed præterea studium ac voluntatem faciendi mandata Dei, id est, vitam ab omni crimine & affectu peccati puram, quod nec vno verbo attingit Calu. ne bonorum operum iustitiam aut sanctitatem hoc loco commendari lector aduerteret. Atqui studium aut voluntas faciendi voluntatem Dei Patris (sicut Christus hic loquitur) non est tantum studium obsequendi Deo, ut dociles simus verbi eius auditores, sed est præterea studium obsequendi Deo, ut obedientes & assidui simus legis aut factores. Lex enim Domini, voluntas eius: & factor legis Dei voluntatem Dei facit, ut supra ex Scripturis docuimus. In hoc ergo lectorem fallit Calvinus, Christi que verbis abutitur, quod quæ Christus de studio & voluntate faciendi mandata Dei dixit, ut simus legis factores, hoc ille de studio & voluntate obsequendi verbo Dei exponat, ut simus dociles eius auditores.

Porro Christum de illa voluntate faciendi voluntatem Dei loquutum fuisse, quæ ad legis Diuinæ executionem pertinet, verba statim subsequentiâ demonstrant. Volens enim ostendere Iudæos talem voluntatem non habuisse, ideoq; de doctrina eius cognoscere non potuisse, ait illis: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere?* Id est, minimè mirum est si tantum abest ut doctrinam meam ex Deo esse cognoscatis, ut etiam me interficere queratis, quum nemo vestrum legem seruet quam Deus per Moysen dedit, quum faciendi voluntatem Dei Patris qui hanc legem dedit, nulla in vobis voluntas, nulla cura sit. Sed si vera in vobis pietas esset, vera voluntas obsequendi Deo & custodiendi legem eius, nec

me

me villo odio prosequeremini, & meam doctrinam ex Deo esse facillè cognosceretis. Si quis enim Dei cultor est, & voluntatem eius facit (dixit ille cæcus à Christo tam animo quam corpore illuminatus) hunc Deus exaudit: eius cor suo Spiritu illuminat. In animam quippe maleuolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quum igitur doctrinam Christi ex Deo esse cognoscere Iudæi non poterant, nec potest quisquam absque fide, quæ Spiritus Sancti donum est, Spiritus autem S. hypocritas fugiat, & legis diuinæ transgressores (illi enim corpora habent subdita peccatis) inhabitare, (hoc est, sua luce & gratia donare) recuset; accommodatissimè Iudæos Christus ad mandatorum Dei piam ac sedulam obseruationem reuocauit, ut cognoscerent de doctrina eius quod ex Deo esset. Voluntas quippe faciendi voluntatem Dei, studiosa ac sedula est mandatorum Dei executio. Quum Christus diceret, *Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius*, nonne ardentissimum desiderium ac voluntatem suam expressit opere exequendi munus sibi iniunctum, docendi, prædicandi, operibus beneficis & admirandis homines ad fidem alliciendi? An timorem tantum ac reuerentiam vel animum docilem his verbis expressit Christus? Clarum & perspicuum est de illa Dei voluntate faciendi loquutum illum esse, quæ ad mandatorum quæ à Patre accepit executionem spectabant. Idem eum hoc loco sensisse dubitandum non est, ut & noster quoque cibus atque ardens desiderium sit, faciendi voluntatem Dei, & obsequendi mandatis eius, ut sic idonei simus ad cognoscendam & amplectendam doctrinam eius. A vero igitur sensu longè Lectorem suum abduxit Calvinus, ne obseruationis mandatorum Dei aliqua hic doctrina tradi videretur.

Calvinus vbi in genere Lectorem ita iudicasset, ad quædam facti species descendit, ut iudicet magis. Hinc (inquit) *apparet quam perperam & stultè hodie permulti, dum errandi periculum metunt, hac trepidatione sese impediunt ab omni discendi studio, quasi frustra dictum sit, Pulsate & aperietur vobis*. Arripit occasionem impostor, vbi nulla planè datur, ut tanquam verus seductor & studiosus ab auita & recepta multorum seculorum fide Christiana homines Christianos abducat, & ut post stabilitam an. 1500. doctrinam, post tot Marty. confessiones, post tot Concilia, tot Patres, tot Pasto-

L

res

Ioan. 9.

Sap. cap. 1.

Voluntas
obsequendi
mandatis
Dei est via
ad creden-
dum.

Ioan. 4.

Calvinus se-
ductor stu-
diosus.

res & Doctores, iterum adhuc quæramus, quid credendum sit: ut errandi periculum non metuamus, quia semper pulsandum, semper quærendum, nunquam in certa aliqua & firmata fide acquiescendum est. Si enim in vlla tandem fide acquiescendum, cur non post tot secula fidei Christianæ toto orbe propagatæ, cur non post tot Concilia, tot & tam illustres Ecclesiæ Doctores, tot Episcopos, tot Pastores? Aut si nunc de nouo quærendum & pulsandum est, authore Caluino, vbi iam cum eo ad tempus insaniuimus, an etiam eo sublato, adhuc cum alio nescio quo nouo hæresiarum insanire oportebit? Iterum pulsare & quærere debemus, quia frustra dictum non est, Pulsate & aperietur vobis? Ecce post Caluinum docent nunc in Polonia & Transilvania noui magistri, nec Christum esse verum Deum, nec in tribus personis vnum Deum esse adorandum, adeoque Trinitatis vocabulum esse explodendum. *An omni erroris metu abiecto*, (ut hic suadet Caluinus) iterum ab his magistris nouis discemus quæ sit rei veritas, quia frustra dictum non sit, Pulsate & aperietur vobis? Ad hoc omnis erroris præcipitium, ad hanc dementiam & furorem Caluini consilium nos impellit, ut quia Iudæis incubuit cognoscere de doctrina Christi, vtrum ex Deo esset, an à seipso loqueretur, nobis quoque perpetuò incumbat omnibus nouis magistris aurem præbere, & ab illis discere, vtrum eorum doctrina ex Deo sit, an à seipsis loquantur. Cæterum vnum nos Christum nouimus, non plures. *Ille vnus magister noster est*: alios non quærimus. Vnam legis translationem nouimus, vnum redemptorem, qui omnia instauraret, non frequentes translationes, non aliam vllam religionis instauracionem. Quam ille semel doctrinam tradidit, illam aliis postea docendâ concredidit, cum quibus vsque ad consummationem seculi omnibus diebus se affuturum promissit: Illam Ecclesiam condidit, contra quam porta inferi non prævalerent. Illos Pastores & Doctores dedit, qui sanctos eius consummarent, & corpus ædificarent, donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei. Denique illos ad docendum misit, quibus Spiritum S. daret, qui eos doceret omnem veritatem in æternum. Amplius igitur quærendi aut pulsandi, aut ab aliis quàm quos ipse ab exordio misit, quique iis ad nostra vsque tempora perpetuò successerunt, discendi locum non reliquit. Quum noui exurgunt magistri, qui præter acceptam à Pastoribus nostris fidem, nouam doctrinam adferunt, quos hæreticos, & lupos, & la-

trones,

Caluinianæ
doctrinæ
præcipitiū.Matth. 13.
Hebr. 7.
Ephes. 1.Matth. 28.
Matth. 16.Ephes. 4.
Ioan. 14.Quærenda
amplius no-
ua fides non
est.

trones, & falsos Prophetas: Scriptura vocat, didicimus à Christo non ab illis discere, nec ad eorum fores pulsare, (ut lupo ipse Caluin. hic hortatur) sed ab illis fugere, eorum voces non audire, ac neque illis Ave dicere. Postremò quomodo & quatenus in causa religionis quærendum nobis est, iam in alio huius partis Euangelio ex parte diximus.

Sed addit adhuc Caluinus quedam, quibus impium suum ac detestabile consilium lectori reddat probabile. Nos potius (inquit) si Deo toti in obsequium sumus addicti, Spiritum discretionis ab eo nobis datum iri non dubitemus, qui perpetuus sit dux ac director: Si alijs fluctuari libet, sentient tandem quàm vani sint ignorantia sua prætextus. Suadet seductor impius, ut adhuc pulsemus & quæramus, quid in nouis de fide controuersis (tales enim postea recenset de orando pro defunctis, & de purgatorio) sentiendum sit, quia in hac inquisitione Spiritum discretionis Deus nobis dabit. Atqui populus fidelis, quem hic alloquitur Caluinus, non Spiritum discretionis à Deo expectare, sed Spiritum obedientiæ & simplicitatis fidei à Deo precari debent. Spiritus discretionis, quo possint probari Spiritus an ex Deo sint, non penes totum populum; sed penes illos est, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam. Populi fidelis est, Præpositis suis obedire & subiacere, ut Paulus docet, ac diligentissimè cauere, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus illorum, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Dedit Christus Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, id est, ad corroborandos fideles, ne circumferantur omni vento doctrinæ. Illos ergo audire, illis adhærere, illis obedire debent, ut ab omni errore immunis ac liberi sint, non sibiipsis Spiritum discretionis venditare, aut illum à Deo expectare. Vox hæc Caluini, Pulsate & quærite intrepide, Spiritum enim discretionis dabit Deus, est illa diaboli vox: Mitte te deorsum: Angelis enim suis mandauit de te, ut non offendas ad lapidem pedem tuum. Mittit se deorsum, qui Catholicæ Ecclesiæ magistris quos Christus posuit derelictis, ad novos sectarios quos Satanas mittit, ab illis veritatem exploraturus transit. Quare quod adhuc subiungit Caluinus, diabolicæ tentationis peregrina confirmatio est. Certè (inquit) quicumque hodie hæsitant & dubitationem suam fovere malunt, quàm legendo vel audiendo seriò inquirere vbinam sit Dei veritas, eos in generalibus principijs securè Deum contemnere videmus. Dicit hic pro se mortuis precari,

Ioan. 10.

2. Epist. Ioan.
Fer. 2. hebd.

2. Quadrage.

Spiritus obe-
dientiæ, non
discretionis
populo fide-
li necessa-
rius.

Act. 20.

Hebr. 13.

2. Cor. 11.

Ephes. 4.

Caluin. vox
diaboli vox.
Matth. 4.

Caluin. ad
blasphemā-
dos sanctos
natus,

quia ingenio suo diffusus, quod de purgatorio commenti sunt per-
uersi homines, damnare non audeat. Ille negabit sibi tantum esse
acuminis, ut inter puram Christi doctrinam & adulterina homi-
num signenta distinguere possit. Interim & ille scortari, & hic
furari ac peierare non cessabit. Hæc Caluinus. Homo impius
ad blasphemandos sanctos natus, scortari omnes, fures ac
periuros esse debacchatur, quotquot in fide fundati, ac ra-
dicati, nouis doctrinæ ventis circumferri nolunt, nec ad cu-
iusuis hæretici strepitum commoueri, siue ille Lutherus sit,
siue illi ex diametro contrarius Caluinus, siue ab utroque
hostiliter dissentiens Rotmanus Anabaptistarum Pater, siue
hos omnes ex alto despiciens Gregorius Paulus Trinitatis op-
pugnator ter impius. Vult quippe Caluinus Epicureos om-
nes & omnium flagitiorum mancipia esse, scortatores, fu-
res, periuros, qui contenti antiqua maiorum suorum, to-
tiusq; Ecclesiæ Christianæ per tot secula continuata fide,
doctrina, religione, in nouas istas sectas inquirere nolunt,
nec ab oratione pro defunctis in Christo fidelibus cessare,
Securè Deum contemunt, Caluini iudicio, qui legendo vel au-
diendo serio non inquirunt ubinam sit Dei veritas. Quasi vide-
licet hodie primum Christus mundo innotesceret, quasi ho-
die Dei veritas pat fieri cœperit, quasi nulla hæctenus in
Christum fides, nulla veritatis doctrina, nulla religio Deo
grata, apud homines toto orbe Christianos, agnita aut cre-
dita fuerit. Atqui si scripturis credimus, non Caluino, ille
Deum securè cōtemnit, ille ut ethnicus ac publicanus quasi
Deum ignorans viuit, qui Ecclesiam non audit: Ille Christum
spernit, & pro ludibrio habet, qui Præpositos Ecclesiarum à
Christo datos spernit. Ille sermonem Christi non seruat, sed
despicit, qui sermonem eorum quos ille misit seruare negligit.
Quo constituto, nouis hæresiarchis aut hæresum magistris
(qui contra stabilitam in Ecclesia Dei fidem noua garrunt,
spargunt, obtrudunt) aurem qui præbet, qui an apud illos
sit Dei veritas inquirat, expressum Dei mandatum securè
contemnit, Ordinem à Christo institutum superbus violat,
certis & euidentibus Christi promissionibus incredulus con-
tradicit, Christi veritatem ac Dei providentiam in dubium
reuocat, fidem ac salutem suam certo discrimini exponit,
hæsitans in fide fidelis esse desinit, toti Christiandrum so-
cietati iniuriam facit, ouicula gregis Christi amplius non
est, ex hæc dis in sinistra collocandis est, reprobis & subtra-

Matth. 18.
Luc. 10.
Ioan. 15.

Caluiniani
præcipitij
exitus,

ctiois

ctiois filius in certam perditionem factus est. Hic Calui-
niani consilij finis & exitus est. Hoc ille venenum ex Chri-
sti verbis suxit: Qui voluerit facere voluntatem Dei, cognoscat
de doctrina vtrum ex Deo sit.

Feria 4. hebdom. 4. Quadra- gesima.

1. Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & lini-
nit luto oculos eius, & dixit ei: Vade laua in na-
tatoria Siloë, quod interpreta-
tur, missus.

Ioan. 9.



Oculus ostendendi contra hæreticos, non esse
absurdum, vel ridiculum, vel à diuina opera-
tione alienum, quod per varias cæremonias
externas in sacramentis & sacramentalibus
animarum nostrarum salutem Deus opera-
tur, quum hoc loco Christus, qui solo verbo aut etiam vo-
luntate cæcum sanare potuerat, ut aliàs fecit solo tactu ocu-
lorum, & leprosum solo verbo sanans, tot tamen & tam va-
rias externas cæremonias adhibuit. Non possunt in animum
suum inducere horum temporum hæretici Deum per crea-
turas quasdam, & materias sacramentales, aquam in baptil-
mo, oleum in Confirmationis & Vnctionis Sacramentis,
manuum presbyterij impositionem in ordine sacro, aliquos
effectus spirituales producere, aut aliquam gratiam confer-
re. Cauendum (ait Cal.) ne in errorem nos abducant, quæ ad am-
plificandam Sacramentum dignitatem paulo magnificentius à ve-
teribus scripta sunt: ut scilicet arbitremur latentem aliquam vir-
tutem Sacramentis adnexam affixamq; esse, quo ipsa per se Spiri-
tus S. gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere
propinatur. Hæc ille. Quare displicet illi, & magnificentius
quàm oportuit scriptum putat, quod scripsit Sanctus Augu-
stinus. Quæ tanta vis aquæ ut corpus tangat & cor abluat: &
quod alibi scriptum reliquit. Sacramentorum vis inenarrabi-
liter valet plurimum. Et rursus in eodem opere. Aqua & om-
nis illa actio corporalis, quæ agitur tum cum baptisamus, fit, &
transit: virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet, & do-
num spirituale æternum est. Displicet Caluino quod scripsit

Luc. 18.

Matth. 8.

Sacramenta-
les materiæ
instrumen-
ta gratiæ.

Instit. lib. 4.

cap. 17.

Calui. displi-
cet veterum
Patrum do-
ctrina de ef-
fectu Sacra-
mentorum.

Tract. 80. in
Ioan.

Contra Fau-
lib. 19. cap. 11.

& 17.

In cap. 3.

Luca.

Lib. 2. cap. 2.
de penit.

Lib. 2. ca. 42.
in Ioan.

In lib. de Resurrect. carn. cap. 8.

Instit. lib. 4.
ca. 14. nu. 14.

Creaturarū operatio nō abducit homines à Deo.

In comm. ad c. 9. Ioan.

Calvinus seipsum refutat.

Chrysostomus, eam virtutem ex Christi carne baptismum consecutum esse, ut eius aqua Christo pariat animas. Et quod scripsit Sanctus Ambrosius: *Impossibile videbatur ut aqua ablueret peccatum: sed hoc fecit Deus possibile: qui tantam nobis donavit gratiam.* Item quod scripsit Cyrillus Alexandrinus. *Quemadmodum viribus ignis intensus aqua calefacta non aliter urit quam ipse ignis, sic Spiritus Sancti operatione aqua qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.* Vbi pulchrè insinuat, aquam à Spiritu Sancto motam eandem habere potentiam quam ipse Spiritus Sanctus respectu animarum nostrarum. Denique quod vetustissimus Tertullianus de variis Sacramentis scribit. *Caro abluitur ut anima emaculetur, Caro ungitur ut anima consecretur, Caro signatur ut anima muniatur, Caro manuum impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.* Hæc tota veterum doctrina Caluino displicet, quasi magnificentius quam oportuit Sacramentorum dignitatem amplificans. At quoque eos qui iustitiae causas à Sacramentis ducunt, miseris hominum mentes hac superstitione iugare, ut in spectaculo rei corporeæ potius quam in Deo ipso acquiescant. Sic totam doctrinam de Sacramentorum efficacia in Ecclesia Dei (ut tot celeberrimorum & antiquissimorum Patrum testimoniis constat) receptissima, Caluino superstitiosa videtur, hominesq; à Deo ad creaturarum venerationem adducere. Atqui idem Calui. hoc tam illustri facto Christi admonitus, ubi tā variis adhibitis creaturis per eas maluit visum cæco dare, quam solo diuinæ suæ voluntatis verbo, advertere potuit huiusmodi creaturarum vsum, nec superstitionis causam esse, nec à Deo homines abducere, sed contra Dei potentiam maximè illustrare, & religionis incremento subseruire. Sic enim ad hunc locum scribit. *Neque in luto, neque in aqua Siloë quicquam ad sanandos oculos fuisse virtutis certum est. Sed Christus liberè externis istis symbolis sua miracula non semel ornauit, siue ut fideles assuefaceret ad signorum vsum, siue ut ostenderet suo arbitrio subesse omnia, siue ut testatum faceret tantum esse potētiam in singulis creaturis, quantum ipse dare velit.* Pulchrum & præclarum aduersus semetipsum testimonium dedit. Si enim in luto & aqua supernaturalem hanc virtutem vsum cæco à natiuitate conferendi collocare Christus voluit, ut suos fideles ad signorum vsum assuefaceret, certè in variis Sacramentis suis supernaturalem virtutem ponens, non superstitione aliqua eorum mentes alligat. Ad suos fideles ad signorū vsum,

haud

haud dubiè religiosum ac pium, assuefacit. Rursum si hoc suo facto ostendere Christus voluit, suo arbitrio subesse omnia, & testatum facere tantum esse potētiam in singulis creaturis quantum ipse dare velit, profectò doctrina Ecclesiæ tot Patrum testimoniis roborata de Sacramentorum Christi virtute & efficacia, nec magnificentius quam oportuit de Sacramētis loquitur, nec ad rei corporeæ spectaculū potius quam ad Deum adducit, sed Dei gloriam amplificat, Dei arbitrio omnia subesse ostendit, & creaturarum spectaculo nihil, sed Dei potētiam totum tribuit, testatum faciens tantum esse potētiam in creaturis quantum ipse dare velit. Voluit Deus, si vera narrat Paulus, per lauacrum regenerationis saluos nos facere. Credendum igitur illi lauacro vim regenerandi inesse, tantum scilicet potētiam quantum ipse dare voluit. Nempe sicut in hoc cæco sanando per lutum & aquam fecit Christus quantum facere voluit, & hoc lutum & aqua, quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate concurrebant, sicut in scribendo scriptoris manus cum calamo concurrunt, sic in omnibus Sacramentis per illas creaturas, quas per earum materia assumere Christus voluit, facit in illis quantum facere vult, tantum illis potētiam inesse testatur, quantum dare voluit, & creaturæ illæ, aquæ olei, & cæterarum rerum sacramentalium, quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate ad effectus gratiæ cuique sacramento proprios concurrunt. Sic in multis aliis operibus miraculosis facere Christus voluit, ut hac frequenti creaturarum cooperatione ad sacramentorum suorum vim intelligendam nos quasi manu duceret, & ut Calvinus dixit, ad signorum vsum fideles assuefaceret, Sic per simbriam & per corpus & per Deitatem Christi mulier illa hemorroissa sanitatem consecuta est. Nam ad tactum simbriæ, quæ erat instrumentalis causa separata, exiit virtus de Christi corpore, ut instrumento coniuncto, sed de diuinitate ut principali ac propria causa. Sic in ciuitate. Nam unicuique matris filium verbo oris sui resuscitauit. Si digitis & spūto loquelam & auditum reddidit dæmoniaco. Sic Archisynagogæ filiam & manus contactu & verbo ad vitam reuocauit. In quibus omnibus & rebus sacramentalibus, illud obseruare oportet, quod sicuti per se mota vel ab alia quapiam creatura agitata, nullum supernaturalem effectum producere possunt, sic tam illæ, quam aliæ quæcunque creaturæ à Deo aut Christo motæ quemlibet

Tit. 2.

Luc. 8.

Luc. 7.
Matth. 9.
Marc. 7.

L 4

effectum

Creaturæ à
Deo moræ
effectus etiã
naturæ suæ
contrarios
producent.

4. Reg. 5.
Esaï. 38.

effectum operari possunt, quem per illas operari Deus velit: idque adeo ut effectus naturali operationi suæ contrarios, Deo illas applicate producant. Nam & in loco cæco sanando lutum visui conferendo maximè ex natura sua ineptum erat, sicut alias aqua lepræ sanandæ (qua tamen ablutus Naaman Syrus à lepra liberatus est) & massa ficorum ulceri sanando (quas Ezechias Rex per Prophetam Dei sanitatem recuperavit) proxus ex sese suaque vi non ineptant, sed & aduersa erant. Hæc igitur explicatio ad omnium hodie hæreticorum incredulitatem conuincendam sufficit, qua pertinaciter negant, ex Sacramentorum Christi perceptione vllam fidelibus spiritualem gratiam conferri: eaque ad nihil aliud instituta esse dementissimè asserunt, quam vel testificationem quandam gratiæ conferendæ, ut Lutheranis placet, vel ad oblationem gratiæ iam dudum collatæ, ut Caluino libuit, vel ad solam fidem roborandam & confirmandam, ut ferè omnes volunt. De quibus alio in loco diximus.

2. *Iterum ergo interrogabant eum Pharisei,
quomodo vidisset.*

Locus obseruandî impiorum hominum manifestæ veritati recalcitrantium pertinaciam & obstinationem. Iam prius dixerat restitutus cæcus Phariseis, quomodo visum recepisset & clarissimis verbis dixerat. *Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad natatoriam Siloë, & lava. Et abij & laui, & vidi.* Quid magis clarè, distinctè aut perspicuè dici potuit: Et tamen iterum interrogant quomodo vidisset. Sed & postea vocant parentes cæci restituti, & interrogauerunt eos, an eorum filius esset, an cæcus natus, & quomodo nunc videat: Deinde nec his contenti: *Vocauerunt rursus hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam Deo.* Qui quum adhuc in veritate persisteret, quod olim cæcus nunc videat, iterum dixerunt ei: *Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?* Homines pertinaces & ad meridianam lucem caligantes, quod verum esse volebant, odio & inuidia contra Christum in transuersum acti, hoc videre, hoc intelligere, hoc credere noluerunt. Similis est omnium hæreticorum, sed hodie maximè contra Evangelicam & orthodoxam veritatem furor, odium, pertina-

c: a

cia. Friuolas eorum putidæque calumnias, quibus centies responsum est, subinde tamen perfricta fonte ingerere non desinunt. Quid ergo nobis agendum? Nempe quum locus datur, quantum in nobis est refellenda est eorum improbitas, qui falsa inuidia Ecclesiam Catholicam grauant & infamant. Si nulla quantumvis iusta defensio os illis obturet, non est quod fatiscamus: sed magno & intrepido animo obstinata hæc maledicendi libido, qua veritatem orthodoxam opprimere volunt, calcanda est. Axiomata sumunt, que libenter illis concedimus, sub Antichristi iugo non esse seruendum, idola esse fugienda, mortuos non esse colendos, vnum mediatorem Christum esse: ab eo nos gratis iustificari, verbum Dei audiendum esse non hominum commenta. Sed quod præcipuè discutiendum erat, & quod dilucidè mille locis exposuimus, dissimulanter prætereunt, Romanum Pontificem Petri successorem non Antiehrstum, sed Christi Vicarium esse, cui tota semper Antiquitas, totaque Christianorum societas, in quæstione fidei, & Ecclesiæ gubernatione primatum detulit, idque iuxta manifestissimas D. Petri prærogativas in Euangelio comprehensas, cuius ille Sedem tenet: Sanctorum imagines cum idolis nihil habere commune Sanctos in cælo regnantes, mortuos vocari non debere, quum Deus non mortuorum, sed viuentium Deus sit: eorum cultum diuinis Scripturis non refragari Christum quidem vnum esse mediatorem quoad redemptionem, & qui per se ipsum, qui immediatè, qui virtute sua, qui plenariè, & ex iustitiæ rigore Patrem interpellet, pro nobis: Sanctos autem sic mediatores nostros esse, ut nec per se, sed per Christum, nec virtute sua excitando Christum, sed virtute donorum Christi, non immediatè & proximè, sed mediante Christo capite, cuius membra sunt, non plenariè, sed ex parte, & certa proportione, qualis inferiori membro competit ratione capitis, nec denique ex rigore iustitiæ absolutæ, sed ex diuina misericordia intercedant pro nobis. A Christo quoque nos gratis iustificari, quia ad primam iustificationem nostram, qua ex impio fit iustus, seu ad remissionem peccatorum nulla ex parte nostra causa concurrat vel meritoria, vel efficiens, tamen ad subiecti dispositionem varia requiri Scripturæ doceant, imprimis ipsam fidem, & totam pœnitentiæ virtutem: aliud verò esse iustificari impium, aliud coronari vita æterna iustum, quæ corona sic ex misericordia & miserationibus Domini est, ut

Hæreticorū
axiomata in
vanum iac-
tata.

L 5 tamen

tamen iustitiæ quoque corona sit, *quam reddet in illa die iustus iudex*. Denique verbum Dei audiendum esse, sed ex ore Ecclesiæ non ex ore diaboli, ex ore eorum, quos Christus ad docendum misit, non ex ore eorum, quos ministros Satana Paulus vocat, & hæretici sunt: quæ autem Ecclesia, vel Ecclesiarum Præpositi & Pastores nos docent, non esse mandata hominum, sed mandata Dei: quia qui illos audit, Christum audit, & qui illos spernit, Christum spernit. Hæc toties actâ solidè à Catholicis scriptoribus explicata, & maximè in plenario Cōcilio Tridétino cū aliis permultis definita huiusmodi sunt, vt furiosa hæreticorum petulãtia nūquã effectura sit, quin semper præualeat Catholicæ Ecclesiæ veritas Evangelica. Pharisei quoque contra Christum hoc loco plausibile axioma sumebant. *Non esse à Deo, qui sabbatum nõ seruabat*: sed iniquè hoc falsò opus Dei in sanando cæco iactabant esse sabbati violationem. Talia sunt contra fidem orthodoxam hæreticorum hodie axiomata plausibilia, sub quibus veluti vestimētis ouium isti lupi rapaces sese obtegunt. Sed hæc eorum vestimenta in alia huius operis parte conuulsimus & laruas detraximus. Nunc de horum hominum, pertinacia tantum agimus, qui toties ac tam solidè à nobis refutati, interrogat semper, sicut hinc Pharisei, quomodo sunt vera, quæ in Papatu à maioribus accepta sunt, quomodo veteres illi talia & talia docere potuerunt?

Conqueritur hoc loco Calvinus (cuius querelam contra veritatem nos cōtra hæreticam prauitatem imitati sumus) *Axioma nostrum esse, non audiendos esse qui ab Ecclesia discessionem faciunt, & abrumpunt fidei unitatem. Hoc illis (inquit) libenter concedimus. Sed quod præcipuè discutiendum erat, & quod dilucidè mille locis exposuimus, dissimulanter prætereunt. Papa cum sua caterua nihil minus quàm Ecclesiam esse. Atqui à multis Catholicis scriptoribus, tum adhuc viuente Caluino, tum postea luculentissimè demonstratum est, solam verã Christi Ecclesiam illam esse, solam Catholicam & Apostolicã, quæ Romano Põtifici vt Capiti eius vicario his multis seculis adhæsit, hodieque adhæret. Quod vnum atque argumentum vt maximi pōderis, & de quo tamen minimè dubitandum fuit, nos quoque pro nostro modulo ante annos quindecim tractauimus, quibus nullus adhuc Calvinista, quod sciam, vel verbum respondit. Sed hæc est, vt dixi, hæreticorum pertinacia, semper interrogare, semper querere, semper altercari, semper dissiere, & nunquam ad scientiam veritatis peruenire.*

Sed

Domi. 7. post
Pentec.In Com. ad c.
9. Ioan.In opere de
Princip. fid.
lib. 4.

Sed sarius forte erit aliqua in particulari huius eorum incredibilis pertinaciæ exēpla in mediū adferre. Proponam igitur hoc loco quanto breuius potero, quæ & quanta ab origine schismatis moderni, tum Lutheri, tum Caluini, quæ duæ faces orbem Christianum maxime incenderunt, incredibilis pertinacia, & contra apertam veritatem infatigabilis altercatio, quæ ad summum tãdem non totius tantum Ecclesiæ, sed ipsius Christi ac Dei contemptum progressa est.

Quum contra Ecclesiam Catholicam latrare primum Lutherus cœpit, ad eius rabiem compescendam, quot mediâ tentata, quot viæ calcata & trita, sed frustra & inaniter fuerunt? A doctis viris cum eo publicè disputatur, Lipsiæ, VVitembergæ, VVormatiæ sedes Apostolica articulos eius 41. publico decreto damnauit. Ad comitia Imperialia Augustæ Vindelicorum euocatus, omnibus melioribus rationibus vt resipiscat inducitur Academiæ in Germania Heidelbergensis, Moguntina & Coloniensis, in Belgio Louaniensis, in Gallia Parisiensis, nouam hominis demētiam editis articulis patefecerunt. Omnium gentium docti viri scriptis libris errores eius fœdissimos eruditè cōfutarunt. In ipsa Germania Eckius, Pighius, Coclaus, Groperus. In Belgio Latomus, Driedo, Tapperus. In Hispania Soto & Alphonsus. In Gallia Ioannes Faber & alij. In Italia Sadoletus & Contarenus. In Anglia Ioannes Roffensis, & Thomas Morus. Sed superbi hominis insolentia his omnibus officijs magis intumuit, & creuit pertinacia.

Quæ adhuc eius & sectatorum ipsius pertinacia vt qualis ac quanta fuerit, clarius populo aperiatur, eam paucis explicabo. In exordio schismatis & apostasiæ suæ Lutherus solos Scholasticos doctores reiiciebat, atque vnicum Concilium Constantiense, vt apparet tum ex propositionibus suis ad disputandum propositis, quæ in primo tomo operum eius leguntur, tum ex colloquio VVormatiensi anno 1523. habito. Prouocauit enim ibi à Scholasticis doctoribus ab Ecclesiasticis Patres, & decretales Romanorum Pontificum. Atqui nõ lōgè post quum ipsos Ecclesiasticos, Patres & Decretales Põtificum nõ minus elare & abudè quem Scholasticos cōtra se facere animaduerteteret, illos quoque cū decretalibus prorsus repudiauit. Nã post emanatum Sedis Apostolicæ decretum, in præfatione ad assertiones suas apud Roffensē disertè protestatur, *Se nullius Sancti Patris autoritate cogi velle, nisi quatenus iudicio diuina Scriptura fuerit probata.*

Decretales

Hæreticorum
pertinacia in
particulari
describitur.Lutheri fa-
lus quot mo-
dis quæsit.Lutheri pro-
gressus quo
semper in-
peius profici-
ebat.

Lib. 4. cap. 9.
num. 8.

In prafat. in
nouum test. &
in prafat. in
epist. Iacobi in
nouo testam.
Germa.
Vide Gefnerū
in bibliothec.
fol. 504.

Decretales verò, & vniuersum ius Canonicum homo furio-
sus publicè fecit concremari, idque vt dicebat, *cum furore,*
tanquam impios & Christo aduersarios. Nempe si Lutherus
Christus est. Non enim Christo, sed Luthero aliisque hære-
ticis Ecclesiæ canones aduersantur. Huius exemplum alij
sequuti, non solum Constantiense, sed & omnia alia Conci-
lia, solis primis quatuor, Niceno I. Constantinopolitano I.
Ephesino & Chalcedonensi exceptis (quod fecit Calvinus
in sua Institutione, & priora Anglicani schismatis comitia)
in dogmatum iudicio prorsus repudiarunt. Neque verò in
hac moderatione vtunque tenuissima diu perstiterunt: sed
paulo post ipsa quoque cum aliis valedicere iusserunt, &
certos errores in Concilio Niceno primo, & in Chalcedo-
nensi taxârunt: ideoque nullis iam Conciliis certam fidem
adhibendam, sed solis Scripturis inuitendum esse censue-
runt. Quin & ipsas Scripturas quum aliquam eorum partem
clariorem esse contra se viderent, quam vt vlllo fucò dissi-
mulari veritas posset, potius negare & tollere, quam de suo
dogmate quicquam immutare voluerunt. Hinc enim epi-
stolam diui Iacobi *stramineam esse, & nihil Apostolico Spiritu*
dignum habere pronunciauit Lutherus, quia solius fidei ina-
nem sine operibus iactantiam nimis apertè asseruit. Macha-
bæorum quoque libros, quia orationes pro defunctis nimis
clare docent, expungit, Epistolam quoque ad Hebræos,
quia pœnitentiam acius commendat, durum nondum ha-
bere, & Pauli Apost. non esse affirmat. Neque verò etiam hic
horum hominum pertinacia subsistit. Alia enim Lutheri so-
boles & secta itam suis hæresibus defendendis pertinax est,
vt ne in aduersum Scripturis corrigantur, omnibus etiam
Scripturis valedicant: ex folijs enthusiastis & afflatibus im-
mediatis (id est, ex solo suo malè sano cerebro) omnem re-
ligionem petentes. Tales erant Suenckfeldiani, vel, vt Lu-
therus eos vocauit, cælestes Prophetæ, &, vt Calvinus eos
nuncupat, vertiginosi, suntq; hodie in Anglia qui & Super-
illuminati dicuntur: fecit ergo Lutheri & suorum hodie per-
tinacia, vt primùm Scholasticos, post etiam Ecclesiasticos
doctores seu Patres, mox & decretales omnes Rom. Ponti-
ficum, deinde Concilia, primò vnum aut alterum, post om-
nia posteriora (quatuor primis exceptis) mox verò & ipsa
quatuor prima: tandem & Scripturarum certas partes: post-
remò vniuersam Scripturam contemnere potius, & à iu-
dicio dogmatum remouere, quam à concepta semel opi-

nione

nione vel latum vnguem recedere voluerint.

In alio adhuc exemplo similem pertinaciam ostendam.
Hæretici hodie & increduli fratres, ne suas aliquando hæ-
reses excuterent & resipiscerent, singulari Satanae consilio
Ecclesiæ vocem contemnendam, ideoque Ecclesiæ Chri-
stianæ errorem & lapsum atque interitum, necessariò sibi
ponendum iudicârunt. Sed in hoc Ecclesiæ errore consti-
tuendo quanta vsi sint pertinacia, operæ precium est aduer-
tere. Lutherus primò à tēpore tantum Constantiensis Con-
cilij, q̄ paulò amplius quàm centū annis eū præcessit, Eccle-
siâ defecisse, in Comitibus VVormatiensibus anno 1522. cōfes-
sus est. Sed postmodū anno 1551. Authores repetitionis Cō-
fessionis Augustanæ à trecentis annis errasse à vera fide Ec-
clesiâ volunt. Quâquam Lutherus ipse in posterioribus suis
scriptis, se ipso sepe peior factus, vel vt cū Apostolo loquar,
proficiens in peius, totos ferè sexcentos annos huic defectioni
tribuit, vt videlicet post annū salutis millesimū cœperit ista
quâ supponunt Ecclesiæ eclypsis. Et in hac quidē sententia
initio huius schismatis aliquot annis perduratū est, quia in-
fra hæc secula & Scholastici scripserūt, & multa Cōcilia col-
lecta fuerunt, & pleræque huius temporis hæreses contra
Berengarium, Albigenes, VValdenses, VVicleffi, aliosque
huius farinae sectarios condemnatae leguntur. Carterum
quum & superiora secula non minus apertè ipsis aduersari
cemerent, non (quod oportuit) veteri Ecclesiæ acquiescere,
sed suam semper sententiam pertinaciter tueri voluerunt.
Quare Lutherus ipse in nouissimis suis libellis, vt in Capti-
uitate Babylonica, & in suppuratione mundi, Calvinus quo-
que passim in Prophetas minores, & in epistola ad Sadole-
tum, Melanchthon etiam in locis communibus primis editis,
bene mille annis errasse Ecclesiam, & primos tantum
quingentos, aut ad summum sexcentos annos veritati con-
cedunt. Hæreticorum hodie hac de re varias sententias alio
in loco produximus. Sed nec hæc sententia hominibus in
sua hæresi pertinacibus diu placere potuit. Quum enim pri-
morum seculorum Patres suis quoque dogmatibus aduer-
sari viderent, rem hæc magis coarctandam putarunt: paula-
tim tamē & pederentim, sicut nemo repente fit turpissimus.
Melanchthon igitur in locis communibus posterius editis,
rem tentandam ratus, solos trecentos post Christum annos
puræ doctrinæ tribuit, illud videlicet tempus, quod Con-
stantinum I. Imperatorem Christianum, qui palam id pro-

fiteretur,

Pertinaciæ
hæreticorum
hodie aliud
exemplum.

1.
Ecclesiæ de-
fectio quam
variè à Pro-
testantibus
asseritur.

2.
Libr. Contra
Papatū to. 7.
3.

4.

De Princip.
sid. lib. 3. ca. 4.

5.

6. fiteretur, præcessit, & sub cruce perpetuò fuit: ideòque non ita clara fidei nostræ testimonia verisimiliter proferre potuit. At enim quum & hi trecenti anni per ora vetustissimorum Patrum Dionysij Areopagitæ, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Clementis Alexandrini, Arnobij, & aliorum præsentis hæreses damnarent, & orthodoxæ fidei illustra testimonia perhiberent, non puduit tandem vniuersam Ecclesiam, & omnes ætates ab ipsa Apostolorum prædicatione erroris, ignorantix, impietatis & blasphemix arguere & condemnare. Quare Lutherus in postrema sua ætate libellum de seruo arbitrio scribens ait, *Patres tot seculorum planè omnes cecutire, imperitissimos fuisse sacrarum literarum, de libero arbitrio animo peregrinante scripsisse, denique tota vita errantes nisi ante mortem reducti fuerint, neque sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinere.* Hæc ille. Hunc sequutus Melanchthon in epistolam priorem ad Corinth. ait, *Statim initio Ecclesia scriptores veteres obscurasse doctrinam de iustitia fidei, &c.* Caluinus verò plurimis in locis, & in plerisque hodie contro- uersis vetustissimæ Ecclesiæ iudicium perfricta fronte penitus reiicit. Loca ipsa ex eo collecta in aliis nostris opusculis videri poterunt. Vnicum hîc subiungam. In quæstione de oratione pro defunctis, Institut. suæ lib. 3. cap. 5. num. 10. *Cum (inquit) mihi obijciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vsu hoc receptum fuisse, respondeo veteres illos hac in re & mandato Dei, & legitimo exemplo destitutos fuisse, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitia dederunt.* Hæc ille, iam aperte & audacter impius. Sic sanè & Magdeburgenses à secunda Centuria, id est, ab ætate Apostolis proxima *Inclinationem doctrinæ* quam vocant, id est, errores Ecclesiæ distincto capite annotare ac recensere incipiunt. Huius farinæ est Puritanorum hodie secta in Anglia, vel potius totus illic Anglocaluinismus. Quid verò, quod Theodorus Beza Caluini Geneuæ successor, vt aliquid supra magistrum sapere videretur, etiam sub ipso D. Pauli tempore Antichristum venisse, de quo ad Thestalonicensès scribit, id est, Ecclesiam à veritate defecisse (nam in Ecclesia sedere hunc Antichristum volunt) prorsus iudicat?

Caluini supra perti-
nacia.

In Cap. 3.

De Princ. fid.
l. 3. c. 4. & in
orat. quodli-
bet. Protestã-
tes non esse
Reformato-
res.

In explicat.
methed. in
2. Thessal. 2.

reiicit,

reiicit, & suo examini subiicit (vt mox dicemus) verum & ipsos quoque Apostolos in ordinem cogit. Non enim eos permittit aliquid de fide docere aut tradere, nisi quod prius Christus Dominus viua voce eos docuerit. *Nempe (inquit) si Apostoli sunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, sed mandata eius, à quo missi sunt, bona fide perferant.* An huic pertinaciæ aliquid addi potuit? Nunc enim si fortè vel in Actis, vel in Epistolis Apostolicis aliquid Caluino displicet, reiiciendi id totum potestatem habet, nisi in vno ex quatuor Euangelistis idem Christum viua voce docuisse, demonstrari possit. Et tamen ab hac pertinacia ad maiorem adhuc transfiliuit. Nam & ipsum quoque Spiritum S. non alia permittit in Ecclesia docere, quam quæ Christus ipse viua voce docuerat: & hoc idcirco, ne Ecclesia circa ea quæ in Euangelio scripta non sunt, à Spiritu Sancto edocta credatur. Ait enim. *Ulla restrictio attentè notanda est, vbi partes Spiritus Sancto assignat Christus, suggerere quacunque ante ore docuit.* Vult nempe vt suggerat tantum Spiritus Sanctus quæ Christus ore docuit, non vt ipse aliquid nouum doceat, reuelet, suggerat. Postremò vt huius nefarij hæretici pertinacia prorsus inuicta fuisset intelligatur, hac tanta blasphemia nõ cõtentus, adhuc vltèrius progressus est. Dico vltèrius, etsi supra Spiritum Sanctum, qui Deus est, nihil sit, quia ad magis adhuc manifestam pertinaciã processit. Quum enim totus iste neglectus & cõtemp- tus Doctorum, Patrum, Conciliorum, Apostolorum, ac demum ipsa S. Spiritus restrictio propter vnus Christi Saluatoris reuerentiam eius animo infedisse videatur, vt videlicet Christi Domini Euangelicam cælestemq; doctrinam eius diuina voce traditam extolleret, & pro fidei nostræ regula amplectendam doceret, tamè ea fuit eius pertinacia, vt ne Christum ipsum, verbaq; Christi apertissima reuereri voluerit, vbi eius hæresibus illa aduersari videret. Disputans enim contra Lutheranos virgètes verba Christi manifestissima & valde categorica, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur:* vt tropum Caluini excludant, mox homo pertinacissimus in hæc verba erupit. *Vt cunque verborum Christi reuerentia tangi se quiritetur, quo minus figuratè intelligere ausint, quæ apertè sunt dicta, nõ est tamen hic satis iustus pretextus, cur omnes quas contra obijcimus rationes ita respiciant.* Hæc ille. Nempe vt de Patribus, Episcopis, Conciliis, alio loco dixerat, *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impedire debent, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, & verbo Domini*

Instit. lib. 4.
cap. 8. num. 4.

Caluinus
Apostolos
in ordinem
cogit.

Instit. lib. 4.
cap. 8. num. 8.

Caluinus
Spiritus S.
potestatem
restringit.

Instit. lib. 4.
ca. 17. nu. 20.

Instit. lib. 4. c.
9. nu. 12. & 9.

exami-

Calvinus
Christi ver-
ba suis ratio-
nibus subii-
cit.

examinemus, ita prorsus nunc nec ipsa Christi verba eum impediunt, quo minus illa ad suarum rationum momenta exigat, & suis rationibus, suoque examini subiiciat. Vult enim contra *Christi verba utcumque aperte dicta, suas quas contra obijcit, rationes audiri*. Non vult *reuerentiam verborum Christi satis iustum esse pretextum, cur rationes ab ipso prolata respiciantur*. Vult ergo ipsa Christi verba suis rationibus subiicere, ad sui examinis regulam exigere, nec Christi verborum autoritate, sed suorum argumentorum pondere homines moueri. Huic opinor pertinaciae nihil vnquam addi poterit. *Ita impius quum in profundum malorum venerit, contemnit*. Ita non minus impia pertinacia inuicta est, & nescit cedere veritati, quam fortis veritas inuicta est, & nescit cedere falsitati.

Neque verò solus Calvinus ad extremam hanc & supremam pertinaciam excreuerat. Discipuli eius & sectatores in eundem impietatis & pertinaciae gurgitem sese quoque praecipitare & irruere voluerunt. Potius enim ipsis Euangelistis & Apostolis fidem detrahere, potius Euangelium & epistolas Apostolicas in dubium vocare, quam à suis conceptis opinionibus vel latum vnguem recedere volunt. Vtriusque exemplum ponam. Inter Anglocaluinistas & Puritanos in Anglia magna controuersia est circa politiam Ecclesiasticam. Anglocaluinistae non ministros tantum atque Pastores, sed Episcopos & Archiepiscopos habent, & distinctos hos in Ecclesia gradus esse atque esse debere sustinent. Puritani negant, & nihil à ministro seu Pastore, seu Presbytero Episcopum differre cum Caluino asserunt. In hac concertatione quum scriptis libris pugnarent, & Ioannes quidem VWhitgift Anglocaluinista discrimen praedictum ex D. Hieronymo, atque adeo ex D. Marco doceret, Thomas Carteronitus Puritanus in sua contra illum Replica his vtitur verbis ex Anglico idiomate in Latinum traductis. *Vtcunque sit, certum est D. Marcum inter Episcopum & presbyterum non distinxisse (quod tamen de eo referre videtur Hieron. in epist. ad Euag.) nec inter ea diuersitatem posuisse, quae Spiritus S. pro eodem haberi voluit. Alioqui (quod absit) Euangelica historia, quam scripsit, suspecta quoque nobis reddetur*. Haec ille. Vides hunc Puritanum malle potius de S. Marci Euangelio dubitare, illudque suspectum habere, quam discrimen illud in Ecclesia, & tota Antiquitate receptissimum, de Episcopo & presbytero à S. Marco traditum

In repli. con-
resson. Ioan.
VWhitgift, pa.
82. sect. 4.

Puritanorū
in Anglia
pertinacia.

agno-

agnoscere. Theodorus Beza similiter contra traditiones non scriptas pertinaciter pugnans, his verbis vtitur. *Si vniuersam salutis doctrinam Apostoli integram quidem voce annuntiarunt, sed editis libris aliqua tantum ex parte explicarunt, quis tandem merito in eorum doctrina acquiescet?* Vides ut velit potius doctrinae Apostolicae autoritatem conuellere, quam aliquid ab ipsis ad salutem necessarium sine scripto traditum fuisse, in animum suum inducere. Haec est haereticorum hodie inuicta pertinacia. Nisi videant ipsi, tangant ac palpent, nihil credere volunt. Nec Patres, nec Pontifices, nec Concilia audiunt, nisi ipsi rem ita se habere suo proprio iudicio videant, suo digito tangant, suis manibus palpent: sicut in Euangelio Thomas Christum à mortuis surrexisse, nec mulieribus, nec discipulis, nec coapostolis suis omnibus, qui eum rediuiuum se vidisse affirmabant, credere voluit, nisi ipse quoque videret fixuram clauorum, tangeret loca clauorum, & palparet manibus latus lancea percussum. Sic enim Calvinus scripsit. *Nulla Conciliorum, Episcoporum, Pastorum nomina impedire nos debent, quo minus omnes omnium spiritus ad regulam verbi Dei exigamus*. Non dicit ut exigantur (quod aliquo sensu verum esse potest) sed, *ut exigamus*, id est, ut suo quisque iudicio exigat, & ipsemet imprimis. Vnde sic eodem in loco addit: *Chalcedonenses & Ephesinos patres in iudicando sequimur, ut verbum Dei, quod illis praeluxit, nobis quoque praeluceat*: id est, quando illud nobis ex Scriptura rectè colligi apparet, quod illis apparuerat. Si ergo Conciliorum disputatio vel collectio ex Scriptura Caluino displicet, & ipsius proprio iudicio non sapit, nulla Conciliis adhibebitur fides. Hoc videlicet est: *Nisi videro, non credam*. Sic doctrinam Catholicam de Transsubstantiatione in Venerabili Eucharistiae Sacramento reicit, quia *nullus (inquit) in terris oculis huius mutationis testis est*. Hoc est rursum, *Nisi videro, non credam*. Sic denique omnes hodie haeretici Ecclesiam se audire, eiusque voci ac doctrinae se credere aiunt, si ex verbo Dei probat, quod docet. *Nos (inquit Calvinus) verbo Dei annexam esse Ecclesiam volumus, nec ab eo separari posse*. Tunc autem est verbo annexa, & tunc ex verbo Dei probat quod docet, quando ipsis ita probare videtur. Hoc est iterum, *Nisi videro, non credam*. Sic suis cuique animus auctor est, quid, quaque in re ad fidem pertinente probet aut improbet. Atque haec de nostrorum hodie haereticorum incredula pertinacia & pertinaci incredulitate, nec incommode, nec infru-

In Confess.
fidei c. 5. nu.
17. pag. 176.
Theodori
Bezæ perti-
nacia.

Ioan. 21.

Instit. lib. 4.
cap. 9. nu. 9.

Num. 12.

Calvinus
nisi viderit
non credit.
Instit. lib. 4.
cap. 17. nu. 15.

Instit. lib. 4.
cap. 8. nu. 13.

M

ctuosè

ctuose hoc loco tractari, & fidei populo aperiri atque exponi poterunt.

Veterum hæreticorum alia exépla.

In vita S. Dominici lib. 7. cap. 9.

Veterum quoque hæreticorum vnum aut alterum exemplum subiiciam, vt quam sit hic proprius Hæreticorum morbus, quo ferè omnes laborant, atque vnde adeo proprie sunt hæretici, & sine quo hæretici non essent, omnes intelligat. S. Dominicus, qui ad conuertendos hæreticos operam & laborem, & studia sua potissimum impendit, quaedam fidei documenta & argumenta scripserat in chartula, eamque hæretico cuidam tradiderat, vt de obiectis deliberaret. Ea nocte hæretico isto cum suis sodalibus ad ignem confidentibus, & chartula prolata, vt in commune deliberarent, ad veritatis probationem, qualem ipsi expetebant, chartulam in ignem coniiciunt. Generatio enim incredula signa petebat & prodigia: Deo tamen illis miserante, proiecta in ignem chartula post aliquantam moram nihil læsa profiliit. Nihil istud magis eos mouit, quam Christi signa & opera Iudæos mouerunt. Vnus enim ceteris obstinatio, mittatur (inquit) in ignem secundo, & patebit veritas, Obtemperatum est illi; sed iterum charta resiliit. Stupentibus aliis, obduratus ille hæreticus idem tertio vult fieri: sed tertio factum nihil chartulæ offecit. Tanto autem, & toties repetito miraculo conspecto, non sunt compuncti, sed contra sese inuicem iuramento obstringunt, ne factum hoc Catholicis vllus indicet. Attamen miles quidam qui facto interfuit, & ad fidem Catholicam recipiendam flecti cepit, rem totam Catholicis patefecit. Istorum quoque vox erat, *nisi videro, non credam*: nec tamen videntes credunt. Aliud exemplum accipe. Defuncto diuino Saba multorum monasteriorum Patre, & hæreticorum insigni antagonista, vt qui ipsi imperatori Anastasio tam per litteras, quam presens restitit, hæretici Severiani securibus & dolabris, aliisque instrumentis ad diruendum aptis, maximam Sabæ lauram, id est, primarium eius monasterium aggressi sunt, vt vel eam funditus euerterent, vel sua peste corrumpere. Illi autem tenebris & profunda caligine diuinitus percussi, quam tota die ac nocte circa locum ambulassent, eum inuenire non potuerunt: sed proxima luce in alio quodam monasterio longè remotissimo se esse conspexerunt. Hoc tamen tanto & tam euidenti miraculo nihil illi penitus permoti fuere, sed in suis hæresibus propagandis, & in illud monasterium capitale quoquo modo inferendis, nihilomi-

In vita eius apud Surium to. 6. p. 794.

nus

nus pertinaciter perrexerunt. Hæc ibi. Adeo res difficilis est conceptas semel opiniones, & altius animo impressas deponere. Huius pertinaciæ superbia sola radix, & causa est. Illa hæreses gignit & natas fouet. Exempla vide in prima parte huius Operis. Quibus adde quod de Perro Abailhar-do scribit D. Bernardus. Dicebat ille hæreticus. *Omnes Doctores nostri post Apostolos in hoc conueniunt: sed nobis aliud videtur*: cui sic vir sanctus respondet. *Quid in his verbis intolerabilius iudicem? Blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iustus os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in se prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes, inquit, sic: sed non ego sic. Quid ego tu? Quid melius afferis? Quid subtilius inuenis? Quid secretius tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit sanctos, tot effugerit sapientes?* Hæc ille.

Hæc videlicet vna animi arrogantia, hic fastus & superbia, qua laborans imprimis ac tumens Calvin. *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina impedire eum debebat, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam ipse exigat, & verbo Domini ipse examinet*, quæ omnium est etiam hæreticorum hodie vox impudens, vniuersa & propria causa est pertinaciæ incredibilis, qualem in illis ostendimus. Sicuti Pharisei in hoc Euangelio fastu turgidi visum cæco à Christo restitutum, tamen rem in oculis omnium positam, credere volebant; ideòque & cæcum, & parentes eius iterum atque iterum hac de re interrogabant, ac tandem à veritatis confessione recedere nolentem è Synagoga eiiciebant; eadem planè modo hæretici hodie elati ac superbi, quæ semel contra Christi Ecclesiam noua & insana dogmata imbiberunt, tamen millies mendacij atque erroris conuicti, altercari tamen semper & aperta veritati reluctari non desinunt, seque ipsos à totius Ecclesiæ Christianæ, quæ hactenus in terris visa est, consortio ac societate pertinaciter abdicant.

Feria 5. hebdom. 4. Quadragesima.

M 2

Huius

Dom. 7. post Pentec.

Epist. 190. ad Innocent.

Pertinaciæ in hæreticis causa.

Huius diei Euangelium de adolescente, viduæ matris vnico filio defuncto, à Christo misericorditer resuscitato in Dominica 15. post Pentecosten legitur. In ea Dominica videat Concionator quid contra huius temporis hereticos ex hoc Euangelio disputare possit.

Feria 6. hebdom. 4. Quadragesima.

1. Infremuit spiritu, & turbauit seipsum.

Ioan. II.



Christus humanos affectus liberè suscepit.

Math. 26.

In com. ad c. 26. Matth. Tract. 49. in Ioan.

De ciui. Dei lib. 14. cap. 9.

Locus petulantiam, & arrogantiam Caluiniannam, contra apertam Scripturam, & doctissimorum Patrum expositiones annotadi. Quæ etiam annotatio explicandis postea aliis corruptelis Caluiniannis erit necessaria. Docet aperte hic locus, docentque doctissimi Patres, turbationem hanc quam Christus hic ostendit, non fuisse in eo sicut in nobis frequenter est, inuoluntariam, sed liberam liberèque pro tempore & loco à seipso certa deliberatione assumptam. Dicit enim textus: *turbauit seipsum*: non dicit turbatus est. Sic instante passione, *cæpit contristari & maestus esse*: id est, quando voluit & ante vllam iniectam necessitatem, liberè suos affectus ad tristitiam & dolorem voluntarium, proposito sibi imminentis passionis obiecto, excitauit. Quare D. Hier. ad illum locum. *Aliud est contristari, aliud incipere contristari, quia pro passio in Domino erat, passio humana non erat.* Sic D. Aug. in hunc ipsum locum. *Turbatus tu nolens, turbatus est Christus quia voluit: Esuriuit Iesus, sed quia voluit: dormiuit, sed quia voluit. Contristatus est, sed quia voluit: mortuus est, sed quia voluit. In illius potestate erat, sic vel sic affici vel non affici. Anima & caro Christi cum verbo Dei vna persona est, vnus Christus est. Ac per hoc vbi summa potestas est, ibi secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbauit semetipsum.* Hæc Augustinus. At adhuc alio in loco. *Ipse Dominus Iesus in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum*

habens

habens omnino peccatum affectiones humanas adhibuit, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Euangelio ista referuntur, quod super duritia cordis Iudeorum cum ira contristatus sit, quod dixerit: gaudeo propter vos, vt credatis, quod Lazarum suscitatus etiam lachrymas fuderit, quod concupiuerit cum discipulis suis manducare pascha, quod propinquante passione tristis fuerit, non falso vtique referuntur: verum ille hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, vt cum voluit factus est homo. Et paulo post: *Habemus nos humanas istas affectiones ex humana conditionis infirmitate.* Non autem ita Dominus Iesus, cuius & infirmitas fuit ex potestate, id est, ex libera illarum assumptione quoties voluit, sicuti ex libera naturæ nostræ assumptione factus est homo quando voluit. In hanc quoque sententiam scribit D. Gregorius. *Non sicut nos qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Qui etsi quando turbatus spiritu infremuisse dicitur, ipse tamen diuinitus disponebat, quantum ipse humanitas turbaretur.* Docet cum August. vbi summa potestas erat, ibi secundum nutum voluntatis tractari infirmitatem: vt videlicet affectiones in Christo tamen si humanæ & veræ essent, non tamen inuoluntariæ & prorsus per modum naturæ sicut in nobis frequenter, sed semper liberæ & ex certa ac deliberata dispositione fierent.

Totam hanc Sanctorum Patrum doctrinam, verbis huius Euangelij *turbauit se ipsum*, conformem vellicat & impugnat Caluinus. *Absurdum* (inquit) *quibusdam videtur, si Christum dicamus tanquam vnum aliquem ex hominum numero fuisse humanis passionibus subiectum. Nec aliter existimant vel doluisse vel gauisum esse, nisi quia affectus istos quoties visum est, ar. an. i. quadam dispensatione in se recepit.* In hanc sententiam Augustinus ab Euangelista dictum putat quod turbauerit seipsum, quum alios rapiant sui affectus. Sensus ergo esse putat, quod Christum alioqui sedatum & ab omni passione immunis, fremitum & dolorem vltro accersuerit. Hæc ille.

Hæc planè Augustini, hæc Hieronymi, hæc Gregorij, hæc aliorum Patrum & omnium Theologorum de Christo sententia est, ipso Christo digna. Quid ad hæc Caluinus? *Atqui* (inquit) *meo iudicio magis consentanea erit Scriptura hæc simplicitas, si dicamus filium Dei quum carnem nostram induit,*

Mora. in Job lib. 3. cap. 13.

In com. in Ioan. II.

Caluinus suum iudiciū Patrum consensui anteponit.

sponte etiam humanos simul affectus induisse, ut nihil à fratribus, excepto peccato, differret. Atqui hoc & Augustinus docuit, alijque Patres docuerunt. Sed humanos affectus non eodem modo induit, quos non eos aut habemus aut exeremus. Habet eosdem affectus, sed liberos & cum plena de liberatione liberæque dispositione elicitos, quos non frequenter planè inuoluntarios patimur magis quam exeremus. Ideoque in nobis passiones sunt vitiosæ (ut loco postèrius citato docet Augustinus) in Christo non sunt passiones inuoluntariæ, sed affectiones liberæ, sicuti Christi gloriæ & puritati conueniebat. Imò (ait Calvinus) hoc modo nihil derogatur Christi gloriæ, quum voluntaria tantum dicitur fuisse submitto, qua factum est ut in anima affectibus nobis similis esset; Ceterum postquam ab initio se submitto, non putandum est ab illis vacuum fuisse aut immunem. Idem Patres docent quòd humanæ infirmitatis affectibus ab initio conceptionis suæ voluntariè se submitto, sed non inordinatis aut inuoluntariis, verum quos liberè exercebat, non quos contra voluntatem pateretur, ut nos illos patimur. Quia ut sapienter dixit doctissimus Augustinus, ubi summa potestas erat, ibi secundum nutum voluntatis tractari infirmitas debuit. Hunc liberum in Christo voluntatis nutum, & hos liberos affectus negat contra Patres procaciter Calvinus, nec vno verbo refutat, satis habens suam singularem & arrogantem opinionem, quam simplicitatis vocabulo vestit: absque vllò argumento aut ratione opponere. Quare quod in sequentibus addit Calvinus, passiones in Christo vitiosas non fuisse sicut nostræ sunt, eo quod neque intemperanter ferebantur & ultra modum: neque absque iusta & legitima causa in illo oriebantur, hoc totum nec Patrum sententiam refutat de libera affectuum nostrorum susceptione Christo propria, neque Christi puritatem & gloriam satis defendit. Vitiosæ quippe passiones sunt, non solum quia modum excedunt quoad effectum, & sine iusta causa exercentur quoad obiectum, sed etiam quæ inuitis nobis erumpunt quoad principium, earum, quæ sæpe quum volumus insurgunt, & sæpe quum volumus deficiunt: quæ tota vitiositas originalis peccati corruptio est: à qua quum Christus prorsus immunis fuerit, non potest puritati eius congruere, huiusmodi passionibus subiectum fuisse. Ita Calvinus absque vlla ratione, causa, argumento, solum ut singulariter sapere videatur, suisque aliis de Christo nefandis

blasphemis

blasphemis (de quibus postea) viam substerneret, doctissimorum Patrum consentienti iudicio arroganter & petulantè contradicit: ac sententiam sustinet, non solum Christi gloria indignam, sed & eius puritati repugnantem.

Sed quid ad Scripturam præsentem huius Euangelij respondet. quæ dicit, *Turbauit semetipsum*, vnde colligit Augustinus quòd liberè & voluntariè hanc turbationem in se admisit: Ad hanc Scripturam hoc solum respondet. *Turbauit quidem seipsum Christus & vehementer commotus fuit, sed ita ut se continuerit sub Patris voluntate.* Hoc quidem verum est, sed hoc nihil contra S. Augustini & aliorum Patrum expositionem facit: hoc etiam non explicat, cur dixerit Euangelista, *turbauit seipsum*, non autem dixerit, turbatus fuit. Nam ut homines boni ac prudentes omnes tamen turbentur interdum ex improviso, & inuoluntariè per motus obrepitios vitiosos, frequenter tamè sub Dei voluntate se continent, motus illos ad pietatis & rationis nutum refrænant. Nec tamen de huiusmodi dici possit, *Turbauerunt se ipsos.* Perulans ergo iste & audax hæreticus, nec Scripturarum sensum à patribus vult discere, nec quod Patres docent potest refutare. Ita & doctissimos Patres arroganter contemnit, & diuinas Scripturas legitimo sensu spoliat, ne suum illis iudicium submittat. Hæc eius temeritas & arrogantia & inscitia (quam in aliis locis quam plurimis, etiam circa dogmata non controuersas exercet, nouasque interpretationes indefinenter affectat) fideli populo exponi potest, ut à tali impostore quam diligentissimè sibi caueant, verasque & orthodoxas Sanctorum patrum expositiones propter eius singulare iudicium, nulla ratione nullo argumento suffultum nequaquam reiiciant.

2. Dixit eis Iesus, soluite eum & finite abire.

Ioan. II.

Locus alius Sanctorum Patrum piam & legitimam huius loci applicationem à Caluini cauillis eximendi & repurgandi. Sic enim in hæc verba garrit. *Terridiculi (inquit) sunt Papistæ, qui auricularem confessionem inde eliciunt Christos, inquit postquam Lazarum vitam reddiderat, à discipulis suis solui voluit. Ergo non satis est reconciliari nos, nisi Ecclesia quoque peccata nobis remittat.* Hæc ille. Sed quum Papistas propter hanc applicationem de absolutione per Ecclesiam necessaria (nam ad peccatorum confessionem

Caluin. cattilum ter ridiculum.

Caluin. mendacium.

M 4

auricularem.

Papistarum
nomine Pa-
tres laceffit.

Tract. 49. in
Ioan:

auricularem hæc verba Catholici non applicant, mendacium id Caluini est) ter ridiculos vocat, antiquos & doctissimos Patres hac foeda labe aspergit, & per Catholicorum hodie latera alios transfuerberat. Sic enim in hunc locum scribit S. Augustinus. *Processit Lazarus & adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamē iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis, velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus, soluite illum & finite abire: Quid est, soluite & finite abire? Quæ soluerit in terra soluta erunt & in celo. Hæc hactenus Augustinus. Rursum homil. 27. ex homilijs 50. Lazaro procedente, quia impleuit Dominus misericordie suæ bonum producere ad confessionem mortuum latentem, putentem, iam cetera implet Ecclesiæ mysteria, Soluite illum, & finite abire. Ecclesia enim sua dixit. Quæ soluerit in terra, soluta erunt in celo. Hæc ille. Non ausus est Caluinus Augustinum ter ridiculum vocare: vocauit Papistas. Vnde aut Augustinū inter Papistas numerat, aut quod hodie Papistæ docent, ab Augustino eos accepisse, ignorauit. Similem applicationem videre est apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7. in Ioan cap. ultimo. Sed & Gregorius ille Magnus, Pontifex & Doctor Ecclesiæ celeberrimus in huius Euangelij verba ita scribit. *Causa pēsanda sunt, & tūc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Quod bene quatrduam mortui illa resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit dicens, Lazare veni foras: & postmodum is qui viuus egressus fuerat, à discipulis est solutus: sicut scriptum est. Cumq; egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis soluite eum & finite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluūt, quem magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solueret, factorem magis ostenderent quàm virtutem: Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.**

Hæc Gregorius. Et hunc doctissimum Pontificem ac virum sanctissimum ter ridiculum vocare Caluinus non verebitur? Sed moriatur anima mea morte horum iustorum, & sit pars & hæreditas nostra in terra viuentium, in consortio Sanctorum in celo regnantium. Lupus Cal-

urnus

Homil. 26. in
Euangel.

uinus abducatur discipulos post se quos potest: cæcus cæcū ducat, & ambo in foueā cadāt. Verè enim post se abducit discipulos, qui suum proprium iudicium sequutus, Sanctos Patres non solum non audit, sed & ter ridiculos vocat. Verè cæcus est, & nihil videns, sed in media luce palpans, qui lumina Ecclesiæ, quos lucem mundi Christus vocat, veteris Ecclesiæ Pastores celeberrimos penitus despiciens, suam propriam lucem, id est, tenebras deprauati cerebri sui, in omni Scripturarum interpretatione sequitur.

Sabbato. hebdom. 4. Quadra- gesima.

*Tu testimonium perhibes de teipso, te-
stimonium tuum non est
verum.*



Ocūs auctoritatem Ecclesiasticam à cauillatione hæretica huic Pharisaicæ contra Christum consimili defendendi & asserendi. Sicut enim dicente Christo, *Ego sum lux mundi*, &c. inferebant Pharisei, quod de seipso testimonium perhiberet, ideoque verum non diceret, sic quia in Symbolo Apostolico, quod ab Ecclesia traditum tenemus ipsa sibi testimonium perhibet, seque ipsam credendam proponit, in illo articulo, *Credo Ecclesiam Catholicam*, quia & illa quoque lux mundi est, argumentatur hodie quidam hæreticus, hunc in modum. *Quaro quomodo & propter quid Ecclesiam se in Symbolo credere Papistæ aiunt. Si dicunt propter Ecclesiam à qua Symbolum accepimus, tum idem credimus. Ad hæc nulla probatio est. Est planè argumentum Pharisaicum. Cui eodem modo respondendum est, sicut hic Christus Phariseis respondet: si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est: id est, non est absurdum, ut ego qui sum lux mundi, qui omnes alios illuminare debeo, meipsum quoque dum id facio demonstrarem. Omnis enim lux tam seipsam demonstrat quàm alia, imo prius seipsam quàm alia, quum suam lucem in alia diffundat, nec lucida appa-*

Matth. 5.

Ioan. 8.

Ecclesiæ au-
thoritas de-
fenditur.

Whitakerus
in dispu. de S.
Script. 9. 3.
c. 1.

M 5 rere

Ephes. 3.
Ecclesia suā
ipſius autho-
ritatem ne-
cessario de-
monſtrat.

2. Cor. 3.

Matth. 5.
Act. 1.
Ephes. 4.
Heb. 13.

Ioan. 8.

Heb. 6.

rere ſine ipſa luce poſſint. Sic quum Eccleſia ſit lux mundi in ſuo genere, videl. à Chriſto illuminata vt aliis lucem adferat, ſicuti quæ à ſole illuſtrantur non ſolum lucida in ſe ipſis ſunt, ſed & in proxima lumen deriuant, eaque illuſtrant, vnde Paulus de ſeipſo ait, *mihî omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus Euangelizare, & illuminare omnes qua ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi &c.* non ſolum alios docendo illuminat, ſed & ſeipſam docendo manifeſtat: imò prius ipſa cognosci, & lucere debet, quam aliis poſſit lucem doctrinæ afferre: niſi fortè perinde ouibus ſit, ſiue alienum & lupum ſequantur, ſiue proprium & verum paſtorem. Eccleſia igitur quia ſui cognitio ouibus eſt neceſſaria, ſicuti Chriſti notitia Iudæis erat neceſſaria, inter alia quæ docet, ſuam quoque quam gerit perſonam demonſtrare debet, ſicuti hic Chriſtus ſe eſſe lucem mundi Iudæis adhuc incredulis profiteretur. Denique de ſeipſa teſtimonium perhibens, verum nihilominus & neceſſarium teſtimonium præbet. Nempe quemadmodum Chriſtus teſtimonium perhibens de ſeipſo, verum nihilominus teſtimoniū perhibet, propter certas & grauiſſimas cauſas, quæ in aliis locū nō habēt, ſic & Eccleſia de ſeipſa teſtimoniū perhibere poteſt, proficēdo ſicut Paulus profeſſus eſt, *fecit nos Deus idoneos miniſtros noui teſtamenti* (quando talis profeſſio propter incredulos & hæreticos neceſſaria erit, vt hic propter Iudæos incredulos, & ibi Paulus propter Corinthios quosdam ſuperbos fecit) ſuamque legitimam authoritatem à Chriſto acceptam, quod ſint *lux mundi, teſtes veritatis, Paſtores dati in opus miniſterij &c. Præpoſiti Eccleſiarum*, quibus ſubiacere ſubditi debent, ſibi optimo iure vendicare, & erit nihilominus teſtimonium eius verum propter certas quoque & grauiſſimas cauſas quæ in aliis locum non habent. Sanè propter eaſdem cauſas, licet non in eodem excellentiæ gradu, propter quas Chriſtus hoc fecit. Chriſtus enim de ſeipſo teſtimonium perhibens verum nihilominus perhibuit teſtimonium propter duas maximas cauſas, quas in hoc ipſo Euangelio expreſſit. Primam his verbis, *quia ſcio vnde veni & quo vado*: altera in illis verbis, *ego teſtimonium perhibeo de meipſo, et teſtimoniū perhibet de me, qui miſit me Pater*. Prior cauſa duplicem rationem continet. Vnā quia filius DEI erat & dignus cui fides adhibeatur, ideòque ſicut Deus per ſemetipſum iurat, quia neminem maiorem habet, ſic ſibi ipſi teſtimonium perhibet, quia vt filius Dei neminem maio-

rem

rem habet, alteram quia ex certa ſcientia hoc teſtimonium protulit, non ex ignoratione qua Iudæi laborabant. Poſterior cauſa erat, quia non ſolus ſibi teſtimonium perhibuit, verum etiam Pater qui miſit eum. Omnes hæ cauſæ in Eccleſia militant. Eccleſia enim merito ſibi teſtimonium perhibere poteſt, tum quia nullum in terris maiorem habet, ideòque Symbolo fidei proximo poſt Deum loco ponitur, *quasi templum poſt habitatorem ſuum*, vt notat Auguſtinus, vnde fide eſt digniſſima, tum quia ex certa ſcientia hoc dicit non ex ignoratione aut præſumptione, vt hæretici, qui lupi ſunt aliunde irumpentes, non paſtores intrantes per oſtium: tum denique quia non ſola ſibi teſtimonium perhibet, ſed Chriſtus qui miſit eam in verbo ſuo ampliſſimum ei teſtimonium dedit, *Vos eſtis lux mundi: Qui vos audit, me audit &c.* Sic Deus Pater Chriſto teſtimonium è cælo dedit, *Ipfum audite*. Sicut ergo abſurdum non fuit, ſed propter incredulos Iudæos neceſſarium, vt Chriſtus de ſeipſo teſtimonium perhiberet, dicens, *Ego ſum lux mundi*, ſic abſurdum non fuit, ſed ad fidem initiō propagandam, & propter futuros hæreticos neceſſarium, vt Eccleſia Apoſtolica in Symbolo fidei ſibi ipſi teſtimonium perhiberet: & inter ea quæ credenda ſunt, hoc etiam poneret, *Credendum eſſe Eccleſiam Catholicam*: ac demum ſuccedens Eccleſia eundem articulum perpetuò repeteret, & contra rebelles hæreticos ſemper vrgeret. Neque magis abſurdum eſt in hac cauſa, idem per idem probare, quam abſurdum eſt vt lumen per lumen oſtendatur, & eadem lux per eandem demonſtratur. Hæc quum ad Eccleſiæ authoritatem efucidandam (argumentum hoc tempore maxime neceſſarium) aliquo modo faciant, hoc in loco obſeruare volumus: & ad hunc locum aliqua dicere conſionator poterit. Alia quam plurima ad hoc argumentum pertinentia videre, qui volet, poteſt in Authoritatis Eccleſiaſticae deſenſione noſtra contra Gul. VVhitakerum iam ante biennium edita.

Eccleſia cur ſibi teſtimonium perhibere poteſt. In *Enchirid. cap.*

Matth. 5.
Luce 10.
Matth. 17.

Ioan. 8.

Feria

Feria 2. post Dominicam passionis.

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viue.



Ioan. 7-

Fer. 6. hebdom. 3.

Beza Caluino contrarius.

In com. in hunc locum.

Gratiarum Dei flumina.

Matth. 5.

Tit. 2. Rom. 5.

Cap. 41.

Cap. 44.

Locus de abundantia donorum gratiae Dei & variarum virtutum verè nobis inhærentium, & fructus admirabiles proferentium, contra imputatiuam & nominalem quandam, ab hæreticis hodie confictam, iustitiam. De his donis diuini Spiritus supra in alia feria contra Calvinum latè disputauimus. Hic tamen pauca addemus, prout Deus dabit. Ac primùm illa flumina aquæ viue ipsemet hoc loco intelligit Calvinus, quæ non solum dona quædam visibilia Spiritus S. primis fidelibus data significant (vt Beza in hunc locum affirmat) sed (quod à suo optimo parente & præstantissimo theologo Caluino) vt eum vocare solet (discere Beza debuit) quæ ad regenerationem credentium & vitæ nouitatè spectant. Proprie (inquit) hic agitur de virtute Spiritus, qua renascimur in Christo, ac efficiamur noua creatura. Et sanè quum de illa virtute Spiritus Sancti Christus loquatur, non quæ momentanea esset, & ad prima fidei rudimenta commendanda daretur, sed quæ credentibus in eum perpetuò largienda esset, & quam filij Dei sitiunt. (præmiserat enim, Si quis sitit, veniat ad me & bibat) sitiunt autem filij Dei non dona illa miraculosa, sed iustitiam & sanctitatem, iuxta illud Christi, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, extra omnem controuersiam esse debet, per flumina aquæ viue hoc loco, illa gratiarum Dei fluentia intelligi, quæ in Christum credentes & in eo regenerati, ad vitæ nouitatem induendam, largiter & copiosè accipiunt, effuso Spiritu Sancto abundè & per abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ, vt Paulus loquitur. Hæc flumina aquæ viue designauit Esaias, quum diceret. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Et iterum. Effundam aquas super sitientem, & fluent super aridam: effundam

ritum

ritum inuam super semen tuum, & benedictionem meam super strpem tuam. Sunt promissiones gratiarum, quas Spiritus Sanctus credentibus in Messiam & nouo populo infundet. De quibus iterum idem Propheta dixit. Omnis vallis implebitur: quia sicut ad valles & loca depressiora copiosissimè aqua defluit, sic in humiles & trementes sermone Dei, quales credentes sunt, captiuantes intellectum in obsequium Christi, Spiritus Dei largissimè sua dona infundit, ita vt (iuxta Pauli verbum) impleantur in omnem plenitudinem Dei. Quam plenitudinem per fructus Spiritus Sancti in credentibus idem Paulus, aliqua ex parte commemorat. Fructus (inquit) spiritus est, charitas (quasi omnium aliorum radix) gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hæc sunt flumina aquæ viue, dona gratiæ Spiritus Sancti, fluentia de ventre credentium, id est, cor & interiora hominis replentia, indeque ad opera cuiusque virtutis promanantia. Atqui si hæreticis horum temporum credimus, qui omnia opera hominis regenerati & credentis in Christum, immunda & peccato contaminata esse affirmant, adeoque peccatis magis quam virtutibus accensend. (vt impius Calvinus scribit) profectò de ventre credentium in Christum non fluunt flumina aquæ viue, sed flumina aquæ foetidæ, obscœnæ, & turbidæ: & manet super eos maledictio Prophetica. Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam: & quid uoi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Volunt isti hæretici homines iam in Christum credentes, & ex Spiritu Dei regeneratos, quasi in captiuitate adhuc vel Aegyptiaca vel Babylonica, id est, in diaboli captiuitate adhuc constitutos, seruos peccati esse, bona opera Deo placenta operari, & legem Dei seruare non posse, nihil nisi peccare. Sic de aqua turbida regeneratos libere, & in illa semper impietate eos manere volunt, de qua Propheta eodem loco dicit, Me dereliquerunt fontem aquæ viue. Sic mendacem hic faciunt Christum disertè promittentem, quod qui credit in eum, flumina de ventre eius fluent aqua viue. Sed & aliam quoque de hac Spiritus Sancti in credentibus efficacia promissionem Propheticam, huic Euangelio conformem mendaces isti magistri, planè mendacem constituunt. Dicit enim alius Propheta. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio

Cap. 40. Luc. 3.

Esaiæ 44.

Ephes. 3. 19.

Galat. 5.

Chrysolom. 50. in Ioan.

Instit. lib. 3. cap. 17. nu. 3.

Ierem. 2.

Hæretici hodie Scripturis contradicunt circa bonorū operum puritatem.

Ezech. 36.

vestri,

vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatz & operamini. Dicunt hodie hæretici. Homo regeneratus non potest in præceptis Dei ambulare, nec iudicia Dei custodire, nec legem mandatorum seruare, quia impossibilis illa est, ideoque nullis operibus bonis aut ex vlla obseruantia legis possumus Deo placere, aut coram illo iustificari: sed sola CHRISTI iustitia, obedientia, sanctitate nobis imputatis, & iustificamur & sanctificamur coram illo. At contra dicit Scriptura, Spiritum Dei in medio credentium, *facere ut in præceptis Dei ambulent, & iudicia eius custodiant.* Dicit Scriptura: *Dabo vobis cor nouum.* Dicunt hæretici, manet cor vetus. Dicit Scriptura: *Ponam spiritum meum in medio vestri.* Dicunt hæretici, Spiritus nouus in medio nostri, id est, nobis inhærens nullus est, sed in solo Christo est, in quo plenitudinem sui Spiritus Pater deposuit, ait Calvinus, *nobis imputandam.* Dicit Scriptura: *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum.* Dicunt hæretici, manet adhuc cor lapideum, ad omne opus bonum durum & ineptum & inflexibile. Quid est enim cor vetus & cor lapideum nisi veteris hominis immunditia & ad omne pietatis opus duritia, difficultas, impossibilitas: Hanc adhuc ponunt in regeneratis hæretici, quoties legem Dei ab illis seruari non posse, neque vnquam ab aliquo seruata fuisse impiè dogmatizant. Negant igitur prorsus hæc flumina aquæ viuæ, hæc dona gratiarum Dei, de ventre credentium fluentia, id est, cordibus credentium inhærentia, vereque infusa & permanentia. Negant cor nouum, spiritum nouum, spiritum facientem in præceptis Dei ambulare. Caluini impias hac in re sententias in alia feria produximus. In antidotis Apostolicis, tam ipsius quam Bezzæ, qui inter Calvinistas principes habentur, plures Deo dante proferemus; Interim diligenter notandæ & studiosè pro concione premendæ sunt illæ diuinarum Scripturarum sententiæ, quæ efficacem Spiritus Sancti in cordibus credentium operationem, & infusa illis gratiarum dona, ex quibus opera Deo grata filij Dei producant, luculenter docent. Nihil enim magis solam iustificandam fidem & imputatiuam iustitiam aut efficacius subuertit. Illis autem euerfis, totum corruit Evangelicorum hodie nouum & proprium Euangelium.

Antitheses
hæreticæ.

Instit. lib. 3.
cap. II. m. 12.

Infer. 6. heb-
dom. 3. tex. 1.

Feria

Feria 3. post Dominicam passionis.

Neque enim fratres eius credebant in
ipsum.

Ioan. 7.



Ocus Christianorum erga Beatam Virginem pietatem ac reuerentiam, etiam quatenus mater Dei est secundum carnem, à Caluini calumniis & accusatione vindicandi. Arripit enim hoc loco occasione Caluinus Catholicæ Ecclesiæ erga hanc beatam Virginem singularem reuerentiam acerbè taxandi. Hinc (inquit) colligimus quàm nihil sit carnalis propinquitas. Perpetuam enim infamia notam Spiritus inurit Christi cognatis, quod tot operum testimonijs conuicti, ne tum quidem credebant. Quo magis ridicula est Papiſtarum superstitio, qui in Virgine Maria, posthabitis omnibus alijs, solum sanguinis honorem efferunt: quasi non reprehensa ab ipso Christo fuerit mulier, quæ ex media turba clamabat, *Beatus uter us qui te gestauit, & vbera quæ te lactarunt.* Respondet enim Christus: *Quin potius, Beati qui audiunt verbum Dei.* Hæc ille in hunc locum. Est ergo hoc Caluini argumentum. Quia cognati Christi secundum carnem increduli erant, ridiculi iudicandi sunt, qui in Matre Christi solum sanguinis honorem efferunt. Sed non videt cæcus hæreticus, vbi plures causæ honoris deferendi concurrunt, ibi maiorem honorem meritò deferri: eamque ob causam Beatiss. Virgini Mariæ, quæ non solum credidit Angelo à Deo misso, non solum conseruabat & conferebat in corde suo omnia quæ circa Christum paruulum gerebantur, non solum de toto mysterio redemptionis nostræ diuiniſsimè prophetauit Christo necdum nato, non solum Cruci Christi fugientibus Apostolis magna animi constantia ac singulari fide astitit, non solum in die Pentecostes Spiritum Sanctum accepit (quæ sanè omnia pietatis & fidei in Deum præclarissima testimonia, cum alijs vel Apostolis vel sanctis illi erant aut esse poterant communia) sed præter hæc omnia, ipsa Christi, imò filij Dei mater fuerit, filium Dei incarnatum, in utero gestauerit, aluerit, & omnè in eum matris officium exereuerit

B. Virginis
honor & ex-
cellentia de-
fenditur.

In B. Virg.
præ cæteris
honoranda
plures causæ
concurrunt.
Luc. 1. & 2.

Ioan. 19.

propter

B. Virginis
honor singularis
probat.

1.

Luc. 2.

2.

Luc. 2.

3.

4.

5.

propter tot causas in illa sola concurrentes, in maximo quodam & singulari supra reliquos Sanctos omnes honore, a nobis Catholicis optimo iure haberi.

Quid? an serio iudicant Calvinistæ propter solum sanguinis honorem, nullam Beatissimæ Virgini reuerentiam deberi? An Calvinus puero Christo maior & melior videri volet? At dicit Scriptura de Iesu Redemptore iam duodeni, & de parentibus eius. *Ipse erat subditus illis.* An in hac subiectione ipsum sanguinem maternum Christus non honorauit? Imo putatitium illum suum patrem Ioseph propter paterni sanguinis imaginem tantum, illa quoque subiectione nonne honorauit? Quod ergo Christus ipse in sua matre honorauit, quis tandem Christianus honore dignum esse negabit? An non hoc ipsum sancta illa mulier Elisabeth & Spiritu S. plena singulariter in Beata Virgine venerata est, quum diceret, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui* id est, ideo benedicta, quia tantam prolem habitura es? Nam & Angelus quum hanc beatam Virginem eodem titulo exornasset, & inter mulieres benedictam prædicasset, illaque pro sua modestia & humilitate, *hac audita salutatione non inflata, sed turbata, esset,* eius salutationis rationem reddens Angelus subiunxit. *Ne timeas Maria: Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Et quam gratiam tandem, vt propter illam benedicta prædicetur? Sequitur. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, &c.* Ecce ideo ab Angelo, posteaque à S. Elisabetha, Angeli verba ex afflatu diuino repetente, benedicta nuncupatur & prædicatur, quia talem, ac tam benedictum fructum paritura erat. Rursum an non hoc ipsum eadem Elisabetha præcipuo affectu venerabatur, quum diceret, *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Non dicit, vnde hoc mihi vt quæ gratia plena est, quæ Angelo credidit, in quam Spiritus S. superuenit, & virtus altissimi obumbravit, veniat ad me. Quæ tamen omnia verè & pie dicere poterat. Sed hæc omnia tacens, & quòd in ea summo honore dignum erat attingere volens, dixit. *Vnde hoc mihi vt mater Domini mei veniat ad me?* Non solum, ipsum in matre Christi sanguinem veneratur, sed illud vnum præ cæteris omnibus veneratione dignum iudicat. Age enim. Mater Domini nostri est. Quis igitur huius Domini seruus, eam vt Domini sui matrem, hoc ipso quod mater Domini sui est, præcipuo quodam & singulari honore efficiendam esse,

dubitare

dubitare poterit? An quisquam subditus est, qui Regis sui matrem, hoc ipso quod mater est, singulari aliquo honore prosequi recusabit? Quid? An matrem Domini esse secundum carnem, res ipsa per se summa veneratione digna non est? Quum illud canticum diuinissimum B. Virgo pronunciarer, *Magnificat anima mea Dominum, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ,* quod aliud beneficium ipsi in particulari à diuina bonitate impensum prædicat, quàm quod filium Dei se Matrem esse, vt Elizabetha professa est, cerneret? Quando adiecit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, cur ex hoc, cur ab eo tempore, nisi propter id quod sequitur? Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius?* Et quæ illa magna erant, quæ fecit illi potens Deus, quàm quod iuxta Angeli verbum, & filium Dei paritura erat? Hæc sunt magna quæ fecit huic Virgini Matri Deus. In hoc respexit humilitatem huius Virginis. Ex eo demum tempore beata ab omnibus generationibus prædicabitur, quia mater Domini omnium est. Hanc sibi factam ineffabilem gratiam exultans in Deo salutari suo, his verbis prædicauit. Cætera quæ in hoc hymno sequuntur, ad totius humani generis beneficium ac redemptionem pertinent. Sed in primis illis versiculis, quæ illi magna fecit Deus, & quomodo ipsius humilitatem respexit, & cur ipsa beata prædicanda esset, quia videl. Mater filij Dei futura erat, aut iam erat potius, cum ingenti spiritus exultatione deprædicat. Quod ergo tâta exultatione & gratiarum actione dignum, purissima hæc Virgo iudicauit, & Spiritus Sanctus in Scriptura diuinitus reuelata contestatum relinquere voluit, videl. quod mater Domini omnium esset, hoc ipsum quoque nos cum summa animi exultatione non prædicabimus? De hoc ipso nos Deum nostrum non magnificabimus? Ex hoc ipso nos Beatam esse hanc Virginem non profitebimur? Ipsa nos Virgo Mater, ipsum Euang. ipse Spiritus Dei, si secus facimus, summæ nos & ingratitude & impietatis arguet. Sed vnus Calu. homo impius & ingratus, eos qui hunc solum sanguinis honorem in Beata Virgine Christi matre effecerunt, *ridicula superstitione* laborare iudicat. Dico solum sanguinis honorem, quem solum puer Iesus in illa venerabatur, quem solum sancta mulier Elisabetha prædicabat, quem solum ipsamet Beata Virgo diuino spiritu excitata solemniter cantico celebrabat. Solum inquam non quasi aliud nihil in

6.

Beata, quia
mater filij
Dei.

Solum san-
guinis ho-
nore in Ma-
tre Christi
honorare
non super-
stitio, sed
pietas est.

N

hac

Caluin. pu-
rida calum-
nia.

B. Virg. lau-
dans mulier
cur reprehē-
ditur.

Matth. 12.

B. Virginem
cur Catho-
lici prædi-
cant.

hac Beata Virgine aut honorandum censeremus, aut non honoremus, sed solum, quia seorsim & per se hoc vnum consideratum, præcipue quodam honore dignum esse asserimus. Addit quidem Caluinus, *posthabitis omnibus alijs*. Sed illa additio non nisi ad puridam calumniam inseritur. Nos enim Catholici quum B. Virginem Christi matrem præcipuo quodam honore prosequimur, ipsum quidem in ea sanguinis honorem efferimus & hoc ipsum quod mater Domini nostri fuit, magnopere honoramus, non tamen *posthabitis omnibus alijs*, non contemptis aut neglectis alijs in ea virtutibus: Virginitate perpetua & illibata, fide fortissima, humilitate & obedientia, charitate, totaque vitæ puritate illa Virgine digna, quæ *plena gratia* ab Angelo salutari meruit: Non inquam istis aut neglectis aut posthabitis, sed vna cum istis, ipsum in ea sanguinis honorem efferimus: quem adeo non effert Caluinus cum suis, vt eum efferri aut prædicari non debere, ex alijs Euangelij verbis probare contendat. *Reprehensa* (inquit) *fuit à Christo mulier quæ ex media turba clamabat, Beatus venter qui te portauit*. Esto: fuerit à Christo reprehensa quæ sic clamabat. An verò illa reprehensionis causa fuit quod matrem Christi quasi matrem Domini sui beatam prædicauit, sicuti nos Catholici in Beata Virgine sanguinis honorem efferimus, quia mater Domini nostri, mater Redemptoris naundi, mater filij Dei fuit: Nihil minus. Certum est illam mulierem si reprehensa fuit, ideo reprehensam fuisse; vel quia vulgari mulierum more audita CHRISTI sapientia, fœlicem illam matrem dixerit quæ tantæ sapientiæ filium genuerit, nihil amplius de eo vel de matre eius cogitans, quam quæ de viro aliquo sapiente qui parentum suorum honor sit, (*honor quippe Matris filius sapiens*) vulgus hominum cogitare solet; vel quia tempore & loco non suo in huiusmodi verba prorupit, quum Christo tunc apud populum concionante, nec matris suæ nec ipsius laudibus extollendi, sed doctrinæ cœlestis quam concionabatur audiendæ, operibusque exequendæ tempus esset. Nam & sic quum aliàs eo concionante diceretur, *ecce mater tua & fratres tui te foris expectant*, respondit, *quæ est mater mea, & qui fratres mei, nisi qui voluntatem Patris mei faciunt?* vbi non negauit matrem aut fratres suos id esse quod erant, sed doctrinam suam cui tunc instabat, & obedientiam mandatorum Dei suis auditoribus commendare voluit. Atqui Catholici Christiani quum hæc verba

tam

tam in Christi quam in matris suæ laudem recitant, decantant, prædicant, *Beatus venter qui te portauit*, &c. nec tam exiles cogitationes habent, nec aliqua importunitate Christi negotia perturbant. Catholici hæc verba imitantes dicunt. *Beata viscera Mariæ Virginis quæ portauerunt æterni Patris filium*. Planè cum Angelo Gabriele, *benedictam inter mulieres Mariam prædicant, quæ concepit in utero & peperit filium, qui filius Altissimi* vocaretur. Si enim Angelus Antequam adhuc conciperet (ait enim *concepies & paries*) benedictam illam deprædicat propter partum futurum, quidni multo magis post tam benedictæ prolis partum, & propter illum iam de facto præstitum, benedictam illam prædicamus? Rursum cum S. illa Elizabetha benedictam illam prædicamus, propter benedictum fructum ventris sui. Quare tametsi hæc mulier clamans de turba quum concionabundus Christus populum doceret, à Christo reprehensa fuisset, nullo modo tamen ad Catholicorum hodie pietatem illa reprehensio pertineret.

Iam verò nec à Christo reprehensam hanc mulierem fuisse aut aliquid superstitiosè dixisse (vt vult Caluinus) sed verba pietatis plena protulisse, multi doctissimi Patres eadem acclamatione vsi satis superque docent. Simili quippe vitur Gregorius Nyssenus his verbis: *O beatum vterum illum qui bonitatis præstantia ad se animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus Sancti præsentiam capit: hic autem caro sit Spiritus receptaculum*. Simili vitur eademque sæpe repetita Epiphanius: *O vterum impolutum habentem circulum calorum, qui Deum incomprehensum, in te verè comprehensum portasti; O vterum calo amplio-rem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ!* Nec dissimili vitur Augustinus. *O Virgo Dei genitrix gloriosa, o sublimis puerpera, cuius visceribus author calis terræq; committitur*. Et rursus, *o fœmina super fœminas, quæ & virum non cognouit, & virum in utero circumdedit*. Et quid miramur si hunc ipsum sanguinis honorem in hac beatissima Dei matre Patres venerantur & laudibus efferunt, quando ipse Spiritus Sanctus in Scriptura diuinitus inspirata, rem eandem quasi summa admiratione & veneratione dignam, aliquot ante seculis prædixit? Clamat Ieremias Propheta. *Creauit Dominus nouum super terram fœmina circumdabit virum*. Hoc

N 2

nouum

Patrum vo-
ces in laudē
B. Virg.

Ser. in Nat.
Domini.

In serm. de
laud. Virg.

Serm. 35. de
Sanct. & 9.
de temp.

Ierem. 31.

nouum & inauditum Dei opus, quod ipse sua infinita potentia creauit, quod foemina circumdaret virum, id est, prolem in utero haberet, quae perfectus vir erit, antequam nascatur, perfectus inquam non mole corporis, sed vnione diuinitatis, quis negare poterit, vt summa admiratione, ita pari veneratione dignum esse? Mulierem ergo, quae in Euangelio exclamauit, quum huius viri caelestem sapientiam audiret, *Beatus venter qui te portauit*. si ex fide verborum Christi, & non ex affectu humano illa verba dixit, nullo modo a Christo reprehensam fuisse existimari debet. Sanè ipsa Sybilla Tyburtina, quam de Christo, sicut ceteras Sybillas, spiritu prophético vaticinatas fuisse nullus dubitat Christianus, eisdem ferè verbis Messiae matrem depraedicat:

*O nimium foelix caelo dignissima mater,
Quae tantam sacro lactabit ab ubere prolem.*

Quae sanè carmina cum aliarum Sybillarum vaticiniis si quis nouatorum Sybillina esse negauerit, agat contra Xystum Beruleium eiusdem farinae hominem, qui ea in lucem euulgauit. Sanè Venerabilis Beda haec verba apud Lucam exponens, ita scribit: *Magnae deuotionis & fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis & Phariseis Dominum tentantibus simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & praesentium procerum calumniam, & futurorum haereticorum confundat perfidiam.* Sed & doctissimus Augustinus, què imitari solet Beda, hanc mulieris confessionem ita probat, vt non suo tantum, sed & aliorum piorum nomine eam ab illa factam fuisse affirmet.

Sed ad Caluinum redeamus, qui omnino reprehensam a Christo propter haec verba mulierem fuisse affirmat. Quomodo hoc probat? Ait: *Respondit enim Christus: Quin potius beati qui audiunt verbum Dei.* Primum impostor iste verbum Dei corrupit. Non enim dixit Christus, *Quin potius*, sed *Quinimò*: quod etiam verbum in sua translatione apud Lucam retinuit Caluinus: & Beza vertit: *Imò verò*: vbi nulla est comparatio aut auxesis (quasi *μᾶλλον δὲ* Lucas scripsisset) sed simplex adiectio: quam vox Graeca *μᾶλλον* manifestè insinuat: vult enim dicere Christus, Non solum beatus venter qui me portauit, sed & reuera beati illi sunt, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Tu me, matremque meam beatam praedicat. Sed haec praedicatio huius temporis ac loci non est. Ego illos beatos praedico, qui verbum Dei

audiunt

audiunt & custodiunt. Impius tamen Caluinus textum corrumptens, pro *Quinimò*, legit, *Quin potius*, pro simplici assertionem non praecedenti sermone aduersatiua, aut quae praecedentem corrigeret, sed alterius sermonis affirmatiua, ponit comparationem: quasi diceret, Christus magis beatos aut magis honorandos esse qui custodiunt auditum Dei verbum, quam vel ipse, vel mater eius. Haec enim mulier non matrem tantum Christi, sed & ipsum Christum laudare voluit, imò magis Christum quam matrem, quia propter Christum laudat matrem; propter filium laudat vterum, laudat vbera. Vnumquodque autem propter quid & illud magis.

Non est quidem negandum, magis beatam, id est, in causa salutis adipiscendae magis Deo gratam esse personam illam quae Dei verbum custodit, quam quae carnalem habet quantumuis intimam cum Christo affinitatem, quia illa beatitudo, essentialis quaedam perfectio, & rectitudo, & iustitia est ad salutem conferens: Intima autem cum Christo secundum carnem coniunctio, res quidem summæ est dignitatis & honoris, non autem summæ virtutis aut perfectionis, aut quae ad salutem ex se conferat. Et hoc sensu verissimè August. dixit, *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Imò quod adicere non veretur, *materna propinquitas nihil Mariae profuisset, scilicet ad salutem & iustitiam coram Deo; nisi facilius Christum corde quam carne gestasset.* Sanè foeliciter ad salutis quaestionem, & ad essentialem perfectionem quod attinet. Sed non foeliciter, ad honoris & dignitatis quaestionem quod spectat. Ad dignitatem quippe & excellentiam incomparabilem B. Virginis hoc imprimis spectasse, quod mater filij Dei fuerit, iam ex diuinis Scripturis perspicue demonstrauius. Tamen si igitur in his Christi verbis aliqua correctio esset & comparatio, vt illud, *Quinimò*, significaret, *quin potius beati*, id est, magis beati sunt *qui custodiunt Dei verbum*, tamen nec illa correctio alteram matris Christi beatitudinem negaret, quod in utero Christum gestasset (non enim quia illud melius, propterea hoc non bonum est) nec illa comparatio dignitati & excellentiae Beatissimae Virginis aliquid detraheret, sed alterius generis beatitudinem (vt iam explicatum est) commendaret.

Sanè in alia Scriptura, vbi Dauid amico suo Ionathae dicit, *Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum gradu ego, morsque diuidimur*: illud, *Quinimò*, nihil nisi constantem asseuerationem significat. Quare Vatablus lingue

N 3

sancta

Verbi Dei custodia facit magis perfectum, sed non magis honoratum.

In lib. de S. Virgin. cap. 3.

1. Reg. 20. 3.

In Lucam li. 4. cap. 49.

Tract. 10. in Euang. Iean.

Caluinus textum corrumptit.

In festo Visi-
tat. B. Virg.

Sanctæ peritissimus, illud *Quinimò*, vertit, & profecto: Cæte-
rum utcumque se hæc res habeat, B. Virginem Mariam
hoc ipso, quod Christum in utero gestavit, & mater Domi-
ni nostri esset, summo honore ac veneratione singulari pro-
sequendam esse, summæque dignitatis & excellentiæ
habendam esse non solum ex Scripturis iam allegatis,
sed præterea ex sapientissimorum Patrum elogiis manife-
stè constat, quæ in altera parte huius Promptuarii (iuxta edi-
tionem Antuerpianam) bono numero congesimus: quæ id-
circo hoc loco non repetimus.

Illud vnum hoc loco annotabimus, Beatissimam hanc
Virginem ex eo quod mater Christi fuit, hac maximè ex
causa maximo honore dignam prædicari, quia ut talis ma-
ter esset, & tanto filio concipiendo ac pariendo idonea, ma-
xima gratiarum vbertate donata, maxima totius vitæ puri-
tate imbuta, & altissimum perfectionis gradum euecta fue-
rit: quum dubitari nequeat, Deum qui ad tam excellentem
finem illam ordinauerat, media quoque suppeditasse, quæ ad
talem finem vlllo modo desiderari possent. Quare quum ma-
trem Christi veneremur, & beatam esse prædicamus, quæ
filium Dei in utero gestavit, illam cum vniuersa illa
perfectione tantæ matri collatâ consideramus, & non ut
vulgarem matrem, quæ carne tantum gestârit, ad quod ge-
standum magis idonea non esset, quàm quævis alia mulier.
Quibus ita explicatis, Caluini hoc loco cauillationes quàm
inanes ac futiles, addo etiam impiæ fuerint, satis perspi-
cum euasit.

Sed op præcipuum erit, & ad pietatem Catholicam in
Beatissimæ Virginis debita veneratione fortius afferendam
ac defendendam accommodatum, ea etiam in hunc locum
conferre, quæ ad ipsum B. Lucæ Euangelium hac de re im-
pius iterum Caluinus disputat. Nihil enim certè illo impo-
store audacius, sed nihil etiam ineptius quum attentè ex-
cutiuntur quæ scribit. Ad eadem apud Lucam verba, *Beatus
venter qui te portauit.* &c. hunc in modum disputat. *Hoc in
loco extollere voluit mulier Christi excellentiam. Non enim Ma-
riam respexit, quum fortè nunquam viderat. Sed hoc non pa-
rum amplificat Christi gloriam, quæ utrum in quo gestatus est,
nobilitet ac beatum reddat.* Glossam hanc excogitauit Calui-
nus, ut plenius Catholicos argueret, qui hanc Euangelij par-
tem in honorem Beatæ Virginis & decantare & proferre
solent. Cæterum dum id facit, semetipsum maxima absur-

ditate

ditate inuoluit, & manifestæ impietatis conuincit. Si enim
his verbis Christi excellentiam extollere mulier voluit, nõ
respicendo matrem eius, sequetur iuxta Caluinum, ipso
Christo magis beatos esse, *qui audiunt verbum Dei, & custo-
diunt illud.* Vult enim illud. *Quinimò*, tantumdem valere, ac
Quin potius, ut iam audiuius: & hoc rursus in loco *corre-
ctionem esse* vult, & *obliquam reprehensionem*, qua mulieris im-
prud etiã à Christo taxatur. Aut ergo vox illa, *Quinimò*, cor-
rectio non est, aut qui verbum Dei custodiunt ipso Chri-
sto meliores sunt. Ab hac vel absurditate vel impietate ex-
pediat Caluinum quicumque; hodie potest Calvinista. Pergit
Caluinus, & quia ad matrem quoque Christi hæc mulieris
verba referri necessarium videbat, homo leuis, & qui certi ni-
hil quod dicat habet, subiungit. *Neque etiã negari potest quin
Deus Mariam filio suo matrem eligens ac destinans summo eam
honore dignatus sit.* Vide iam ut sibi ipsi contradicat. Si enim
Deus ipse Mariam summo honore dignatus est, hoc ipso,
quod filio suo eam matrem elegerit, quare Catholicorum
pietatem, qui summo honore matrem Christi, quia mater
eius est prosequuntur *ridiculã superstitionẽ* (ut supra vidimus)
vocauit? An ridicula superstitio est, illam summo honore
afficere, quam Deus ipse summo honore dignatus est? Hæc
igitur alia eius ineptia est, suique contradictio.

Ad dit Caluinus: *Christi tamẽ responsum adeo verbis mulier-
cule non subscribit, ut potius continuat obliquam eius reprehen-
sionem.* Imò, inquit, *Beati qui audiunt verbũ Dei.* Videmus ut ferè
pro nihilo ducat Christus, quod vnum extulerat mulier. Vide ite-
rũ quàm parum sibi coherentia scribat. Si mulier hîc à Chri-
sto obliquè reprehenditur, & ferè pro nihilo ducit Christus,
quod vnum illa in Maria extulerat: sequitur necessariò aut
falsum esse quod prius dixit, hanc mulierem in his verbis
Mariam non respexisse, quam fortè nunquam viderat, aut
ideo reprehensam muliere in fuisse, quia Christi excellentiã
hac voce extollere voluit. Deinde si transit nunc à Christo
ad Mariam, & quod prius dixerat, retractat Caluinus, quo-
modo rursus cum eo quod posterius dixit ista cohære-
bunt? videlicet, *negari non posse, quin Deus Mariam filio suo ma-
trem eligens summo eam honore dignatus sit?* Quomodo enim
reprehendi potuit mulier Mariã hoc nomine & hoc respectu
extollens, quo nomine & quo respectu summo illã honore
Deus dignatus est? Sed Caluinus ut Ecclesiã reprehendat, quæ
ad Beatæ Mariæ laudẽ hæc verba prolata fuisse iudicat, de

Caluinianæ
expositionis
absurditas.

Caluinus si-
bi. contradi-
cit.

Alia Caluini
contradictio

Luc. II.

Caluinus
homo au-
dax, sed ine-
ptus.

Christo non de matre eius illa mulierem dixisse affirmat, Mox tamen ut ipsam mulierem à Christo reprehensam probet, quam non fuisse reprehensam Patres citati docent, ad B. Mariæ laudem hæc dixisse mulierem ait. Ita dum vndique Ecclesiastici sensus reprehensionem incumbit, sibi ipsi variè contradicit.

Sed pergit adhuc in culpanda hac muliere, & ait. *Et certè quod præcipuum putabat Mariæ esse decus, alijs gratijs longè inferius erat.* Illud ex mulieris huius verbis probari non potest, quod præcipuum Mariæ decus esse putauerit, Christum in utero gestasse: si præcipuum decus pro summa perfectione accipias ut Calvinus hic accipit. Subiungit enim: *Maiores enim præstantia fuit, ut regentam esse Christi spiritum, quam Christi carnem utero suo concipere: Christum habere spiritualiter in se viuètem, quam eum uberibus lactare.* Hæc omnia quoad præstantiam & perfectionem inhærentem vera sunt, ut ante explicauimus: nec quicquam obstat, quo minus idem hæc mulier senserit. Saltem eius verba hoc non negant, sed beatam, id est, felicem, magnoque honore dignam eam pronuntiat, quod Christum in utero gestarit: de alterius generis præstantia nihil dicens. Sed Calvinus ista nesciens distinguere, subiungit. *Denique summa Sanctæ Virginis & felicitas, & gloria in ea sita fuit filij sui membrum esse, ut eam caelestis Pater inter nouas creaturas censeret.* Hic toto cælo errat Calvinus, non distinguens inter gloriam seu felicitatem quæ extrinsecum quid est, & in ipsis malis residere potest, & veram hominis præstantiam, de qua antea loquutus est, seu perfectionem inhærentem. Summa gloria, summus honor, summa dignitas & propria Beatæ Virginis erat, quod filij Dei mater esset, in qua dignitate & gloria nulla illis mortalis creatura comparari potest. Alia præstantia & perfectio ex diuini Spiritus donis & gratijs illi inhærentibus alterius generis est, & cum alijs Sanctis omnibus, tametsi non eodem excellentiæ gradu communis. Sicut de hac illa mulier nihil dixit, ita nihil tunc dicere necesse habuit. Illud prædicauit, quod vera laude & summo honore in alio genere dignum erat. Principium virorum maior est gloria, quam priuatorum, sed non semper maior præstantia virtus, perfectio. Illo nomine iure honorantur illi, hoc nomine coram Deo meliores sunt isti. Nonne dij in Scripturis vocantur, qui suo imperio tyrannicè abutebantur. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem deos diuisit.*

Caluini ignorantia.

Vsq̄quo

Vsq̄quo iudicatis iniquitatem & facies peccatorum sumitis? Frustra ergo hæc Caluinus hæc mulier verba de collaudata B. Maria intellecta exagitauit. Frustra etiam & insulse postea concludit: *Mirus verò Papatus stupor, quòd in Maria honorem cantillant hæc verba, quibus tam disertè refellitur eorum superstitio.* Quàm disertè & dexterè Calvinus hoc ostenderit, & quanto stupore Ecclesiam stuporis arguerit, ex iis quæ diximus, satis luculenter apparet. Homo varius & versipellis, & qui duplici graditur via (quod abominatur Scriptura) super huius dici Euangelium ad textum D. Ioannis, quem tractamus, studiosè affirmat mulieris huius verba B. Mariam respicere & in eius honorem prolata esse, idèoque à Christo reprehensam fuisse, quod solum sanguinis honorem in ea extulerit. Nunc verò textum D. Lucæ enarrans, eadem mulieris verba non Beatam Virginem, sed Christum respexisse affirmat, & nunc in conclusione stuporem Ecclesiæ obiecit, quòd in Beatæ Virginis honorem illa verba decantat. Ita dum Ecclesiæ stuporem obiecit rebellis spurius, ipsemet maiori stupori subiipsi contradicit. Nam hæc verba de Beatæ Virginis honore intellecta, ad præcipuam Beatissimæ matris Dei gloriã pertinere ita perspicuè ex diuinis Scripturis ostendimus, ut minus sit Caluini stupor, qui illud non aduerterit. Cæterum ita modis omnibus obstupesceri eum docuit, qui pro sua libidine sacrum Dei verbum data opera profanat.

Addit tandem & aliam accusationem. *In agendis verò gratijs muliercula vocem detorquent omissa correctione: Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Primum mentitur in agendis gratijs nos huius mulieris verba usurpare. Illa enim verba, de quibus loquitur, *Beata viscera Mariæ Virginis, quo portauerunt aeterni patris filium,* multò plus dicunt, quàm hæc mulier dixit, ut supra annotatum est, & potius ex aliquo Patrum desumpta videntur quàm ex huius mulieris verbis. Deinde etsi ad horum verborum, quæ clamauit mulier, imitationem, in agendis gratijs illa benedictio usurpetur, quæ tamen sequuntur, absque vllò piaculo omittuntur. Nam neque præcedentium correctionem illa sequentia in se continent, ut iam ostensum est, neque quicquam ad rem præsentem facit, ut in agendis gratijs, ubi Deum pro acceptis beneficijs benedicimus, laudamus, & de audiendo & custodiendo verbo Dei Christi præceptum adiiciatur. Christus inter con-

N 5 cionandum

Psal. 82.

Caluin' Ecclesiam stuporis arguit maiori stupore.

Eccli. 2.

cionandum illa verba dixit, & à concionatore verbi frequenter illa dici & inculcari conuenit. Omnia suum tempus & locum habens. Interferit adhuc Calvinus hoc loco aliam disputationem, vt mulieris verba quasi de Christo pronuntiata, & ad illum solum spectantia, à Christo reprehensa fuisse doceat. Sed hoc totum ad nihil aliud, quam ad maiorem huius hominis vertiginem & sui contradictionem manifestius conuincendam facit.

Feria. 4. post Dominicam Passionis.

I. Ego vitam aeternam do eis: & non peribunt
in aeternum: & non rapiet eas quisquam
de manu mea.

Locus hæc verba Euangelica à corruptela & deprauatione hæretica vindicandi, simulque certitudinem salutis nostræ ex quibus causis pendeat, contra certitudinem, quam ponunt hæretici, salubriter explicandi. Colligit ex hoc loco Calvinus semel Christo per fidem incorporeos, à salute excidere non posse. *Incomparabilis* (inquit) *fructus hinc fidei est, quod certos & securos esse non iubet Christus, quum fide in suum ouile sumus aggregati.* & paulo post: *Insignis locus, quo docemur non minus certam esse electorum salutem, quam inuicta est Dei potentia.* Inter has duas Caluini propositiones magnum discrimen est. Posterior quippe propositio vera omnino est & illa ipsa, quam Christus hic docet, *de omnibus suis, id est, de electis suis loquens, quæ audiunt vocem eius, & ille cognoscit eas, ipsæ quoque sequuntur eum.* Tales oues, tales electos nemo rapiet de manu Christi. Quia nimirum perpetuus eorum custos, adiutor ac defensor Christus est, *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Habet quidem Diabolus varias nocendi artes, habet & mundus: Ab vna quidem parte tyrannos armatos, præfectos, iudices, tribunalia, catenas, virgas, secures, eculeos, exilia, mortes, (quæ omnia & singula tormenta experiri sunt hodie sancti in persecutione

Ioan. 10.

In comment.
ad hunc locum.

Sap. 1.

tione Anglicana) & quicquid præterea constantibus animis terrorem solet immittere. Habet ab altera parte voluptates, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. De qua mundi corruptela ait quædam Scriptura: *ecce in pace amaritudo mea amarissima: quod alibi latius exposuimus.* Sed contra hæc omnia & alia quæcunque electorum saluti insidiantia, stat *turris fortissima nomen Domini*, & quod Christus hic dicit, *Nemo rapiet eas de manu mea.* Itaque posterior Caluini propositio verissima est, & præsentis Euangelio conformis.

Sed verò prior Caluini propositio nec cum Christi hoc loco verbis, nec cum tota Euangelica doctrina aliquid commune habet. Nec Christus hic docet, nec vlla Scriptura affirmat, fidei hunc fructum esse, quod semel Christo per fidem aggregati certi ac securi esse iubeantur. Imò vna illa Scriptura Apostolica manifestè contrarium docet, quæ Paulus, gentiles credentes alloquens dicit: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Si timere debet qui fide stat, certè cum illa sua fide qua stat, securus & certus esse non potest. Quid enim securitati magis repugnat, quam timor? Sed quare timere debet? Audiamus Apostolum. *Si enim Deus naturalibus ramis non peperit, ne forte nec tibi parcat: id est, Si Deus populo Iudaico qui semel stetit, & propter carnalem propagationem de semine credentis Abraham, quædamque fidei principia, & eloquia Dei apud illos deposita, in propinqua potentia ad firmiter standum, Christoque venienti credendum erat (vt sapienter differit August.) tamen propter incredulitatem non peperit, vide ne & tibi utriusque iam insertus in oliuam es per fidem, & socius radicis ac pinguedinis factus, id est, omnis diuinæ gratiæ particeps, quæ Christo per fidem incorporatis dari solet, propter tuam quoque incredulitatem, si in eam incideris, Deus quoque non parcat. Si enim illi propter incredulitatem fracti sunt, tu qui iam fide stas, noli altum sapere, noli tibi hoc nomine placere, noli aliis iacentibus insultare, sed time, id est, iterum atque iterum caue, ne & tu excidas à fide, ac propter incredulitatem fragaris. Vide ergo (ait Paulus hæc causam studiosissime persequens) bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Quid clarius, quid disertius contra Caluini hoc loco paradoxum, omniumque hodie hæreticorum commune cum eo in hac parte demeritum, dici aut disputari potuit? Dicit Calvinus,

Esai. 38.

Proverb. 18.

Certitudo
gratiæ, quam
ponunt hæretici,
Scripturis repugnat.

Rom. 11.

De Doctrin.
Christ. lib. 3.
cap. 6.Calvinus
Paulo contradicit.

Qui

Qui fide in Christi oule aggregatus est, certum ac securum esse iubet Christus. Dicit Paulus. Qui fide stat (quod plus est, quam fide aggregatum esse) timeat, ne & ille excidatur. An Paulus Christo contrarius est? An facilius non est Calvinum mentiri, quam Paulum Christo contrarium esse?

Atqui Christus dicit de ouibus suis. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Dicit hoc quidem Christus, sed de illis ouibus suis, quæ per electionem & prædestinationem æternam tales sunt: non de omnibus Christi ouibus, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, qui fide stant, & adhuc à fide excidere possunt. Sunt oues Christi veri credentes, veri coram Deo iusti, & iustificati & sanctificati, qui postea desinunt esse tales. Non credit quidem hoc Calvinus, & quia certitudinem gratiæ & salutis, quæ ex fide talis sit, ponere vult, talis autem certitudo constare nobis in hac vita non potest, nisi ex fide semel accepta constet, (fides enim Calviniana, & firma persuasio diuinæ benevolentia ita concipi potest, vt de ea concepta constare videatur) vult omnino hanc fidem semel acceptam excidere non posse, sed ex ea, eiusque beneficio certos ac seruos nos esse debere. Sed contradicit illi Apostolus, qui iubet timere, & hoc ipsum timere, *ne & tu excidaris*; & propter hoc ipsum timere, quia fidem deserere aut abiicere potest. Ait enim: *Si permanseris in bonitate.* Ex quo verbo duo sequuntur. Primum quod bonus erat, cui loquitur, deinde quod ab ea bonitate excidere potuit. Neque enim permanet in bonitate, nisi qui prius bonus fuit: neque dici alicui, nisi admodum ridicule potest, *si permanseris*, qui indubitate permanebit, aut qui cadere omnino non potest. An dici iam sanctis in cælo regnantibus, nisi admodum ridicule potest, videre in vobis bonitatem Dei, si permanseritis in bonitate, alioquin & vos excidemini? Calvinus enim, & tota secta Calviniana tantam in illis, qui semel fidem acceperunt, salutis certitudinem ponunt, vt de ea accepta nunquam excidere queant, non magis sanè quam beati in cælo de accepta beatitudine. Volunt enim hanc certitudinem de fide esse. Fidei verò tanta certitudo est, vt non solum falsum illi non subit, sed nec subesse possit: non solum non fallat, sed nec fallere queat: ideoque de quo ex fide certi sumus, tam certi & securi de eo sumus, quam de sua beatitudine beati in cælo. Hoc suum insanum paradoxum Calvinus, quod in Institutione sua longa disputatione stabilire conatur (quam olim ex parte refutauimus) ex

Luc. 8.
Rom. 11.
Iusti possunt
à iustitia excidere.

De Iustific.
lib. 8. cap. 24.
& seqq.

his

his Christi verbis confirmare voluit, *Oves meas nemo rapiet de manu mea*, quæ verba de solis electis intelligenda sunt, non de quibuscunque & omnibus Christi ouibus: inter quas multæ sunt, quæ ex propria incredulitate, excidentibus à prima fide, in qua stabant, rapi se à diabolo passæ sunt, vt iam ex Apostolo ostendimus.

Qui autem oues electæ sunt, qui non sint, non ex fide semel accepta iudicari debere, sed ex fidei perseverantia constare oportere tum Apostolus in verbis citatis, tum Christus aperte docuit, dicens. *Qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hæc autem perseverantia vsque ad cursum consummatum omnes latet, tam electos quam reprobos. Propter hoc dicitur. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Propter hoc ait etiam ipsis electis Apostolus. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Quis enim dubitat quin inter Philippenses, ad quos scribit, aliqui electi fuerint? Propter hoc rursum ad Hebræos idem ait Apostolus. *Timeamus, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Hortatur ne quum Iudæi per incredulitatem perierint in deserto, nec in terram promissionis introire potuerint, vt nos quoque timeamus & solliciti simus, (quod Calvinianæ securitati ex diametro contrarium est) *ne relicta*, id est, neglecta & obliuioni tradita vitæ cælestis promissione, existimetur aliquis deesse, id est, ita se gerat, vt videatur deficere aut defecturus in via. Hanc enim ob causam dixit Beatus Petrus eodè spiritu quo Paulus. *Cui præsto non sunt hæc*, id est, qui cum fide & cognitione Christi varias illas virtutes non habet, quas ibi enumerauerat, *cæcus est, & manu tentans*, id est, verè adhuc Christum nescit, per incerta & vaga seu mundi seu carnis desideria ambulans, *obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, id est, accepti in baptismo beneficii, & hæreditatis cælestis, in quam ibi adoptatus fuit, penitus oblitus. *Quapropter fratres magis satagite*, id est, in hoc imprimis & diligenter incumbite, *vt per bona opera fidei & vocationi vestræ adiuncta, certam vestram vocationem & electionem faciatis*, id est, vobis ipsis & aliis quasi certum & firmum appareat, vos à Deo ad fidem vocatos, & ad gloriam electos esse. Nam & inter multos verè vocatos pauci electi, & ipsa aliquando vocationis non nisi ficta & hypocritica fuit. Sed bonorum operum studium fidei adiunctum vtrique certitudinem adfert: studium inquam perseveranter adhibitum, vt aliæ Scripturæ

Oves electæ
vnde constare
possunt.

Matth. 24.

1. Cor. 10.
Philip. 2.

Hebr. 4.

Electio-
nis argumētū
non fides sed
perseverantia.

2. Petr. 1.

Matth. 20.

docent.

docent. De qua perseverantiam quum nemo adhuc in cursu suo certus ac securus esse possit, impiè affirmant hæretici, solius fidei hunc fructum esse, vt illa nos certos ac securos reddat, vt hîc Calvinus affirmat.

Caluini criminario mē-
dax.

Subiungit enim paulo post, non tam contra Catholicos hodie, quam contra doctrinam Apostolicam iam prolatam, & ait. *Hinc etiam colligimus, quàm insana sit Papiſtarum fiducia, quæ in liberum arbitrium, in virtutem propriam & operum merita recumbit.* Vocat nefarius impostor *liberum arbitrium & virtutem propriam*, quæ nec liberi arbitrij solius, nec virtutis propriæ opera, sed liberi arbitrij diuina gratia adiuti, & virtutis non humanæ, sed diuinæ opera sunt. Talia bona opera, & talium operum merita ponūt Catholicici, nec tamen sic ponunt, vt *in illa recumbant*, quod iterum impostor mendax affirmat, sed vt iuxta Diuum Petrum *per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant.* Non confidunt in meritis Catholicici, sed *in Domino confidunt*, qui operatur in illis & velle & operari pro bona ipsius voluntate, sancto que beneplacito. Insanam illam fiduciam, qua in solam fidem recumbit Calvinus, & quam ex hoc Euangelio, veluti ex dulci flore venenum, haurire voluit, Scripturæ a nobis citatæ luculenter refutârunt.

2. Petr. 1.

Philip. 1.

Imò si rectè aduertimus, in hoc quoque Euangelio Christus illam refutat. Ait enim de ouibus suis: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Audire Christum hoc loco, est ei credere & obedire. Alioqui audiebant illi externo auditu, qui oues eius non erant. Has oues cognoscit Christus, id est, amat, & gratas habet. Istæ quoque oues *sequuntur Christum*, id est, mandatis eius obediunt, *Qui enim sequitur me* (ait alibi Christus) *non ambulat in tenebris*, id est, non facit opera tenebrarum, quæ sunt opera Diaboli principis tenebrarum. Aliud enim est, esse in tenebris, quod illorum est, qui D E V M ignorant, & fide recta carent: Aliud ambulare in tenebris, quod operationem significat malam & impiam. *Qui enim malè agit, odit lucem*, amat tenebras, & ambulat in tenebris. Qui autem oues Christi sunt, & sequuntur illum, tanquam *filij lucis ambulant in dilectione: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Abijciunt opera tenebrarum, & induuntur arma lucis, sicut in die honestè ambulantes.* Oues igitur Christi, & sequentes illum optimè sciunt, non ex sola fide certos & securos de salute se esse posse, sed rotius vitæ puritatem præterea

Ioan. 8.
Fides sola
nō facit ouē
Christi.

Ioan. 3.

Ephes. 6.
Rom. 4.

esse

esse amplectendam, vt *si cor eorum eos non reprehenderit, habeant fiduciam apud Deum.* Non satis habent fide fuisse aggregatos ad C H R I S T V M, vt securi sint de salute, sed ad tantam fiduciam concipiendam, sequi se Christum debere, opera tenebrarum fugere, cor irreprehensibile habere, *ambulare in iustificationibus Domini sine querela*, optimè norunt. Neque ita tamen certos & securos de fide esse, sed fiduciam bona spe plenam concipere se posse ex Scripturis didicerunt. *Domus Christi sumus nos*, (ait Paulus) id est, ad Christi ouile pertinemus, *si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Sed hæc fiducia & gloria spei in quo fundetur, paulo post aperit dicens: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Neque verò hæc eò tantum dicta sunt, vt tantquam boni filij Deum Patrem non offendamus, nosque non ingratos acceptis beneficiis demonstremus, per quam rimam elabi conatur Calvinus, sed præterea, ne D E V M Patrem offendentes à salute promissa vel etiam dari cœpta excidamus. Quod his verbis D. Petrus docet. *si patrem iuratis Deum qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore inuolatus vestri tempore conuersamini.* Docet Deum Patrem non secus filios castigare quam seruos & à prima vocatione relapsos sine acceptione personarum iudicare, idèoque cum timore diuini iudicij in hac peregrinatione nostra viuendum esse. Hæc omnia fiduciam Calvinianam, quam ex hoc Euangelio stabilire voluit penitus subuertunt.

Et videte quàm hæc Calviniana doctrina scelerata & impia est. Theodorus Beza Calvinii Geneuæ successor, in sua fidei confessione, quam vocat, ita scribit. *Affirmo eum qui vel semel tota sua vita senserit certum veræ fidei testimonium securum esse debere de ea non modò permanente, sed etiam permansura ad finem vsque, tum quoque quum ea tempora inciderint, quibus abesse penitus veræ fidei testimonium videatur.* Hæc ille. Veræ fidei testimonium vocat; bona opera sanctificationis nostræ per Spiritum S. effectus. Hoc testimonium penitus abesse censet, quando in horrenda peccata incidunt electi, sicut Dauid adulterium atque homicidiū perperrans, ac Petrus Christū negans, quos pro exèplo in medium adfert, & ait illos *quum sic scdissimè lapsi essent, incubuisse veluti anchora illi testimonio quod Spiritus S. testabatur ipsorum Spiritui: eos nimirum quamuis scdissimè lapsos, tamen in numero filiorum*

Dei

1. Ioan. 3.

Luc. 2.

Hebr. 3.

Instit. lib. 3.
cap. 2. nu. 26.
Caluini rima occluditur.

1. Petr. 1.

Cap. 4. sc. 20.

Certitudo
hæretica
quàm scelerata & flagitiosa.

Dei censeri, ac proinde remissa esse illis peccata Hęc ille ibidem. Hęc est ergo fides & fiducia Calviniana. Vt certus & securus sis te quem esse Christi, & ex numero electorum, quos nemo rapiet de manu eius, satis esse si semel in tota vita veræ fidei testimonium, videl. bonum aliquod opus & sanctificationis effectum in teipsum sentias. Talis enim vera fides qua sola iustificaris, ad finem vsque permanebit, etiam tum quando fœdissimè lapsus fueris. Adhuc enim testabitur tuo spiritui Spiritus Sanctus, quia semel hoc testatus est, te esse filium Dei, & proinde remissa tibi esse peccata. An vlla esse potest magis epicurea, magis impia & athea sententia quàm hæc est? Si enim vel semel in tota vita cum recta in Christum fide, eiusque pro te beneficia ac promissiones suauiter recolens, aliquod opus bonum ac sanctum præstiteris, puta semel orationem Dominicam deuotè recitaueris, aut vnam pauperi elemosynam propter amorem Christi erogaueris, omnia tibi salua ac tuta sunt, nec nisi salua esse possunt. Tamen si cum Dauide adulteres, aut cum Petro Christum neges, aut cum Beza Candidam simul & Audebertulum in tuo sinu foueas, certus es de salute, certus es de remissis tibi peccatis: certus es te esse filium Dei, & hoc Spiritus Sanctus tuo spiritui testatur. Te adulterum Spiritus Sanctus filium Dei esse dicit. Nec gemitus Davidis, nec lachrymæ Petri necessaria tibi sunt. Semel fuisti filius Dei per fidem & Spiritum sanctificantem. Dubitare nõ debes quin huiusmodi semper permaneas etiam fœdissimè lapsus. Hoc certè iam non mysterium iniquitatis est, sed voces illius sunt, qui hoc mysterium operatur, qui *homo peccati & filius perditionis* ab Apostolo vocatur, voces Antichristi sunt. Quid enim ille homo peccati ad peccati regnum stabilendum aptius & accommodatius adferre poterit, quàm hæc doctrina adfert? Quid filius ille perditionis ad perdendas animas efficacius proferret, quàm quod iste Calvinista protulit? Bellis tamen, vt tibi videtur, similibus doctrinæ suæ turpitudinem fucare, & imprudentis lectoris oculos perstringere conatur. *Qui colligunt* (inquit) *falsam esse fidem nostram, quia certò tempore eius effecta non apparent, perinde argumentantur, ac si quis colligeret nullum esse verum ignem ubicunque nulla flamma collucet, vel hyeme non viuere arbores, quoniam nec folia, nec fructus edunt.* Atqui non hic agitur de effectis fidei aliquando non apparentibus, sed de effectibus veræ fidei, in sensu Bezae, id est, fidei cum vitæ sanctitate coniunctæ planè contrariis, eamque

penitus

Doctrina
Bezana e
schola Cal-
uiniana.

2. Thess. 2.

Vbi supra.
Epicureæ
doctrinæ
quam tradit
Beza argu-
menta.

penitus tollentibus. Ignis ardere potest sine flamma, sed non ardet extinctus. Arbor in hyeme viuit sine foliis, & fructu, sed nõ viueret si stirpitis euulsa iaceret. Adulter, homicida, abnegans fidem, dum hos actus exercet, Spiritum Sanctum in se penitus extinxit. *Neque enim habitat in corpore subdito peccatis*: est arbor radicitus euulsa, quia *charitatem non habens*, quæ radix salutis est, apud Deum *nihil est*, dicente Apost. *si charitatem non habuero, nihil sum.* Deinde non de momentaneo bonorum operum defectu, aut etiam in graue crimen prolapsu hic agitur, sed de perpetua (vnico tantum per totam vitam excepto pietatis actu) flagitiosæ vitæ impuritate. Cum illa enim stare salutem posse ac certò stare Beza vult. Alia adhibet similia non minus inepta vel insana potius. Nam post illa fœdissima verba, primo loco à me citata, subiungit. *Neque enim infans recens natus idcirco non est præditus anima rationis particeps, quòd nullum eius usum experiat, neque ebrium hominem dicimus ratione & intelligentia spoliatum, etiam si neque mens neque pes in eo officium facit: neque vitalis omnis facultas eum deseruit, qui est ad tempus mortuo quàm vino similior.* Hęc ille, quasi de eo fideli ageretur, qui ab opere bono interdum cessaret, nullum interea crimen perpetrans: in quem tamen nec ista similia per omnia quadrarent, quod latius hic explicare extra propositum esset. Atqui Beza suum electum fidelem, qui semel tantum in vita veræ fidei testimonium in se senserit, nec vt infantem sine usu rationis fingit, nec vt hominem ebrium ponit, qui ad tempus nescit quid faciat, nec vt aliquem qui apoplexia tactus mortuo similior quàm viuo ad tempus appareat describit, (nec enim in tota vita tanto stupore suos electos affici dicere volet) sed in suo fideli & electo ponit fœdissimos lapsus, quales David & Petrus perpetrarunt, qui bene vigiles suisque compotes ea commiserunt, & quales tota vita homines, scelerati committunt, nec veluti ebrij, nec veluti infantes, nec veluti mortui, sed ad actiones impias, quas proferunt vigilantissimi, astuti, seduli, viuaces nec in eis ad tempus, sed per totam vitam (vnico excepto pietatis actu) persistere ponit.

Nempe volunt Calvinistæ electi Dei, quum eos rapere, furari, sacrilegia, rapinas committere videmus, quum scortari, inebriari, occidere, mentiri, fallere, omnem denique siue in Deum impietatem, siue in homines iniustitiam exer-

sapiens. 2.

1. Cor. 13.

Caluinistæ
quales filij
Dei esse vo-
lunt.

O

cere

cere cernimus, vt toto illo tempore eos pro filiis Dei iustis & sanctis coram Deo nihilominus habeamus, ea verò qua perpetrant, quasi somno cuidam & cecasi, qua correpti interea sunt, tribuamus. Lepidi homines dum opera diaboli faciunt, filij Dei esse volunt.

Beza ubi supra.
Epicuream suam doctrinam quo fucò honestat Beza.

Vnum adhuc simile profert Beza, quod dissimulandum non est. *Sciant* (inquit) *isti qui hanc doctrinam oppugnant, quasi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, se non aliter id colligere, quam si dicerent homines instrui ad abstinendum à cibo & potu, vel ad ortum institui, quam certum esse ac præfixum vitæ nostræ terminum affirmamus, qui præteriri non poterit. At verò quam ista collectio alteri sit dissimilis, statim apparebit. Qui dicit certum esse cuique vitæ suæ terminum à Deo præstitutum, non docet cum à cibo & potu abstinere, quia media illa nota & necessaria quum hoc dicit non tollit. Imò quia terminus cuique talis vitæ est, nec sine cibo & potu transigi vita potest, certum & indubitatum est, eum qui vitæ terminum præscripsit, pariter facturum vt vsque ad illum terminum alimentum victuro non deficiat. Sic dicunt sanè Catholici omnes saluandos, ad ipsam salutem ab ipso Deo infallibiliter prædestinari. Sed dum hoc dicunt, pariter docent huius diuinæ prædestinationis effectum, non solum vitam æternam, sed ipsa quoque media esse, quibus ad eam peruenitur: Nempe fidem, charitatem, aliæque pietatis opera, sine quibus vita æterna adultis & operandi tempus habentibus non datur. Docent quoque impios in impietate finaliter perseverantes de numero huiusmodi prædestinatorum esse non posse. Et ad hanc quidem sanam & orthodoxam doctrinam similitudo à Beza allata optime quadrat: neque ad peccandi licentiam illa aditum patefacit, sed totius pietatis ac sanctitatis necessitatem in omnibus prædestinatis ponit. At verò Bezana doctrina à simili proposito longissimè abest: & vt in eadem materia maneamus, hæc eius recta & genuina similitudo est. Quemadmodum qui alicui diceret, Charissime, vitæ tuæ terminus à Deo præscriptus est, qui præteriri non poterit. Quare sine cibo & potu continuo vtaris, siue non vtaris (modò semel in vita illis vsus fueris) ad illum vitæ terminum certissimè peruenies, iste haud dubiè eum ab abstinentia cibi & potus reuocasse, & interitus corporis qui inde necessario sequeretur causa fuisse, merito iudicaretur; sic omnino*

Theodor.

Theodor. Beza & tota Schola Calviniana, quæ sic Christianum alloquitur, dilectè frater si vel semel in tota vita tua senseris te vita gratiæ viuere, & veræ fidei testimonium habere, opera videlicet bona & sanctificationis tuæ fructus, certus sis & securus te illam fidem perpetuò habituram vsque ad finem vitæ, ideòque saluandum, vtcunque illius fidei fructus & testimonia per reliquam vitam non appareant, per hanc impiam doctrinam ad peccandi licentiam aditum patefaciunt, & electorum suorum peccata nihil illis ad salutem obesse, quia vel statim remittuntur, vel non nisi quasi dormientes illa perpetrarunt, impiè docent: ideòque illis qui hanc eorum doctrinam amplectuntur æternæ perditionis causam dedisse merito censendi sunt.

Et ad hoc quidem certissimum æternæ perditionis præcipitium Calviniana & Bezana præsumptio necessario trahit. Cuius tamen apertam temeritatem, ipsius Caluini alia disputatio manifestam facit. Disputans ille contra fiduciam specialis auxiliij diuini, in his qui castitatem vouent (quos ideo ait temere vouere, quia de dono illo certi & securi esse non possunt) sic scribit. *Non est quod causentur se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Quum enim Deus non omnibus dare pronuntiet, (hoc enim ex eo consequi putat, quod Christus dixit, Non omnes capiunt verbum hoc) fiduciam specialis doni concipere nostrum non est.* Atqui eodem modo multòque verius contra hanc certitudinem peculiaris electionis, quam statuit Calvinus, nos arguimus. Non est quod causetur Calvinus, Beza, aut alius quibus illorum pessimo fermento deprauatus, se non nisi diuinæ beneuolentiæ promissionibus fretos, *indubitatum salutis expectationem præsumere* (sunt verba Caluini) & hanc *electionis suæ particularis certitudinem audacter sibi vendicare*, vt Beza loquitur. Quum enim disertè dixerit Christus, *non omnes vocatos esse electos*, nec omnes *ingredi angustam portam qua ducit ad vitam*, imò contra *paucos tales esse*, hanc indubitatum salutis expectationem præsumere, aut hanc particularis electionis fiduciam animo concipere, nec concipere tantum, sed & firmissimè sibi persuadere, profectò multo minus nostrum est. Hæc, vt dixi, Caluini disputatio, certitudinem hanc, quam ponit, manifestè subuertit.

Est tamen longè alia ratio in concipiendo fiduciam doni

Instit. lib. 4. cap. 13. nu. 17.

Calvinus à seipso refutatur.

Instit. lib. 3. cap. 2. nu. 16.

Matth. 20. Matth. 7.

Castitatis
donum non
vanè præsu-
mitur.

2. Pet. 1.

Galat. 5.
Rom. 5.

Rom. 8.

Salutis con-
ditiones
nullas ad-
mittunt hæ-
retici.

De Corrupt.
& grat. c. 13.
Electionis
certitudo
in hac vita
nulla.

castitatis, quam in præsumendo donum electionis particu-
laris. Ratio enim cur omnes non capiunt donum castitatis,
ex bona parte in nobis ipsis est, quia nolumus hoc donum
habere, non adimus Dominum precibus, vt illud nobis lar-
giatur, non alia media adhibemus, quibus illud vel impe-
trari, vel conseruari potest, vt ad illa Christi verba alibi con-
tra Calvinum disputauimus. Ratio cur non omnes electi
sunt, in solo Deo est, qui pro suo beneplacito elegit quos
ipse voluit ante constitutionem mundi, nec in nostra pote-
state vlllo modo est, vt de numero electorum sumus, si ex eo
numero in diuina electione non sumus, tamen vt inter ele-
ctos eius deputemur, & cum electis ab eo coronemur, no-
strum omnino sit omnem operam legitime certando dare,
& nostram electionem per bona opera certam facere, certam di-
co non Deo, sed nobis: quia certum ex diuinis Scripturis est
eos qui mala agunt regnum Dei non possidere, & nisi qui legi-
time certauerit neminem coronari. Quæ tamen tota certitu-
do nostra, spei est, non fidei: *Gloriamur in spe gloria filiorum
Dei: quæ gloriatio tunc firma & certa est, quando id quod
sequitur in nobis locum habet: Non solum autem, sed & glo-
riamur in tribulationibus. Si enim compatimur & conglorifica-
bitur.* Sed nullas conditiones admittunt hæretici. Certi &
securi esse volunt. Non est illis satis anchoram spei firmam
tenere, quam Deus proposuit timentibus eum. Nouos sibi
certitudinis fidei funes fabricauerunt: sed quibus suffocantur,
non sustentantur, & qui laqueus ad ruinam sint, non solatia
ad salutem. Diuinæ electionis certitudinem & nullam esse
in hac vita, & optimis ex causis nullam esse debere, sapien-
ter docet his verbis Sanctus Augustinus. *Quis ex multitudine
fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero præ-
destinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc
loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanae angelum ne
extolleretur tantus colaphisaretur. Apostolus. Hinc & Aposto-
lis dicebatur, Si manseritis in me, dicente illo qui utique illos
sciebat esse mansuros. Et per Prophetam: Si volueritis & audie-
ritis me, cum sciret ipse in quibus operaretur & vellet. Et similia
multa dicuntur propter huius utilitatem secreti, ne forte quis
extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum oc-
cultum est quò perueniant. Propter huius ergo utilitatem secre-
ti credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono
perseuerandi vsque ad finem, in fide quæ per dilectionem opera-
tur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iustè viuere, &*

postea

postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat
auferri. Quorum si nemini contigisset, tam diu haberent homi-
nes istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis oppri-
mitur, donec ad Christi gratiam qua piè viuitur, peruenirent:
deinceps iam securi nunquam se ab illa casuros. *Quæ præsum-
ptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmi-
tas vt superbiam possit generare securitas.* Hæc Augustinus.
Quæ omnia contra Calvinianam præsumptionem pluri-
mum valent. Tamen enim Calviniana securitas super-
biam non generat, de qua Augustinus loquitur, nempe de
vitæ puritate & sanctitate, quam Calvinus non requirit, ta-
men aliam superbiam generat multo deteriore, nempe
qua præsumit homo totus impius se esse filium Dei pro-
pter solam fiduciam diuinæ benevolentiae. Si enim ad ela-
tionis vitium opprimendum necessarius est perpetuus ti-
mor, & peculiaris electionis ignoratio, quanto magis ad
tam impiam præsumptionem opprimendam idem necessa-
rium erit? Si quos certò constabat Christo electos esse,
eosdem ad perseuerantiam fidei & charitatis hortatur Chri-
stus (hoc est enim manere in Christo) quanto magis quos
ex nulla reuelatione constat electos esse, se ipsos perpetuò
hortari & sollicitè contendere debent vt maneat in Chri-
sto, non fide tantum & fiducia, sed charitate & faciendo vo-
luntatem eius? Sed contra hanc execrandam securitatem &
certitudinem electionis particularis, quam ex hoc Euange-
lio stabilire Calvinus voluit, propter illa Christi verba. *Ne-
mo rapiet oues meas de manu mea,* quum alia innumera vti-
liter dici & adferri possent, his paucis contentus ero: tum
quia hæc pauca pro concione fortasse sufficient, tum quia
de hoc argumento latius alibi disputauimus.

2. Pater & ego vnum sumus.

Locus utilis populum fidelem admonendi, quàm im-
pius seductor Calvinus fuerit, qui præter huius tem-
poris hæreses ab eo studiosissimè defensas, etiam veteribus
hæresibus ab ipso met (saltem verbo-tenus) damnatis fe-
nestram aperiat, & hoc quidem in loco Arianæ hæresi ma-
nifestè patrocinetur. Quum enim hæc verba *Pater & ego
vnum sumus,* tum ex ipsa contextus consequentia, tum ex
doctissimorum & vetustissimorum Patrum expositionibus,

In opere de
Iustificat.
lib. 9.

Calvinus
hæresi Aria-
næ resuscitan-
dæ fenestram
aperuit.

In com. ad
hunc locum.

1.

Ioan. 10.

2.

Ioan. 14.

3.

vnitatem substantiæ & existentia diuinæ in Christo cum Deo Patre luculenter doceat, impius Calvinus, & rem ipsam hoc loco negat, & veteres Patres disertè reprehendit. Sic enim in hunc locum scribit. *Abusi sunt hoc loco veteres vt probarent Christum esse Patri ὁμοῦσιον, consubstantialem. Neque enim Christus de vnitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet: quicquid scilicet geritur à Christo, Patris virtute confirmatum iri.* Sic iterum quum Iudæi propter hæc Christi verba melius intellecta quam intelligere voluit Calvinus, dicerent eum blasphemare, quia cum homo esset faceret seipsum Deum, Christusque eorum intelligentiam non corrigeret aut reprehenderet, sed comprobaret & confirmaret dicens, *Si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre, (ad quæ verba statim quærebant eum apprehendere, quasi iterum repetentem se Patri æqualem esse.) hæc rursus verba luculentissima in fauorem Arianæ hæresis deprauat Calvinus, dicens. Idem repetit Christum quod supra alijs verbis dixerat: Ego & Pater vnum sumus. Pater, inquit, in me est, hoc est, diuina virtus se in me profert. Et ego in Patre sum, hoc est, nihil ago nisi auspicijs Dei, ita vt mutua sit inter me & Patrem coniunctio. Neque enim hic de essentia virtute sermo habetur, sed de manifestatione diuinæ potentia in Christi persona, vnde constabat diuinitus missum esse. Hæc ibi. Eodem adhuc modo eademque impietate, eadem CHRISTI verba in postremo ante passionem sermone studiose repetita, vt discipuli eum id crederent esse quod erat, Deum verum Deo Patri æqualem, deprauat iterum Calvinus. Dicenti enim Philippo, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. respondit ei Iesus, Philippus qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quod ego in Patre & Pater in me est? Et rursus. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Hæc verba (ait Calvinus) non ad diuinam Christi essentiam refero, sed ad modum reuelationis. Nec simpliciter disputat Christus quid sit in se, sed qualis debeat agnosci à nobis. Virtutis potius quam essentia elogium est. Hæc ille ibi. Luculentissima diuinæ Scripturæ verba, quibus CHRISTVS verus Deus & Patri quoad substantiam æqualis probatur, & contra impios Arianos à doctissimis Patribus probari semper solet, homo procax & superbus, vel vt Arianæ hæresis fenestram aperiret nouam, vel vt præter ac supra*

veteres

veteres cruditissimos ac sanctissimos Patres aliquid singulariter sapere videretur, penitus deprauat.

Et prima quidem ex ipso contextu, de vnitate substantiæ & non voluntatis Christum dixisse, Ego & Pater vnum sumus, ipsa causa dicendi manifestè docet. Quum enim electos vocasset oues suas, & se eis vitam æternam dare affirmasset, addens quoque quod nemo raperet eas de manu eius, quia hæc omnia diuinæ solius potestatis essent, ideoque Iudæi hæc à Christo nimis arroganter dicta videri possent duplici argumento potestatem suam confirmat. Primum, quia vt homo à Deo Patre summam, potestatem, ipsamque diuinitatem naturæ suæ humanæ hypostaticè coniunctam accepit, Pater meus, inquit, quod dedit mihi maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris: Vbi intelligitur conclusio: ego nec de mea: Alterum argumentum est, quia ipsemet Deus quoque est, & eiusdem cum Deo naturæ ac potestatis. Propter quod dicit. Ego & Pater vnum sumus. Sic hunc locum tractat diuus Basilius libro primo contra Eunomium. Eodem modo interpretatur Ambrosius libro tertio capite decimo octauo de Spiritu Sancto, & de fide libro primo capite primo. Chrysostomus quoque homilia sexagesima in Ioannem, vbi notat optimè inferri. Si vnus sunt potentia & virtutis, esse etiam vnus & eiusdem substantia. Quare hunc in primis locum opposuerunt Patres Arianis, vt Filium Patri nec ὁμοῦσιον, nec ὁμοῦσιον, sed ὁμοῦσιον, id est, nec similis tantum naturæ (vt olim Eunomius) nec simul habentem essentiam, quasi radicalem ac primatiuam à seipso, (vt hodie Calvinus) sed consubstantialem, siue eiusdem planè substantiæ cum Patre, id est, à Patre, non à seipso, quia Dei filius est. Sic Athanasius serm. 4. contra Arianos, & aliis multis in locis, & Hieronymus ad Esaiam capit. 6. Glossa autem Caluini, quod de consensu voluntatis, non de vnitate essentia Christi illa verba dixit, ipsissima fuit Arianorum euasio, vt refert Augustinus, eamque refellit contra Maximum Arianorum Episcopum libr. 2. capit. 12. & libr. 3. cap. 22. Hanc sanè ob causam noui hodie Ariani in Transilvania & Polonia, in publica disputatione cum ipsis Lutheranis & Calvinistis habita, circa huius loci sententiam Caluinum Iudicem appellarunt, & ab ipso Caluino Arianam se accepisse doctrinam professi sunt. Quare in Transilvania sicuti ex Catholicis fiunt Lutherani,

Refutatur
Caluini Arianismus.

Basilius.

Ambrosius.

Chrysoft.

Athanasius
Hieronymus.
Caluin. glossa.
Arianorum
euasio.

Anton. Posseninus de athenis hæreticorum:

Caluin. no-
uorum ho-
die Arianorū
magister.

In praef. Refu-
blasphemæ A-
polog. Danai.
Anno 1583. u

Alia Scriptu-
ræ loca in fa-
uorem Aria-
norum à Cal-
uino depra-
uata.

Iean. 5.

Cyri. lib. 2.
cap. 137. in
Ioan.

August. tract.
21. in Ioan.

Caluinus in
fauorem A-
rianorum
SS. Patres ta-
xat.

Ioan. 6.

ex Lutheranis Calvinistæ sic ex Calvinistis sūt noui Aria-
ni : & sicut Calvinistæ multa à Luthero se accepisse ostendunt, propter quæ deserto Luthero sua singularia dogmata ipse Zwinglius ac Calvinus orbi obtruserūt, sic Ariani multa se tam à Luthero quam à Caluino accepisse profitentur, propter quæ desert s vtrisque, Ariani esse malunt quam Catholici Christiani. Inter cætera autem hic vnus locus & alia à me citata tanto studio à Caluino deprauata hanc audacibus & impiis hominibus occasionem dedere. Quo nomine rectè & meritò Calvinistas accusat primarius quidam Lutheranus, Iacobus Andreas Smidelinus Tubingensis Academia, vt seipsum scribit, Doctor & Cancellarius : *Minimè (inquit) mirandum est ex Calvinianis in Polonia, Transsiluania, & Hungaria, aliisque in locis, quàm plurimos ad Arianismum, quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hæc Calviniana doctrina viam parat.* Hæc ille, citatis quibusdam Caluini in Christum blasphemis, & diuinæ Scripturæ deprauationibus. Vix enim apud Ioannem (qui diuinitatem Christi maximè astruebat propter ipsum Cerinthum, qui eam negabat) vllus locus est qui CHRISTVM esse Deum doceat, quem fermento Calvinus non corrumpat.

Præter loca superius citata, pauca adhuc adiiciam. Ad illa Christi verba, *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*, Patres reprehendit qui ex his verbis Christi diuinitatem astruunt. Dicitur enim Pater demonstrare filio omnia quæ facit, quia cognitionem quam habet filius, Pater dat. Communicat enim Pater filio scientiam cum essentia, & hoc est demonstrare: sicut filium discere à Patre, se videre facientem Patrem, est accipere cognitionem à Patre sicut & naturam. Sic hæc verba exponunt doctissimi Patres Cyrillus Alexandrinus, & Sanctus Augustinus in suis ad hunc locum commentariis. Sed hic bonus Calvinus magis Arianis fauens, quàm doctissimis Patribus deferens, ait. *Quam dura sit & coacta veterum expositio nemo non videt.* Quod autem ille adfert ita durum & coactum est, vt Christi disputationem qui se hic Deo æqualem ostendere voluit proflus inanem faciat. Simili arrogantiæ & impietate vitur in illis Christi verbis: *Hanc enim pater signavit Deus.* Causam illic reddit Christus non solum cur filius hominis cibum vitæ æternæ dare possit, sed etiam cur caro ista secundum quam erat filius hominis, cibus possit esse vitæ æternæ: quod v-

trumque

trumque in præcedentibus dixerat. Nempe quia *hunc Pater signavit Deus*, id est, huic homini pater velut sigillo diuinitatem impressit & vniuit. Sic hunc locum exponunt Sanctus Augustinus, Sanctus Hilarius, & Sanctus Cyrillus Alexandrinus, omnes hæreticorum sui temporis antagonistæ fortissimi, & Scripturarum interpretes diligentissimi. Sed horum sententiam in fauorem Arianorum rursus taxat Calvinus. *Perperam hunc locum veteres ad diuinam Christi essentiam torserunt, quasi signatus dicatur, quia character est & expressa imago patris.* Hæc est rursus hominis arrogantiæ qua Patres taxat, & impietas qua Catholicos contra Arianos exarmat, & fortissima diuinarum Scripturarum tela è manib. eripit. Sed non est hic impietatis eius finis aut arrogantia modus. Quum illa Christi verba, *Non possum ego facere quicquam*, studiosè admodum exponant SS. Patres, vt diuinæ eius naturæ nihil præiudicent, ideòque tam secundum diuinam naturam, quàm secundum humanam illa intelligi posse doceant, secundum diuinam quibus, quia sicut essentiam, sic omnem operationem à Patre accepit, cuius filius naturalis est, (in quem modum a Ambrosius, b Augustinus, c Chrysostomus, & d Cyrillus hæc verba interpretantur) secundum humanam verò, quia iuxta illam à Deo totum accepit quod habuit, sicuti & nos, vt idem Cyrillus & Hierony. lib. 2. aduersus Pelagianos accipi posse iudicant, totam hanc SS. Patrū diligentiam & iudicium Calvinus pro more suo flocci faciens magisque Arianis patrocinar, quàm doctissimis Ecclesiæ luminibus subscribere volens, ad eundem locum ita garrit: *Supernacuum foret hic subtiliter disputare, à seipso, an aliunde possit filius Dei quod ad æternam eius diuinitatem spectat. Neque enim talibus argutis nos occupare voluit.* Proinde nulla erat causa cur se tam anxie torquerent veteres in repellenda Arii calumnia. Hæc idcirco homo impius facit, vt suam peculiarem & nouam ἀνομιαν, in filio Dei, qua vult filiū Dei à seipso Deum esse, non à Patre, aliquo modo stabilit. Quam eius nefariam hæresim, vt & alias permultas circa Beatissimi Trinitatis ac Christi diuinitatis mysteria, ex ipsius Caluini scriptis diligenter collegit, doctèque refutauit Fr. Franciscus Feuarentius minorita Gallus, vir de fide Catholica præclare meritis. Vnum adhuc exemplum adiiciam, quo Caluini impietas luculentior apparet. Celebris est ille sermo quo Christus dixit, *Pater maior me est*, nec in ore A-

O 5 rianorum

August. tract.
25. in Ioan.
Hilar. lib. 8.
de Trinit.
Cyr. lib. 3. ca.
29. in Ioan.

Ioan. 5.

a Ser. 20. in
Psalm. 118.
b Tract. 22.
in Ioan.
c Ho. 38. in Io.
d Lib. 2. cap.
146. in Ioan.

Caluin. pro-
pria hæresis,
quòd filius
Dei à seipso
Deus est, nõ
Patre.

In Dialog. cõ-
tra 174. hæ-
res. Calui.

Ioan. 4.

rianorum aliquid frequentius. *Illi enim* (ait ad hæc verba Calvinus) *vt Christum probare quendam esse secundariū Deum* (sic ille Arianorum sententiam refert, quasi ideo hæresis dānati essent, quod filium Dei à Patre & ex Patre esse, ac ratione originis secundam in diuinis personam dicerēt, quod reuera Calvinus negat, vt modò dictum est, quum potius ideo hæretici fuerint quia Christum esse Deum omnino negabant, & creaturam esse, quamuis non sicut ceteras creaturas impiè assererent) *obiciebant minorem esse Patre. Patres orthodoxi vt tali calumnie ansam præciderent, dicebant hæc verba debere ad humanam naturam referri: Atqui vt impiè* (nempe in sensu Caluini iam explicato) *hoc testimonio abusi sunt Ariani ita nec recta, nec consentanea fuit Patrum solutio. Hic enim neque de humana Christi natura, neque de æterna eius diuinitate sermo habetur. Hæc ille impius: quasi Christus hoc loco disertissimè de sua exaltatione non sit loquurus. Vado* (inquit) *ad Patrem, quia Pater maior me est: id est, vado exaltandus & glorificandus deposita iam exinanitione ac humilitate mea completa dispensatione quam suscepi. Patres tamen diligentissimè hæc verba expendunt ac trutinant, & vel ratione originis Patrem se vt Deo maiorem vocasse Christum exponunt, vt aliquando a Athanasius, b Basilius, c Nazianzenus, d Hilarius, e Origenes: vel ratione humanitatis, quod clarum ac perspicuum est, vt idem Hilarius libr. nono, & D. Augustinus tractat. 78. & Leo magnus serm. tertio de Pentecost. idem quoque Athanasius in disputatione contra Arianos in Concil. Niceno, & coram Probo Iudice, ac demum Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 9. Neutrum tamen admittit Calvinus, magis eligens Arianorum causam in medio relinquere, quasi necdum satis refutatam, quam grauissimorum Patrum iudiciis sese accommodare. Minus nunc miretur quisquam si in dogmatibus hodie controuersis tam procaciter Calvinus cum suis, vniuersæ Antiquitatis testimonio ac iudicium reiiciat, postquam in eo dogmate, quod nobiscum amplecti videri vult, Patrum tamen expositiones penitus negligit atq; contemnit. Sic nempe nouis Arianis latissimam fenestram aperire Calvinus voluit.*

a Orat. 2. cõt. Arianos.
b Lib. a. con. Eumomium.
c Orat. 4. Theolog. d lib. 9. & II. de Trinit.
e. Hom. 2. in diuersos.

Feria 5. post Dominicam Passionis.



X huius diei Euangelio in secunda huius operis parte aliqua contra huius temporis hæreticos disputauimus, circa pœnitentiam Magdalenzæ mulieris peccatricis, de qua hic agitur, Quare illa materia prætermissa, maximè quia in alia feria huius partis, de tota pœnitentiæ doctrina per Calvinum inuersa & deprauata, aliqua diximus, alium nunc huius Euangelij locum à Caluino corruptum vero & genuino suo sensui restituemus.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

Locus de mediis ac dispositionibus ad remissionem peccatorum consequendam ex parte nostra requisitis. Inter quæ vt fides in Deum, spes veniæ, odium peccati, oratio, sui humiliatio, & similia in Scripturis commendantur, sic imprimis actus dilectionis in hoc Euangelio à Christo laudatur. Huic enim peccatrici mulieri, quæ plurima se debere agnouit, ideòque maiori cum dilectionis feruore ad medicum accessit, propter ipsam dilectionem valde magnam multa remissa esse peccata Christus profitetur. Laudatur hic illa multa dilectio, id est, actus dilectionis multæ, non autem habitus infusus, quo formaliter iustus est quicumque coram Deo iustus est, non sanè vt causa aliqua efficiens aut meritoria consequentis remissionis ac veniæ, sed vt actus bonus ex speciali Dei gratia procedens, ad hanc remissionem disponens. Quippe dilectio à Christo hoc loco laudata pœnitentis adhuc dilectio erat, non personæ iustæ aut iustificatæ. Pœnitentis personam hic agit hæc peccatrix, & pœnitentis opera exercet, vbertim lachrymando, suisque lachrymis eximium de peccatis dolorem demonstrando. Sed negat hoc totum fortiter Calvinus, & ait. *Mirum est plerosque interpretes tam crassè hallucinatos esse quasi hæc mulier veniam lachrymis, vnctione & osculis pedum promerita sit.* Primum capillator putidus pro eo quod interpretes dicunt, *consecuta est*, ait eos dicere,

Luc. 7.

In Festo. B. Magdalena.
In Sab. hebdom. 2. Quadrag.

Luc. 7.

Dispositiones ad remiss. pecc. in adultis necessariæ.

In Harm. Euang. ad Luc. cap. 7.

Calvinus
textum Scri-
pturæ inuer-
tit.

Magdalena
lachrymæ
pœnitentis
erant, non
gratias agen-
tis.

a Hom. 33. ex
homil. 50.

b Lib. 6. in
Lucam.

c Hom. 33. in
Euang.

d In serm. in
Festo B. Mag-
dalen.

In Annotat.
nom. Test. ad
hunc locum.
Bezæ impu-
dentia.

merita est. Nemo vel veterum interpretum, vel recen-
tium, verbo promerendi usus est: aut si aliquis eo usus est,
aliter non intellexit, quam consecutionem de facto. Sed
probare Calvinus vult, nec meritum, nec causam ullam
subsecutæ remissionis fuisse, quæ hic Magdalena præstitit.
Nam (inquit) argumentum quo utitur Christus non à causa,
sed ab effectu sumptum est, quia & prius ordine est beneficium
accipere, quam habere gratiam, & causa mutui amoris hic no-
tatur gratuita remissio. At contra Patres exposuerunt, argu-
mentum Christi ab effectu, non à causa sumptum esse, quia
prius ordine est pœnitentiam agere quam remissionis be-
neficium à Deo accipere, & causa acceptæ remissionis hic
notatur multa dilectio, causa in quam non meritoria, sed
ad eam disponens. Est quidem prius ordine beneficium ac-
cipere quam habere gratiam, id est, gratias agere: sed il-
la quæ fecit hæc mulier, non erant de accepto beneficio
gratiarum actio aut mutui amoris, quem gratuita remissio
excitavit, declaratio, sed ideo fiebant ut remitterentur pec-
cata. Quare fecit illa omnia (ait a August.) nisi ut sibi dimit-
terentur peccata? Et tu quoque plurimum dilige (ait b Ambro-
sius) ut & tibi remittantur peccata. Incendit plenè peccat ru-
biginem (ait c Gregorius) quia ardet valide per amoris ignem.
Tanto nempe amplius peccati rubigo consumitur, quanto pecca-
toris cor magno charitatis igne concrematur. Sic Divus a Ber-
nardus, Sine vlllo intervallo (inquit) coniunguntur & lachry-
mæ peccatoris & misericordia Salvatoris. Quare ineptè & ab-
surdè Calvinus, quicquid hic Magdalena fecit, adeptæ iam
iustitiæ signa fuisse, & ad testandam suam gratitudinem ex-
hibita assumat. Multo quoque ineptius & impudentius
post eum Beza. Qui hoc loco (inquit) abutuntur ad everten-
dam gratuitam ex sola fide iustificationem, non modò summam
impudentiam, sed etiam infantiam suam patefaciunt. Qui sic
bone Beza? Negat enim (inquit) Christus hanc esse peccatri-
cem, sicut iste Pharisæus temerè iudicavit. Si hoc negat Chri-
stus, ergo mentitus est Lucas, qui de ea dicit, Mulier pec-
catricæ attulit alabastrum unguenti: Nam Lucas eam sic no-
minasse quia talis tunc erat, non quia talis olim fuerat,
contra Erasmum ipse Calvinus docet. Erasmo placuit (ait
Calvinus) tempus verbi plusquam præteritum, ne quis putaret
eam tunc adhuc fuisse peccatricem. Sed à genuino sensu discessit.
Voluit enim notare Lucas qualis esset mulieris conditio, & quid
de ea omnes sentirent. c contra Erasmum Calvinus: qui

tamen

tamen postea idem dicat quod hic Beza (sibi ut solet con-
trarius) pariter tamen cum illo erravit. Primum quia Lu-
cas eam designat qualis tunc erat. Deinde quia Simon non
ideo à Christo redarguitur quod malè iudicasset illam esse
peccatricem, sed quod peccatricis pœnitentiam non ad-
uerteret. Nam hanc ob causam singulos nobilissimæ pœ-
nitentiæ actus sigillatim ei commemorat: & per parabo-
lam ostendit ideo illam tot dilectionis signa ostendisse,
quia plurimum se debere sciebat. Sic Augustinus loco ci-
tato. Quare dilexit multum nisi quia debebat multa: Eandem
quoque ob causam nõ contentus Christi remissionem pec-
catorum illi conferre, dicens, Remittuntur tibi peccata tua,
sive in præsentis, sive in præterito illud verbum exponas,
quod certè in præsentis intelligebant qui illud audiebant,
(Itatim enim dicebant, quis est hic qui peccata dimittit?) ad-
iecit præterea, quia dilexit multum: ut intelligeret Pharisæus
hanc mulierem ex humili agnitione debitorum suorum,
multaque propterea dilectione, peccatorum remissionem
consecutam fuisse.

Sanè dilectio Dei tam necessaria est ad peccatorum re-
missionem consequendam, ut dicat diuina Scriptura. Qui
non diligit manet in morte, id est, vitam gratiæ & gloriæ
nunquam consequetur. Sed & pœnitere de peccato, odium
aliquod peccati concipere, eius emendationem ac fugam
proponere nullo modo potest, qui Deum ut omnis iustitiæ
ac bonitatis fontem prius non diligit. Quia sanè ex Dei
amore odit peccatum quicumque id rectè odit. Ex Dei
amore propositum conuersionis in melius arripit, quicum-
que id rectè & piè arripit. Magdalena igitur quæ maximo
feruore Deum diligens, peccati quoque odium maximum
(quod lachrymæ eius restantur) & placendi Deo desiderium
ardens (quod eius in Christum tam varia officia loquuntur)
conceperat, multorum quoque peccatorum remissionem ex

ipius Christi testimonio assequuta est. Hanc igitur
imitari & amplecti (non specialem hereticorum
fidem) quisque Christianus debet, ut à
peccatis resurgat, veniamque
à misericordia Dei
consequatur.

(**)

Feria

*Feria 6. post Dominicam
Passionis.*

Ioan. II.

1. *Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum
sic, omnes credent in eum, & venient Ro-
mani, & tollent locum nostrum
& gentem.*



Contra Po-
liticos nostri
temporis.

Pharisæorū
discursus po-
liticus quam
cæcus fuit.

Idem quam
impius.

Locus aptus & accommodatus ad Politico-
rum huius temporis deplorandam impieta-
tem (qui orthodoxæ fidei hostes iam magis
perniciosi sunt quam aperti hæretici) fidei
populo aperiendam : ut à tanta peste immu-
nes seruentur, qui eius contagio adhuc attacti non sunt. In
his quippe verbis Euangelicis Pharisei, suæ dignitatis &
incolumitatis conseruationem, caelestis doctrinæ veritati,
quam Christus attulit, antepontes, eius famam ac prædi-
cationem discursu hoc politico impedire, sibiq; ac rebus suis
consulere volebant. Fuit quidē hic discursus politicus mul-
tis modis vitiosus ac cæcus, tum quia visis tot signis ei po-
tius credere quam de eo occidendo consilium capere debe-
bant, tum quia eum occidendo putabant fore ut nemo in
eum crederet, quum post Christi mortem ac resurrectionem
magis aucta & propagata eius nominis fides fuerit, tum
etiam quia per tot signa admirabilia potius Romanos &
cæteras gentes ad Christum colendum & in admiratione
habendum persuasos fore (sicuti eorum vaticinia clarè prædi-
xerunt) quam ut propter tantum Prophetam Iudæos è me-
dio tollerent, tum denique quia si Danielis prophetias rectè
aduertissent, non viuo Christo, sed occiso Christo, venuros
Romanos qui locum & gentem tollerent, facile intellexis-
sent. Cæcus igitur & vitiosus fuit his de causis discursus iste
Pharisæorum politicus. Cæterum magis fuit impius quam
cæcus. Finem enim medio postposuerunt, & temporalia
spiritualibus prætulerunt, qui proprius est hodie politicorum
nostri temporis discursus, non solum cæcus & ineptus, ut
exitus rerum sæpè demonstrat, sed planè impius & abomi-
nandus, ut semper necessariò se habet. Perpende enim quæ-
so politicum hūc discursum. *Omnes credent in eum, & venient*

Romani

Romani & tollent locum nostrum ac gentem. Aut enim existi-
mabant veram esse Christi doctrinam, & illum esse Messiam
ac Redemptorem mundi; aut non esse veram eius doctrinā.
Si prius, apertè temporalia spiritualibus prætulerunt, *quod est
summ. & peruersio*, ait alicubi Augustinus, & Reipub. suæ inco-
lunitatem totius populi æternæ saluti prætulerunt. Si po-
sterius, non erat sanè dicendum, *venient Romani, &c.* sed di-
cendum fuit, vera in Deum religio corrumperetur, populus à
via salutis seducetur, proprius Dei cultus violabitur, & hu-
iusmodi. Nunc autem in hoc politico discursu suo, ita vni-
cè ac primariò loci ac gentis suæ paci atque incolumitati
prospexerunt, ut siue vera, siue falsa esset Christi doctrina,
temporalem pacem ac prosperitatem religioni diuinæ an-
teponerent. Qua ex parte impius & abominandus fuit eorū
discursus. At verò huiusmodi planè est Neopoliticorū hodie
discursus, similis cæcitas, eadem impietas. Quod olim à no-
bis multis audientibus pronunciatum, hoc iam loco infe-
ram, ut quæ tunc per auditorum aures celeriter effluerunt,
nunc ad omnium lectorum vtilitatem magis firma & fixa
permaneant. Quædam huc pertinentia in Promptuario no-
stro morali in medium adduximus, quæ propterea hoc loco
prætermittimus. Quæ autem olim in plena concione dixi-
mus, maxima ex parte hæc sunt.

Non alia malorum hodie omnium, perturbatæ tam diu
religionis, & crescentis magis indies, quam quoquo mo-
do sese remittentis calamitatis publicæ, causâ propria ac
legitima dari potest, quam falsi ficti & simulati Christia-
ni, qui nec Christiani, nec Catholici, quum vtrumque egre-
gè simulent, sed Politici sunt: Politicorum & nomine gau-
dent, & factis exultant, & virtutem profitentur. Politici &
ciuiles homines, elegantes & suaues, prudentes & cordati,
ipsam sacrosanctæ religionis causam, politicè & ciuilitè
tractari volunt, aliorum rusticam simplicitatem irident, qui
ad quemuis falsæ doctrinæ sonitum, ad quemlibet violatæ
religionis motum, zelo statim exardescunt, & viis om-
nibus ac modis integritatem fidei illasam & illibatam
conseruare contendunt. Contrà enim politici isti, mul-
ta esse temporis concedenda, multa esse pro tempore dis-
simulanda, publicæ pacis causam ante oculos semper ha-
bendam, non esse irritandos crabrones, hæreses istas vel
debellari non posse, quia potentes; vel ex animis hominum
euelli non posse, quia pertinaces hæretici sunt; vel tantis

De doct.
Christ. lib. 4.
cap. 27.

Dom. 19. post
Pente. text. 8.

Politicorum
voces.

cona-

conatibus impugnari non esse necesse, quia de rebus leuiculis contenditur; vel postremo tanti illas non esse, nec tantam in vniuersum religionis curam nobis incumbere, vt pacem publicam communisque fortunas, vel ad illas reprimendas, vel ad hanc conseruandam, periclitari sinamus. Quinimò prudentis ac politici viri esse, patriæ, & ciuium suorum commodis ante omnia prospicere, suis rebus consulere, Principum placitis sese accommodare, inuidias aut simultates superfluas religionis causa non subire, illam curam vel solis clericis ac monachis, vel etiam ipsi Deo relinquere, qui suas iniurias, si quas per noua hæc dogmata acceperit, ipsemet vlcisci ac vindicare valeat. In summa id agendum, ne quid res vel publica vel priuata detrimenti capiat: suam sibi cuiusque conscientiam absque istis certaminibus sanam ac saluam esse posse. Habetis politicorum hodie hominum voces, principia, axiomata, quibus illi confisi Religionis causam negligenter tractant, laborantis Ecclesiæ patrociniū turpiter deserunt, fidem Catholicam hostibus nefarie produnt, & penitus profligandam relinquunt.

Politicus pro homine Christiano habendus non est.

Atqui huiusmodi politicum, qui Religionis causam atque defensionem, suis fortunis aut commodis, vel etiam Reip. paci & incolumitati postponit, imò qui eam omnibus rebus non anteponit, Christiani hominis loco habendum non esse affirmo. Quid enim quæso hominem Christianum ab ethnico discernit, nisi nominis Christi fides, cultus, religio? In quo enim nulla est Christiani nominis religio, cultus, reuerentia, amor, hunc religionis Christianæ nomine ab aliis non Christianis discerni quisquam existimabit. At quæ est tandem in illo homine Christiani nominis religio, quis cultus, qui amor, quæ reuerentia, qui adeo illud non colit, non amat, non reueretur, vt res quaslibet illi anteponat, vt ad eius defensionem nec pedem mouere, nec aliquod discrimen subire, nec vel vultum vel verbum asperum sustinere velit, vt eam denique nullo loco ducat, totamque eius curam vel in Dei prouidentiam, vel in solos togatos homines, si tamen & in illos, reiiciendam iudicat: Mali sanè Christiani & peccatores, qui vitam turpiter ac flagitiosè ducunt, hoc certè Christiano nomine indigni sunt, & ad illos Christus dicturus est, *Nescio vos*. Cæterum tamen isti non nisi practicam adhuc virtutis cognitionem amiserunt, & fide ac religione imbuti, quod verbo tenent, factis negant.

Atqui

2.

Atqui Politici isti non practica tantum, & speculatiua virtutis cognitione exciderunt. Non solum religionis vsum & praxim malè viuendo, sed & ipsam in se religionem malè sentiendo abiecerunt. Nullam enim ille tenet religionem, qui nihil ad se attinere religionem putat. Quare de illorum numero sunt, de quibus Propheta regius ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Et videre obsecro, an non ita se res habeat. Magno cum applausu vox illa apud Comicum excepta est. *Homo sum humani nihil à me alienum puto*. Si ergo homo non est qui humani aliquid à se alienum putat, si homo non est, qui reliquorum omnium hominum velut quidam *υπερπανθρωπος*, curam & affectionem animo omnem deposuit, si homo non est, qui humanitatem exiit, qui tandem obsecro Christianus erit, qui religionem Christianam (vnde propriè Christiani sunt) nihil ad se pertinere, stertè cadatè existimat, qui omnem religionis curam animo eiecit suo, ideòque & omnem Christianitatem exiit?

Dixerat Zeno Stoicus, *iram non esse in Deo, vt puniat malefacta, veluti indignam Deo passionem. Assumpsit Epicurus. Si ira in Deo non est, nec gratia etiam aut beneficentia vlla, atque ita nec mala puniens, nec benefacta remunerans, rerum humanarum curam non habet, sed seipso solo beatus est. Ex hac Stoicorum propositione & Epicuri assumptione, conclusit Diagoras & Theodorus Cyrenæus. Ergo non est Deus. Si enim nullo affectu mouetur, quod intelligibili natura est proprium, prorsus non est.* Hæc apud Lactantium illi. An non verò & eadem inductio nostros quoque Politicos concludit Atheos? Aiunt illi. Zelus iste & feruor religionis hominem ciuilem ac politicum non decet. Sublato zelo, quem vel in paucos reiiciunt, vel ab omnibus animo deponi volunt, cura omnis & affectio religionis tollitur. Concludit ergo apud se Politicus. Zelus religionis furor & amentia est. Cura eius & affectio inane quid & superfluum est. Nihil ergo est hoc totum, quod religio vocatur: *magis ad morem, quam ad rem pertinere iudicanda est, & illam Sapiens seruat tanquam legibus iussam, non tanquam Deo gratam, sicut olim Seneca virtutis moralis cultor egregius, sed Senator in hac parte politicus, de Romanorum Religione, quam in templo cum aliis colebat, sed animo contemnebat, dixit, Paci ergo Reipubl. (aiunt isti) presentibus commodis & emolumentis prospiciendum est: valeat religionis causa quantum valere potest. Siue rectè, siue secus ea colatur, quid ad nos? Imò (vt Sceuola Pōtifex olim*

P aebiat,

Politicus quouis malo Christiano deterior.

3.

Politicus Christianitatem exiit.

4.

Lactan. in li. de ira Dei.

Politici athei.

Apud Augustin. de Ciuit. Dei lib. 6. cap. 10.

Vbi supra li.
4. cap. 27.

Christianorum
hominum voces.

Gal. 1.

Act. 5.

Luc. 12.

Laert. in
Aristippo.

Ioan. 12.

Politici
Christo per
omnia con-
tradidunt.

Matth. 22.

1.

Matth. 6.

2.

Psalms. 13.

3.

Ioan. 14.

aiebat) *expedit falli in religione civitates*, quia non nisi ad homines in metu quodam & officio continendos illam introductam esse iudicandum est. At audi o Politice Christianorum hominum voces, & vide an Christianorum in numero haberi debeas. *Ego si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, ait vas electionis. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus*, ait Princeps Apostolorum. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quod agant*: ait Apostolorum magister, Princeps Pastorum, Christus ipse. O voces politicis nostris execrabiles: qui non nisi hominibus placet, neglecto Christo: non nisi hominibus obediunt, contempto Deo: non nisi homines timent, timore Dei abiecto: qui ut hominibus placeant, ut Iesabeli obediant, ut malis Principibus se accommodent atque conforment, *veluti canes regij* (sicuti Aristippum insignem Politicum vocavit Diogenes) ut uxorem, liberos, familiam ad momentum temporis incolumem conferunt, religionem, fidem, cultumque Dei uniuersum & despectui habent ipsi, & pessum ire, penitusque profligari permittunt. *Ex principibus multi crediderunt in Christum* (ait D. Ioannes) *sed propter Phariseos non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Tales hodie principes nostri politici sunt, qui ut in Republ. principatum vel obtineant, vel conferunt, religionem, qua corde credunt, ore confiteri erubescunt. Sed o homines nihil minus quam Christianos, qui nec Apostolorum Christi, nec ipsius Christi sanctissimas voces sustinent, sed omnino quo possunt conatu illis contradicunt. An vero Christo per omnia non contradicunt? Videre ergo quot modis id faciunt. Dicit Christus: *Reddite Caesari quae sunt Caesaris, & Deo quae sunt Dei.* Contradicunt isti. Demus omnia Caesari, omnia praesentium rerum oportunitati. Deo nihil demus; sed si quae sunt Dei, ipsi Deo curanda relinquamus: Dei cultum, Dei religionem curent alij, qui volent. Nihil ea ad nos pertinent. Dicit Christus: *Primum quaerite regnum Dei, & haec omnia* (quae ad cibum & vestitum, ad victum & amictum pertinent) *adiicientur vobis.* Contradicunt isti. Primum, & ante omnia corporis, familiae, ciuitatis, ac Reipubl. nostrae curam agamus. Ad regnum Dei quod attinet, quaerant alij. *Calum cali Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Nec primo, nec postremo regnum Dei quaeremus, nisi primum & ante omnia de pace, de incolumitate, de florenti Reipubl. statu nobis constet. Iterum dicit Christus: *Pacem meam do*

vobis.

vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo munus dicit, ego do vobis. Pacem cum Deo, pacem in Deo, pacem in conscientia bona, pacem cum proximo ego relinquo vobis. Non mundi pacem, non vitae praesentis gaudia, non rerum terrenarum affluentiam ego do vobis, nisi quatenus illa omnia cum altera mea pace vobis relicta conueniunt. Contradicunt isti. Nos mundi pacem quaerimus, pacem in substantiis nostris, pacem in Rep. pacem in fortunae bonis, in rerum omnium affluentia, in quiete, & copia domestica. Ad pacem Christi quod attinet, ea demum tunc in considerationem veniet, quando caetera omnia in tuo erunt. Rursum dicit Christus: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius: id est, Non sic veni, non sic Euangelium salutis aeternae vobis adfero, non sic ad nominis mei professionem vos voco, ut in alia rerum temporalium pace, in perpetuo & suavi vestrorum conuictu, hoc tantum beneficium conseruari semper a vobis & retineri possit. Tempora enim erunt, in quibus ad hoc beneficium conseruandum pace hac & fruitione temporali carere debeatis: & ita carere, ut propter nomen meum illa omnia despiciatis. Quare sic statim Redemptor noster prosequitur: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, & alia quae sequuntur.* His vero Christi verbis fortissime contradicunt omnes nostri temporis Politici. Nolumus (aiunt) a nostris parentibus aut pignoribus religionis causa separari. Nolumus fortunarum aut rerum nostrarum discrimen ad conseruandam religionem adire. Pacem volumus, non gladium. Pacem in ciuitate, pacem in substantiis nostris, quicquid de Christi nomine, cultu, religione fiat. Qui tot modis, tam aperte, tam flagitiose Christo contradicunt, tamen ne in Christianorum numero habendi erunt? tamen ne Christiani homines a quoquam vocari possunt? A nemine arbitror, nisi qui ipse Christianus non est. Sed caetera videamus.

In Euangelio filij huius seculi nonne filiis lucis manifeste a Christo Domino opponuntur? *Prudentiores* (inquit) *sunt filij huius seculi in generatione sua, quam filij lucis.* At qui tandem filij seculi sunt, si nostrorum temporu Neopolitici non sunt? qui seculo huic per omnia conformantur, qui temporis seruiunt, qui in secularibus desiderijs toti occupantur, qui

4.
Matth. 10.

Luc. 16.
Politici filij
huius seculi
sunt.

Ephes. 5.

Ioan. 1. & 3.

Ioan. 8.

Similia.

Antiq. lib. 11.
cap. 8.
Politici Sa-
maritanis
similes.

Matth. 12.

Neopoliti-
corum ma-
iores.

huius seculi bona, fortunas, pacem, eo animi imperu, eo studio consecretantur, conquirunt, ambiunt, vt quod filio lucis proprium, & intrinsecum est, Religionem & cultum veri Dei penitus negligant? Rursum qui sunt filij lucis nisi soli Christiani? Audi Apostolum, *Erat tenebra, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* Audi Euangelistam, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem vententem in hunc mundum: & lux in tenebris lucet, & tenebra eum non comprehenderunt,* id est, Christum veram lucem filij huius seculi non receperunt. Audi denique Christum ipsum, *Ego lux in mundum veni: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Soli ergo filij lucis Christiani sunt. Politici igitur non filij lucis, sed filij huius seculi Christiani non sunt. An filius lucis esse potest, qui per omnia luci contradicit? Christianus erit, qui Christi religionem non tenet? Aut tenere ille putandus est, qui qualibet occasione eam dimittit? Nec maritus dicendus est, qui quolibet coniugij incommodo motus, à coniuge diuortium quærit: nec ciuis habendus, qui in quouis ciuitatis discrimine societatis ciuilibis fœdus abrumpit, & defensionem se subtrahit: nec Christianus existimandus, qui periclitantem aliquando religionem penitus deserit. Haud secus quàm olim Samaritæ hi faciunt: qui, vt refert Iosephus, hoc ingenio erant, vt in rebus Iudæorum afflictis, negarent se cognatos, veritatem tunc dicendo; cum verò affulgere eis fortunam viderent, confestim in societatem irruerant. Quod eo maximè tempore faciebant, quo Alexandrum Magnum Iudæis fauere, magnaquæ illis priuilegia concedere animaduenterent. Tales hodie nostri Politici sunt. Catholicorum partes quum illis commodum est, tuentur: quum incommodum aut minus commodum, vel deserunt, vel etiam cum aliis impugnant. His adde quod dicente Christo: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit,* non alio loco Politicum, qui cum Christo non est, nec cum Ecclesia stat, quàm hæreticum, qui Ecclesiam odit & persequitur, habere debes. Æquè non est Christianus contemptor religionis, quàm hostis.

Sed vt isti Neopolitici quàm nihil minus sint quàm Christiani, magis adhuc & magis elucescat, eorum maiores & nobiles antecessores in hoc prudentiæ ac politiæ genere qui fuerint, annotabimus. Si enim nisi omnium maximè scelere & maleficio insignes huiusmodi olim Politici fue-

runt,

runt, quid de his nostris iudicandum sit, in promptu est. Ieroboam ille, qui decem tribubus veteris populi propter peccata Salomonis à Deo præpositus & Rex constitutus, magnus in hoc genere Politicus fuit, qui vt regnum suum sibi confirmaret, *duos erexit vitulos in duobus excelsis montibus, quos populus adoraret,* ne Hierosolymam ascendentes, vt vera religio præscriperat, ad Roboam Regem Iudæ redirent. Sic Politicus ille regni sui statum religioni anteponens, totum penè illum populum ad idololatriam pertraxit. Achaz Rex Iudæ videns se à Syris deuictum, quum id peccatis suis imputare deberet, & ad Dei auxilium confugere, politicè agere maluit, dicens: *Dij Regum Syria opitulantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi.* Sic iste Politicus Deum suum & religionem suam vtilitate metiebatur. Eos eligit deos quos sibi vtiliores fore arbitratur, sicuti illam hodie religionem tenent Politici, quæ vel maximè vtilis, vel minus damnosa videretur. Sed & totus ille Iudæorum populus, qui in Ægyptum fugerat capta Hierosolyma à Rege Assyriorum, politicè agere maluit sacrificans idolis, quàm Ieremiæ verba audire, vt veri Dei cultum retinerent. Aiebat enim Ieremiæ: *Facientes faciemus, vt sacrificemus Regina celi, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare Regina celi, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.* Isti quoq; suam religionem ex rerum præsentium affluentia metiri voluerunt, quod hodie Politici faciunt, eam ob causam Catholicæ Ecclesiæ defensionem deserentes, & cuiuslibet hæresis liberum exercitium vel dissimulantes, vel admittentes, quia ex eo tempore, quo hæreticos diuexare cœperunt, magna suarum rerum detrimenta, iacturas graues acceperunt. Sed maximè insignis & nobilis Politicus Achab ille impius Rex Israël fuit, qui Patrum suorum religione penitus abiecta, quum solus tunc aut certè potissimum Elias Propheta eam zelaret, & ita zelaret, vt in pœnam perfidi Regis, illi in os diceret, *nec rorem, nec pluuiam aliquot annis futuram, nisi iuxta oris sui verba,* post triennij siccitatem occurrens tandem Eliæ Prophetæ, ait illi. *Tine es illi qui conturbas Israël?* Vide Politici vocem. Turbant Rempublicam ipsius iudicio, qui zelo religionis tacti, Dei causam fortiter agunt. Sed quid ad hæc Elias? *Non ego (inquit) turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti madata*

Ieroboam.

2. Reg. 12.

Achaz.

2. Paral. 28.

Iudæi in
Ægypto.

Ierem. 44.

Achab.

3. Reg. 18.

Iudas proditor insignis Politicus.
Math. 26.
Ioan. 12.

Domini, & sequuti estis Baalim. Neapolitici sunt, desertores religionis sunt, qui turbant Israël, qui turbant inò perdunt, Rempub. Christianam. Verus Israëlita erat Elias. Impius Politicus erat Achab, qui vt uxori Iesabel morem gereret, veram Dei Religionem contempfit. Sic veri Christiani sunt Zelatores fidei & Religionis Christianæ: Impij Politici eam despectui habent, vt suis cupiditatis morem gerant. Quid verò? Iudas ille proditor, nonne vnus ex nostris politicus erat, quum viso vnguento precioso in Christi caput effuso, clamauit furifer: *Vt quid perditio hæc venundari istud poterat, & dari pauperibus.* Quæ ille vt latro dixit, (ait S. Ioannes) *quia loculos gerebat, non quod ad eum de pauperibus pertineret.* Sic hodie Politici omnes sumptus in bello sacro ad Religionis Catholicæ defensionem factos, Regisque nostri potentissimi & pientissimi Philippi II. (quem honoris causa nomino) Hispaniarum, & vtriusque Indiæ Monarchæ, arma in hereticos conuersa, thesauros amplissimos largissima manu in eum finem effusos, *Perditionem* vocant. *Vt quid* (inquiunt) *perditio hæc?* vel ad sua in Belgio recuperanda, vel ad Turcam perdomandum, vel ad Imperij fines propagandos tam immensi sumptus conuerti poterant. Ita non fecus isti perire existimât, quicquid in corpus Christi, quod est Ecclesia, cõfertur, nec ad ipsorum vertitur cõmodum aut honorẽ, quàm totum perire existimauit Iudas, quod in Christi personã conferebatur, nec ad loculos quos portabat, delatum est. Sed nec tales desunt Politici, qui ad præsentis hereses animo non affecti, vt luculentum tamẽ emungant lucrum, causam Catholicam produnt, in acie hæreticorum stãt, & vendunt iterum Christum sicut idem Iudas Phariseorum malitiæ subseruiens, non quod illos diligebat, sed quod ad offã pingue inhiabat, dixit ad illos: *Quid vultis mihi dare & ego tradã eum vobis?* Et constituerunt illi triginta argenteos. Bonus sanè politicorum nostrorum Pater præclarus antecessor, qui multos nunc in Gallia (proh pudor, proh dolor) imitatores habet. Sed & Pilatus, nonne vt Politicus Christum damnauit, & voluntati Iudeorum tradidit? illo videlicet clamore territus & percussus. *Si huc dimittis, nõ es amicus Casari.* Deniq; Iulianus ille insignis Apostata, nõ quum Imperium adeptus est, nõ primũ apostata fuit, sed adhuc viuente Cõstãtino patruo suo, cuius imperium formidabat, & p quẽ ad imperium aspirabat, nõ verũ apostata fuit, sed politicus, Christianã religionẽ adeo simulã, quia Christianus erat Cõstãtinus, vt & vitẽ monasticẽ studium

Math. 26.

Pilatus politicus.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Iulianus apostata.

præ

præ se tulerit, & in ordinem clericorum se ascribi passus fuerit. Isti sunt Politicorum nostrorum præclari parentes, splendidi maiores, antecessores amplissimi, Ieroboam Achab, & Acas reges impij, vetrus populus idololatra, Pharisei Christum persequentes, Iudas proditor, Pilatus perditissimus Iudex, Iulianus apostata. Si veræ religionis cultores isti erant, Christiani quoque sunt Politici nostri: Sin nulla horum hominum religio fuit, sed atheismus quidam Politicus, nec nostrorum hodie Politicorum vlla religio est, nedum Christiana. Quorum enim scædissima facta imitantur, in eorum ordine consistere, numero ac loco ceteri debet.

Et vt summatim multa complectar, isti sunt *arundines vento agitatae*, qui ad omnem se religionem conformant, quia nullam religionem admodum ad pertinere iudicant. Isti *scandalisuntur* in Christo, eiusque sanctissima religione, vt quæ eorum cupiditatibus contradicat. Istis Christus factus est *in ruinam, & in petram scandalum*, prorsusque & *cum gentibus stultitia, & cum Iudeis scandalum*. Crux Christi illis est, omnique pro Christo ferenda aduersitas, voluntque (quod proprium terrena ciuitatis, quæ ciuitati Dei opponitur. esse docet Augustus) *vti Deo & frui mundo*, vt ad suum commodum religione, frui & conuiescere in bonis terrenis. Quo in genere laudar Politicus Bodinus varios Impij. qui ipsi Catholici quum essent, hæreticis tamen liberos conuentus concesserunt. Sed vt multa mentitur, de Constante videlicet & Theodosio Magno & Valentiniano maiore, qui Arianis libertatis aliquid numquam concesserunt, sic quod de Valente Imperatore Ariano, & de Anastasio Eutychemo profert, quorum ille à Gothis in bello victus, in tugurio cum suis concrematus est, hic igne de cælo tactus fuit, nihil ad rem facit: nisi fortè quorum exitus tam horrendo & infames hæreses omnes Principes merito exhorrescunt, eorum impia facta Christianos Principes imitari vellet. Et quod idem Anastasius Concionatores verbi fortes, & pro veritate constantes in exilium relegasse à Bodino dicitur, hoc in eius summum vituperium, & detestandam ignauiam atque irreligionem notandam, qui præpostero pacis studio nullum cuiuscunque religionis zelatorem tolerare voluit, ab historicis Ecclesiasticis commemoratur, non in exemplum bonis Principibus proponitur, vt Catholici quum sint, concionatores Catholicos Dei causam fortiter agentes ipsi similiter in exilium pellant, vt magnus ille navigator

Math. 11.

Luc. 2.

1. Cor. 1.

De Cini. Dei lib. 15. cap. 7.
De Repub. li. 3. cap. 7.

Bodinus politicus refutatur.

Amm. Mar. cel. hist. lib. 31.
Paul. Diac. hist. lib. 15.

Euagr. lib. 3. cap. 30.
Niceph. lib. 16. cap. 26.

Hist. Eccles. li.
5. cap. 20.

Alij Politico-
rum maiores.

Tob. 3.

2. Machab. 6.

In vita eius
apud Surium
12. April.

Ethnicorum
religio Poli-
ticos condē-
nat.

Lib. 14. ca. 7.

L. u. Dec. 4.
lib. 10.

Bodinus inferre voluit. Certè illud Anastasij fœdum faci-
nus, sicut proximi eius antecessoris Zenonis edictum
ἐνώπιον seu pacificatorium quod etiam citat Bodinus) to-
tum Orientem perdidit, teste Euagrio, innumerisque hære-
sibus repleuit. Valens quoque Arianus quum omnibus se-
ctis libertatem daret, & solis Catholicis negaret, id effecit,
vt cultus idololatriæ passim inualesceret, vt scribit Theo-
doretus. Tanto cum iudicio sua exempla profert, authores
citat Bodinus, & Politicum agens, hostem se Christianita-
tis prodit. Sed vt ad Politicorum nostrorum maiores redea-
mus: Politici erant amici illi Tobia iusti, qui sic ei loque-
bantur: *Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti
mortis imperium, & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus ti-
mens Deum quam Regem, rapiebat corpora occisorum fratrum
suorum, & sepeliebat ea.* Politici erant qui Eleazaro seni sua-
debant, vt carnes lege veritas manducare se simularet, sic-
que vitæ suæ & fortunis consulere: quod illis recusans
facere, pro religione Patrum suorum mortem oppetere ma-
luit. Politici erant, qui Sanctum Sabam Martyrem in ean-
dem simulationem inducere volebant, primùm carnes non
immolatas pro immolatis (quas ethnicus proposuit perse-
cutor) supponendo, deinde iurare volentes, neminem in suo
pago Christianum esse. A qua tota simulatione politica vir
Sanctus alienissimus exclamauit, *Nemo pro me iuret, Christia-
nus ego sum, nec idolis immolata manducabo.* Talis ille verè
Christianus, tales illi politici, & non Christiani fuerunt. Sed
exemplorum & argumentorum fortasse iam satis, quæ no-
stros Politicos nihil minus Christianos homines esse luce
meridiana clarius euincant.

Surgant ethnici & infideles qui politicos nostros de hoc
religionis contemptu condemnent. Senatus Romanus to-
tius orbis tribunal supremum sic religionis causam omni-
bus rebus antetulit, vt in singulis consensibus, de diuinis re-
bus prius quam de humanis ad Senatum referretur: quam
etiam ob causam non in templo aliquo conuenire, & qui
eo ad Senatum habuit, immolare prius hostiam auspicari-
que debuit, vt author est M. Varro apud Aulum Gellium.
Sic isti terrarum domini religionis causam etsi vanissimæ,
non nisi primo semper loco habendam, cæterisque rebus
omnibus præferendam censuerunt, Idem igitur Senatus Nu-
mæ Pompilij libros in agro quodam dum cultores altius
moluntur terram, inuentos, quia Prætor lectis rerum

summis,

summis, pleraque in illis dissoluendarum religionum esse
aduertat, idque iureiurando affirmare paratus erat, statim
in conspectu populi cremari iussit. Adeo religionis quam
tenebant vel minimam reprehensionem non ferendam cen-
suerunt. Alexander Seuerus Imperator ethnicus audita con-
trouersia inter Christianos & gentiles quosdam, de fundo
& loco quodam publico, quem Christiani otandi in ea cau-
sa occupauerant, asserentibus cauponibus & popinariis
eum ad se locum olim pertinere, pronunciauit, *Quoquo mo-
do sit, scitis esse eo in loco Deum coli, quam cauponas exercere, lo-
cum Christianis adiudicauit.* Non sic ille imperator optimus,
de religione exiliter sensit, aut ita eius causam flocci fecit vt
nostri hodie prudenter scilicet Politici.

Quid quod Tutcarum Princeps Mahometicam suam &
absurdissimam religionem ita religiosè tenet ac colit, vt
quoties cum suis proceribus deliberat, Professor legis Ma-
hometicæ adesse semper iubentur, qui attentè obseruet,
ne quid in Mahometicæ religionis præiudicium statuatur.
Proh Deum immortalem sic impurus ille & spurcus Maho-
metes cum sua vxorum pluralitate & aliis absurdissimis le-
gibus (nihil nisi carnem & libidinem sperantibus, religiosè
colitur, vt in supremi Principis intimo Senatu, contra eius
leges nihil statui queat, nullum adferri præiudicium de-
beat, primus honor, prima cura illis deferatur, & C H R I-
S T I I E S V castissima religio, in cuius Sanctissimum no-
men totus orbis terrarum à tot iam seculis iurauit, ita à
quibusdam nouis politicis, qui se Christianos vocant,
flocci pendetur, ita pedibus proteretur? vt vel nullo,
vel non nisi infimo atque postremo loco ab illis habeatur?

Sed dic mihi obsecro bone Politice. Ais te Catholicum
quidem & esse, & viuere ac mori Catholicum velle:
hocque tibi homini priuato satis esse, si tuam ipse ani-
mam serues, nec necesse tibi esse, vt in has te turbas impru-
denter des. Laudarem prudentiam tuam, si illa prudentia ef-
se posset, quæ cum impietate coniuncta est. Sed nunc vide
quam proflus absurdè loquaris. Nonne absurdissimus, &
tum patriæ, tum ciuis nomine indignissimus esses, si ciuita-
tate tua ab hostibus obsessa, pro tuis quidem fortunis pro
vita ac salute tua pasciscerere, quibus saluis ciuitatem ho-
sti tradere, atque ita liberos ac posteros tuos omnes pa-
tria ac paterna hæreditate spoliare? Neminem arbitror
sic malè Politicum, qui huiusmodi cinem non inferis

P 5 omnibus

Ælius Lam-
pridius in vi-
ta eius.

Albertus No-
vicampianus
in Orat. ad
Hung. Princ.

Mahometa-
na religio-
quanto stu-
dio conserua-
tur.

Politicorum
impietas
precius de-
monstratur.

omnibus ac diris daret, nec ciuem sed proditorem patriæ vocandum diceret. Atqui tu Politice Christiane, ita tibi religionem tuam saluam esse vis, vt ciuitate ac patria tua hæreticorum potestati relicta, & liberos, & ciues, & posteros tuos omnes fide ac religione Christiana in perpetuum spolies. Hocine politicè factum putas? Hocine Christianè & Catholicè factum existimas? Non vides te sceleratissimum esse fidei ac religionis tuæ proditorè? te fidem negasse, abnegationi fidei causam multis dedisse & infideli deteriorem esse, id facere quod nullus infidelis faceret?

Si in causis ciuilibus, & in bonis fortunæ ac corporis, non nobis tantum nati sumus, sed patriæ & ciuibus, quanto magis in causa religionis, & in bonis animi ac salutis æternæ, non nobis tantum renati in Christo sumus, sed toti Ecclesiæ, cuius membra sumus, toti Christianæ Societati, cuius filij & fratres sumus, maximè verò illi Christianorum societati, illi Ecclesiæ particulari in qua agimus? Sicut in corpore naturali non sibi oculus videt, aut pes ambulat, sed toti corpori, & ad bonum totius, sic in corpore C H R I S T I mystico quod est ecclesiæ, nemo sibi tantum Christianus est, sed toti Ecclesiæ: iuxta illud Apostoli: *Nemo nostrum sibi uiuit, & nemo sibi moritur.* Et rursum. *Non potest oculus dicere manni: opera tua non indigeo: aut caput pedibus, non estis mihi necessarij: sed id ipsum pro inuicem sollicita sunt membra: & si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra.* Si ergo, ô Politice, membrum Christianæ societatis es, quomodo illa laborante, & tot ac talia ab hæreticis patiente nihil compateris? quomodo vt tuo priuato commode prospicias, fratrum tuorum omnium salutem negligis? Quam ergo nobis maiores nostri sacrosanctam religionem integram & sanam in patria aut ciuitate nostra reliquerunt, eam si Christiani sumus & Reipublicæ Christianæ boni ciues, posteris quoque nostris, quantum in nobis est, integram & illibatam relinquere debemus. Qui aliter sentit, qui aliter faxit, eum vt tuber deforme, & collum obduratum à reliquo corpore refecare, vt pestem publicam detestari, vt portentum quoddam in vltimas terra deportandum fugere, & abominari oportet. Solon hanc politiam suos ciues docuit, vt mala publica non secus quam propria omni studio curarent. Rogatus enim quo tandem modo fieri posset, vt nullum

Rom. 14.
1. Cor. 12.

Stob. sc. 41.

in ciuitate scelus perpetraretur, respondit: *Si tam indignarentur illi quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est.* Sic vnus Leuitæ concubinam à Gabaonitis nefariè violatam, omne vndecim tribus Israël in prælium congregatæ vltæ sunt. Timon rogatus cur homines odisset respondit. *improbos odi, quia improbi sunt. Bonos odi, quia improbos non oderunt.* Certè urbem Romam, in qua tam multi boni Christiani erant, à Gotthis captam atque direptam fuisse, ipsosque bonos cum malis acerbam illam calamitatem perpeffos fuisse, quia boni malos tolerabant, & propter humanum diem, linguamque blandientem ab alijs reprehendendis, multo magis corrigendis abstinebant, scribit grauer & doctè, Sanctus Augustinus. Athenienses profectò melius hac de re instituti, quam nostri hodie Politici in schola Machiauelliana, hanc politiam didicerant, vt Themistoclis consilium de succendenda Lacedæmoniorum classe, quæ induciarum tempore in quadam eorum statione constiterat, etfi Reipublicæ suæ vtilissimum, tamen quia turpissimum, profus reiicerent. Vel hoc plebium iudicium politicos nostros doceat, vt publicam honestatem, ac multo magis pietatem, vtilitati, seu publicæ, seu priuatæ anteponan. Sed ad nostra redeamus. Valentiniano iuniore imperante, Symmachus Præfectus vrbs Romæ, homo ethnicus potestatem sacrificandi & idololatriæ liberum exercitium petijt. Erant in Impetatoris Aula Politici, qui hoc tanto viro concedendum suaserunt. Sed Sanctus Ambrosius Mediolanensis tunc Episcopus quid Imperatori scripserit audiamus. *Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conuentionem, sed fidei studium & deuotionis impendit. Ipsi gentilibus displicere consuevit prauaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnusquisque fidele mentis suæ & seruare propositum: Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc facit, sacrificat idolis, & quisquis hoc statuit. Hoc ille sanctus & clarissimus Ecclesiæ Doctor. Ecce idololatra est qui idolo latriam concedendâ suadet. Hæreticus quoque est qui aliquid hæreticis tribuendum sentit in sacrosanctæ fidei nostræ præiudicium. Omnis hæresis non nisi per tales politicos proficit. Ignauia & cessione Catholicorū, vis & potentia creuit hæreticorū: & vt diuus Hieronymus de suo tēpore dixit: *Barbari fortes sunt: nostris vitijs Romanus superatur exercitus,* sic*

Iud. 20.

Maximus
serm. 26.

De Cui Dej
lib. 1. cap. 9.
Plutarch. in
Aristide.

Lib. 5. epi. 30.

In Epitaph.
Nepotiani.

hodie

*Bapt. Egnat.
in Herac.*

hodie nostris politis Catholicus superatur exercitus, Catholicae franguntur vires, & vexatur religio. Alia veterum fuit & piorum Imperatorum fortitudo ac pietas. Heraclo Imperium receniter adepto, & inducias à Persarum Rege (qui tota Syria Imperium spoliauerat) postulante, *responderunt impij hostes non prius se Romanis pacem duros quam Christum abnegasset Imperator.* Quo accepto responso adeo excaudit pius Imperator, etsi maximis nuper cladibus acceptis, ut ingentibus copiis in hostem ductis, & amissa recuperauerit, & totam Persidem igni ferroque vastauerit. Politici hodie nostri huic Principi à consiliis si fuissent, CHRISTI profecto abnegationem ad pacem publicam conseruandam non ægrè concessissent. Quid enim interest Christum abnegare & vniuersam eius fidem orthodoxam prodere & prostituere? Nobile sanè hoc pietatis exemplum fuit & Imperatore Christiano dignum. Sed agebatur de Capite, & totius Christianitatis iugulum petebatur. Nobilius erat Theodosij iunioris, Imperatoris alioqui maximè pacifici, ac plenum pietate pectus, qui ne Persas Christianos in grauissima persecutione ad eius Imperij loca confugientes, barbaro Persarum regi traderet, qui ita eos sibi reddi postulabat, ut ni id fieret, bellum indicaret, cum acerrimo hoste bello potius decernere, & fœdus abrumperre, quàm Religionis causa profugos tyranno tradere maluerit. Bellum itaque maximum ea de causa concitatum est, in quo sæpe victis & fuis Persis à postulato desistere Barbarus coactus est. Hic optimus Princeps si Politicus esse voluisset, quales hæc ætas Politicos videt, omnes Religionis causa exules & profugos ad primum statim tyranni postulatam reddere debuisset. Sed nec minimam voluit Christianæ Religionis quam profitebatur maculam inferre, aut eius defensionem in re vel minima ad momentū deserere. Nunc verò alia consilia hic orbis vidit. Cætera fortiter & studiosè curanda sunt. Sola religionis causa aut repidè & molliter, aut non omnino curanda. Sic per nouos Politicos causa hodie agitur Ecclesiæ: imò non agitur, sed agitur, & agitata deseritur, deserta subuertitur. Sinonis consilium dant, ut pacis causa equus Græcorum armato milite plenus quasi Palladi sacrum Troiam introducatur, etiam mœnibus disruptis. Sic enim per Ecclesiæ ruinas hæreticos in Ecclesiam, pacis ac religionis causa intromittunt. Et ut olim C. Cæsar Catilinæ conuratione detecta, Senatui misericordiam sua-

*Socrat. lib. 7.
cap. 18. &
Trip. lib. 11.
cap. 15.*

Sinonis consilium dant Politici.

Salustius.

fit,

fit, quia & Parricij viri participes eius erant; sic isti hæresum iam turpitudine & impietate detecta, clementiam Principibus & magistratibus suadent, quia magnos viros & honestiore loco natos ciues his hæresibus implicatos vident. Sed si audiantur, non secus Ecclesiæ libertatem hæretica tyrannis è medio tollet, quàm Romanorum libertatem sustulit Cæsar: cuius tunc consilia non aliò spectabant: popularem auram & Parriciorum gratiam hoc suo consilio captans. Sed de horum hominum impietate & quantæ Reip. Christianæ pestes sunt, pro huius reip. breuitate satis dictum est, pro rei indignitate satis nunquam dici potest. Vnum quum adiecerò, finem faciam.

Parricidij accusatū rectè defendit orator maximus, quòd ante eius criminis suspicionem vir bonus semper habitus fuerit: & addit, eum qui parricidij quempiam accusat, oportere eius qui in crimen vocatur & audaciam singularem ostendete, & mores feros immanemque naturam, & vitam vitis flagitiisque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata atque perditam. Neque enim tale flagitium in alium cadere posse, quàm cuius tota vita scelere & maleficio contaminatissima est. Politicos igitur contemptæ & desertæ proditæque religionis sanctissimæ conuictos, cui demum sceleri affines non esse, à quo flagitio temperare se posse, cui non crimini addictos & obnoxios esse existimabimus? Si enim pietas erga parentes non sine graui scelere læditur, si magna vis humanitatis est, si multum valet communio sanguinis, si portentum atque monstrum certissimum est esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut per quos hanc suauissimam lucem aspexit, eos indignissimè luce priuarit; quanto magis, quanto verius, quanto fortius, pietas erga Deum non sine immani scelere violatur; nec violatur modò, sed & despicitur; nec despicitur tantum, sed ut abiectissimum quiddam rebus omnibus postponitur? Magna est vis religionis, multum valet societas fidei, arctissimum est Christianæ charitatis vinculum: portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem Christiani nominis, fide, professione Christianum, qui per cuius religionis Sacramenta renatus est, & factus filius lucis, vocatus in admirabile lumen Dei, illam religionem indignissimè luce priuare, nefariè prodere, deserere, contemnere, vilissimo loco habere non pertimescit.

Cic. pro Roscio Amerino.

Depro-

*Judith. 5.
Hom. 64. in
Ioan.*

*Matth. 16.
Lucæ 21.*

*Tract. 49. in
Ioan.*

Depromet ex his omnibus pius Concionator ac prudens, quæ pro loco & tempore vtiliter depromi posse iudicabit: simulque addat quod sicuti Pharisei isti merito aduertere debebant, veræ doctrinæ defensionem ne quidem temporali eorum paci ac prosperitati obfuisse vnquam aut obesse potuisse, quando nunquam Deus illum populum, Dei leges ac mandata seruantem in manus gentium tradiderit, vt vel ex historia Achior meminisse poterant, notatque ad hunc locum D. Chrysoſtom. sic omnino Politici hodie Christiani, si tamen Christiani, meminisse & aduertere imprimis debuerunt, in hoc quoque statu Euangelico Deum nec suos, nec causam suam aliquando deserre. Qui de Ecclesia sua dixit, *Porta inferi non præualebunt aduersus eam*, & suis fidelibus dixit, *capillus capitis vestri non peribit*, satis luculenter docuit tum Ecclesiam totam, tum singulos fideles ita sibi curæ esse, vt confidentes in eum sub umbra semper alarum suarum protegat ac defendat. Sed quis ab illis fidem in Deum postulet, qui fidei causam rebus omnibus posthabendam censent? Quare vbi huiusmodi hominibus plena sunt omnia, nihil mirum si fiat illis secundum fidem illorum: si Deus illos deserit, & perpetuis calamitatibus exagitat, qui non in recto Dei cultu eiusque providentia ac promissionibus, sed in sua quam putant prudentia, in dextera & brachio suo, spem omnem suam collocant, nec in Dei numine ritè colendo, sed in carnis cura & seculi desiderijs perfruendis, puppim ac proram felicitatis suæ ponunt: si denique quod semper riment id illis accidat, vt *veniant aliqui Romani & tollant locum ac gentem*, sicuti Iudæis accidisse populus ille toto orbe hodie dispersus & Romano imperio per aliquot post sæcula subditus, ad oculum loquitur. Notat in hunc locum sapienter Augustinus, quod Iudæi, *quia temporale regnum & virtuale prætulerunt utrumque amiserunt*. Idem politicis quibusdam magnatibus in Anglia & hoc Belgio accidisse videmus, dum illi Principi, hi populo applaudentes Catholicæ religionis, quam animo tenuerunt, patrocinium deseruerunt, & fide postea orthodoxa exciderunt, & capite mulctati sunt. Videant atque iterum videant Politici magnates in Gallia ne hæretico adhærentes, & pietatis causam paci (vt existimant) temporali anteferentes, & ipsa pietate paulatim excidant, & ab ipso quem tuentur hæretico iustas perfidix pœnas luant. Placet hosti proditio, sed proditor nunquam placuit.

cuic.

cuic. Meminerint iustum illud iudicium;

At tu dictis Albane maneres.

Si enim sociale fœdus ab homine inter homines initum tantam vim habet, vt eius violatio tam acerbis supplicio pleteretur: quid non apud Deum & homines merebitur sacrosanctæ fidei, qua Deo & Ecclesia omnis Christianus astringitur, vinculum & fœdus abruptum? Sed alterius loci hæc consideratio est. Hæc eò rantum à nobis dicta sunt, vt qui hac peste adhuc attracti non sunt, ab ea se immunes conseruent; & Christiani nominis tantam labem, qua nulla atrocior est, à se suisque omni studio & conatu auertant.

2. *Hoc autem à semeipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

Locus ostendendi per impios & prauos ministros veram subinde doctrinam Deum administrare. Solent hodie hæretici more veterum omnium, vt Catholicam doctrinam in odium atque inuidiam vocent, in eius ministros ac doctores quæcunque vel fingere vel amplificare libet, crimina conicere. *Non nisi hominum crimina* (ait Augustinus de sui temporis hæreticis) *colligere affectant: & ea ipsa plura falsissimè iactant: vt quia ipsam diuinam Scripturam veritatem, qua vbiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos predicatur adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, possunt*. In hunc finem colligunt & corradunt summa diligentia hæretici hodie quicquid de malorum Pontificum ac Sacerdotum vita seu verum seu falsum vel à posteriorum temporum historicis memoriæ traditum, vel incerta & mendaci fama relatum inuenerunt. Nec apud populum seducendum, qui illorum primarius scopus est, validiora afferunt argumenta, quam quæ ab huiusmodi criminationibus petunt. Cæterum *nec paucorum crimina, orbis Christiani crimina sunt, cui nos communicamus*, (vt eisdem hæreticis responderet Augustinus) *sed ad quosdam illa crimina pertinent, non ad vniuersum orbem Christianum, nec in quibus illa vera sunt, autoritate propterea legitima, aut veritatem Euangelicam docendi firmitate exciderunt,*

An

Epist. 137.

Sacerdotum impietas veræ doctrinæ non officit.

De vnit. Ecclesie cap. 2.

An fortè inter illos magis impius quisquam fuit quàm Cai-
phas iste Iudeorum Pontifex, qui vnus consilium dedit per-
dendi Christum, idque non ob doctrinæ vitium quam do-
cuit, sed *ne venirent Romani & tollerent locum eorum & gen-
tem*: Per os tamen huius impij Pontificis prophetare, maxi-
mumque fidei mysterium pronunciarè Spiritus S. voluit:
prophetauit (ait D. Euangelista) *quod Iesus erat moriturus pro
gente, scilicet Iudaica, & non tantum pro gente, sed vt filios
Dei, qui erant dispersi, in vnum congregaret.* An non hoc maxi-
mum fidei nostræ ac diuinissimum mysterium est, totius
mundi Redemptorem esse Iesum Christum? illum esse pa-
cem nostram, qui fecit *utraque vnum, vt medium parietem ma-
ceriæ soluens duos condat in semetipso in vnum nouum hominem,
faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per cru-
cem interficiens inimicitias in semetipso.* At hoc totum prophe-
tauit Caiphas. Dicente quippe illo *mori pro populo*, Iudaici
populi salutem per Christi mortem Spiritus S. insinuauit:
addente, *ne tota gens pereat, filios Dei qui erant toto orbe disper-
si.* Spiritus Sanctus intelligi voluit. Ita Pontifex impiissimus
& prophetauit, & prophetiam diuinissimam ore licet im-
puro eructauit. Sed quare hoc ille, & non alius quàm ille,
homo totus politicus & impius? *Quia erat Pontifex annu-
lizzs*, ait Euangelista. *Vides* (ait Chrysostomus) *quanta sit Pon-
tificialis potestatis virtus? Quis tantum gratia, non etiam scelestum
cor attigit. Hoc quippe (ait diuus Augustinus) in eo egit pro-
pheticum chrisma, vt prophetaret: hoc impia vita, vt nesciens pro-
phetaret.* Et in hunc ipsum locum. Quod prophetauit im-
pius Caiphas, diuino sacramento tribuit Euangelista, quia Pon-
tifex fuit. Aliud quippe dixit & sensit Caiphas, aliud per il-
lum dicere & docere voluit Spiritus sanctus. Et quare hoc
aut quomodo? Rationem reddit Diuus Ambrosius. *Alia
sunt verba delictorum, alia sacramenta salutis: non præiudicant
verba virtuti. Suis viribus substantia diuina fulcitur. Homo au-
ditur, Deus in operibus agnoscitur.* Idem docet D. Chrysosto-
mus. *Quicquid concreditum habet Sacerdos, solius Dei donum
est, & vbi humanam exercet sapientiam minor illis gratia appa-
ret. Deus omnia facit. Sacerdos linguam & manus præbet. An
verò illi quos Paulus dixit per occasionem & per inuidiam
adeoque per contentionem Christum prædicasse, existimantes se
pressuram suscitare vinculis eius, impij planè & scelerati ho-
mines non erant? De eorum tamen prædicatione ait Pau-
lus, *in hoc gaudeo, sed & gaudebo: non sanè gauisurus, sed**

quantum

Ephes. 2.

Hom. 64. in
Ioan.Contra Fau-
st. lib. 16. cap. 23.
Tract. 49. in
Ioan.

In Psal. 39.

Homil. 85. in
Ioan.

Philip. 1.

quantum in ipso erat modis omnibus restiturus, si homines
impios veritatis Euangelicæ ministros esse non posse iudi-
casset. Hominum ergo crimina, Pontificum & Sacerdotum
vitam interdum parum laudabilem, vitiosam, contamina-
tam, contra ipsius quam prædicant doctrinæ veritatem, fru-
stra & inaniter ventilant heretici. Aduertere debuerit, Deum
qui per Ecclesiam docentem loquitur, non solum per bo-
nos, sed etiam per malos ministros, non quæ ipsorum, sed
quæ sua sunt loqui, nec propter illos (quorum ibi causa
non agitur) sed propter fidelem populum, quorum salu-
ti aliorum ministerio Deus prospicere voluit, veritatis
doctrinam tradere. Facile hoc vident & aduertunt hære-
tici, quum sui ministerij dignitatem tueri volunt; idque si-
bi pernecessarium agnoscunt, quum ipsorum hodie Mini-
stris nihil iam sit ferè scedius, nihil in omni vitiorum ge-
nere contaminatius. Sed in Catholicæ veritatis doctoribus
hoc aduertere nolunt, videre & agnoscere detrectant.

Reluctatur hoc loco Calvinus defensionem nostræ, quam
in suis non minus libenter quàm necessariò admittit. *Plus-
quam ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui ex hoc Caiphæ exem-
plo colligunt habendum esse pro oraculo quicquid Romano Ponti-
fici effutire libuerit.* Sanè plusquam ridiculus est Calvinus,
qui talem Papistis sententiam affingit. Non id ex hoc loco
colligunt Catholici, Pontifici Romano aut cuiuslibet Episco-
po seu Pastori credendum esse quicquid effutire libuerit.
Putida hæc Caluini calumnia est, quam illi plusquam ridi-
culè effutire hoc loco libuit. Quod Catholici ex hoc loco
colligunt, istud est. Nec Romani Pontificis, nec cuiuslibet
alterius Episcopi aut Sacerdotis vitam impuram impedire,
quo minus Cathedram & potestatem docendi legitimè oc-
cupans, veram doctrinam tradat, Christumque verè & vti-
liter prædicet. Nunc totum inuertit cauillator Calvinus, vt
putidæ calumniæ locum faciat. Addit huic putidæ calum-
niæ, argumentationem insulsam. *Primum* (inquit) *vt illis
demus Prophetam semper esse quisquis est summus sacerdos, pro-
bare tamen necesse habebunt Romanum Pontificem Dei mandato
creari. Nam sacerdotium vnus hominis Christi aduentu oboli-
tum fuit, neque vsquam legitur diuinitus præscriptum fuisse, vt
vnus quispiam toti Ecclesiæ præesset.* In hac insulsa argumen-
tatione tam multa propemodum sunt vitia quot verba. Pri-
mum, summum sacerdotem Prophetam semper esse (quod

Hæreticorū
improbitas.In com. in
hunc locum.Caluini pu-
tidum ca-
uillum.Caluini ar-
gumentatio
insulsa.

I.

Q ille

ille se nobis dare dicit) nemo Catholicus à Caluino sibi dari postulat, quia & nemo Catholicus hoc asserit. Summum Ecclesie Christiane sacerdotem in doctrina fidei non errare asserimus; Prophetam semper esse, ut videlicet quicquid libuerit asserat (quomodo Caluinus loquitur) non dicimus. Nec ipse Caiphas quamuis ut Pontifex prophetauit, Propheta tamen fuit, ut semper vera diceret, qui nisi hoc fortasse temporis articulo, prophetauit nunquam. Deinde Romanum Pontificem Dei mandato creati probare necesse non habemus, nisi apud hæreticos: apud quos etiam Christum esse verum Deum probare necesse est, quando negare id volent, ut olim Ariani, hodie in Transsilvania Francisci Davidis, & Georgij Blandratae Ministri faciunt. Addit Caluinus sacerdotium vnus hominis Christi aduentu abolitum fuisse. De legali sacerdotio & quoad munus propriè sacrificale verum est. Non enim vnus iam, sed omnes sacerdotes idem diuini sacrificij munus æqualiter peragunt. De Ecclesiastica prælatura, quam nisi Sacerdotes exercent falsum est. Imò ait Caluinus, nusquam legitur diuinitus præscriptum fuisse, ut vnus quisquam toti Ecclesie præesset. Opinor sane Caluinium hoc nusquam legisse, quia quod legerat intelligere noluit. Eutyches in Scripturis duas Christi naturas se nunquam legisse, Concilio Chalcedonensi respondit. Alii omnes hæretici nunquam id in Scripturis legunt, quod credere in Scripturis nolunt. Nos verò Catholici hoc perspicuè in Scripturis legimus, Sanctiq; ante nos Patres legunt, dicente Christo ad Petrum, & ad solum Petrum presentibus aliis Apost. & ad illum de maiori sua dilectione ter interrogatum. Pasce agnos meos, Rege oues meas, Pasce oues meas. Βόσκῃ τὰ πρόβατά μου: Ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου: Βόσκῃ τὰ πρόβατά μου. Quæ verba tam variè & distinctè à Christo prolata quantum valeant, alio in loco discussimus. Sed Caluinus ista non legit, quia quum legeret, ineptissimè maluit ex priuato suo sensu contra illa cauillari (ut eodem in loco ostendimus) quàm apertam & dilucidam Christi mentem cum Catholicæ Ecclesie sensu & consensu amplecti. Pergit adhuc ineptire hoc loco Caluin. *Ut hoc quoque secundo illis demus, ius & honorem Pontificis ad Roman. Episcopum translatum esse, videndum quid sacerdotibus profuerit quod Caipha vaticinium amplexi sunt. Ut subscribant illius sententia, conspirant in mortem Christi. Procul verò à nobis facessat alia obedientia, quæ nos ad horribilem apostasiam, filium Dei*

4. Hæretici in Scripturis non legunt quod credere nolunt.

De Princip. fid. lib. 6. cap. 10. & 11.

Caluini stupida ratiocinatio.

abnegando impellat. Eadem voce blasphematur & simul prophetatur Caiphas. Qui eius dicto absequuntur, contempta prophetia blasphemiam arripiunt. Idem ne contingat, nobis cauendum, si Romanum Caipham audierimus: alioqui similitudo claudicaret. Totam impostoris sententiam posui, ut ad eius tandem conclusionem peruenirem. Hæc quippe conclusio totam præcedentem disputationem vanam & friuolam conuincit. Alioqui (inquit) similitudo claudicaret, hoc est, nisi hæc absurda quæ colligo in re præsentis locum habeant, similitudo claudicaret. Atqui similitudinem claudicare quid quæso absurdi est? aut quid necesse est ut exemplo prophetantis Caiphæ, mali ministri doctrina vera approbetur, ministri doctrinam prophetiæ Caiphæ per omnia similem esse? Ex hoc exemplo nihil aliud aut amplius colligimus quàm quod collegit Euangelista. Prophetauit homo impius, quia Pontifex erat. Colligitur inde. Vera docere possunt homines impij, quia Pontifices sunt, quia ministri Ecclesiastici locum tenent: quia (ut ipse Caluinus hoc loco affirmat) Deus sacerdotium à se institutum potius respicit quàm hominis personam. In hoc tenet similitudo, in hoc non claudicat, sed in causa ministerij Ecclesiastici non secus valet, quàm in veteri illo Sacerdotio umbratili valuisse videmus. Cætera in factò Caiphæ aduentitia nec in exemplum trahuntur, nec ad similitudinem tam ab ipsis hæreticis quàm à nobis collectam vllò modo pertinent. Dicit hoc loco Cal. *Eodem modo per os Balaam, quem spiritu prophetiæ Deus donauerat, populo suo benedicere voluit. An vult Caluinus ut hæc similitudo per omnia teneat, nec in vllò claudicet? An vult ut cum isto Balaam idola colamus, ut virulos & arietes super aras immolemus, ut mercedem iniquitatis amemus, ut filios Dei peccare doceamus? Hæc omnia fecit iste Balaam etiam cum populo Dei benediceret. Sed sicut Balaam homo impius populo Dei benedicens, exemplum sanè est eorum in Ecclesia ministrorum Dei, qui impiè viuètes vera docent, ad alia tamen quæ ille fecit ac docuit, quæq; ex eius pessima doctrina consecuta sunt, similitudo non valet: sic Caiphas homo impius beneficium mortis Christi prophetans exemplum quoque eiusdè rei est, ad alia tamen, quæ vel ille impiè sensit, vel ex eius impio cõsilio sequuta sunt, similitudo trahenda non est: Nempe prophetauit ut Pontifex; consilium interficiendi Christum quod cæteri sequuti sunt, non dedit ut Põtifex, sed ut homo impius. Atq; hic Caluiniana collectio*

Caluin. à se ipso refutatur. Num. 23. 2. Petr. 2. Iudæ. 11. Apocal. 2.

Calvinus contra Euan- gelistam di- sputat.

Caluin.ite- rum à seipso refutatur.

Caiphæ pro- phetia non fuit extraor- dinaria.

Malach.2. Deut.17.

Matth.23.

non claudicat tantum, sed & penitus deiecta iacet.

Addit adhuc Calui. modis omnibus fatagens, vt hoc exem- plum infirmet, hoc est, vt Euangelistæ annotationem ina- nem & friuolam esse doceat. Quæro præterea (inquit) an quia semel prophetauit Caiphæ, singula Pontificis verba totidem semper sint propheta. Atqui paulo post summum ac præcipuum fidei nostræ caput blasphemia damnauit. Vnde colligimus quod nunc Euangelista refert, extraordinarium fuisse, ac præposterè in exemplum trahi. Hæc ille. Quæro & ego à Caluino an pro- phetia Balaam qua benedixit populo Dei, non fuerit extra- ordinaria. Sanè ita extraordinaria fuit, vt ille nec Pro- pheta, nec Sacerdos Dei, nec etiam de populo Dei, sed ido- lolatra & ariolus fuerit. Si ergo hoc factum tam extraordi- narium, in exemplum tamen trahitur, quo docemur Deum per impios ministros loqui (nam & ipse Calvinus hoc lo- co, Eodem modo, inquit, per os Balaam, quem Spiritu propheta donauerat, populo suo benedicere voluit Deus) quanto magis Caiphæ propheta, quãtumuis esset extraordinaria, in simi- le exemplum trahitur? Ille enim & de populo Dei, & sum- mus Sacerdos fuit, nec extraordinario aliquo spiritu pro- phetia donatus sicut Balaam, sed vt ipse Euangelista, affir- mat, quia Pontifex erat anni illius, id est propter ordinariam Pontificalis gratiæ virtutem, prophetauit. Quare hæc eius propheta non fuit, vt Calvinus vult, extraordinaria vel ex- tra ordnem & præter rationem vocationis & muneris eius: sed quod postea fecit, quodque Calvinus allegat, quum præcipuum fidei nostræ caput blasphemia damnauit, videl. de vëturo Christo in maiestate sua ad iudicium, hoc planè extraordinarium fuit, & præter ordinem ac dignitarem il- lius sacerdotij, ideòque singulariter à prophetis veteribus prædictum. Quum enim ordinaria veteris Synagogæ in- stitutio hæc esset, ex ore sacerdotis legem requires: & iterum: Qui non obedierit summo sacerdoti, qui pro tempore fuerit, mor- te moriatur: aliæque in veteri Scriptura permulta, quæ Chri- stus ipse in Euangelio confirmat, dicens. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei: Quæcunque ergo dicunt facite: tandem verò veniente Messia, & quum translatio le- gis, & Sacerdotij veteris abolitio immineret, ipsa Synagoga suo merito reprobanda esset, Prophetæ hoc ipsum quasi rem præter ordinem, & vt minus credituri Iudæi scandali- zarentur, prædixère, idq; verbis ordinariæ constitutioni di- uinæ contrariis. Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senio-

ribus.

ribus. Et iterum: In illa die peribit cor Regis & cor Principum, & obstupescunt Sacerdotes. Et adhuc alius Propheta: Nox vo- bis pro visione erit, & tenebra vobis pro diuinatione. Hæc om- nia valde extraordinaria erant, & præter primam Sacerdo- tij legalis institutionem. Denique mysterium hoc vocat Pau- lus, quod cecitas ex parte in Israël contigit, vt plenitudo gentium intraret. Vide nunc ergo impiam & præposteram Caluini disputationem, cui applaudunt Calvinistæ omnes. Caiphæ prophetiam & doctrinam veritatis ordinariam, quia Ponti- fex erat anni illius, tametsi impius ipse erat, nec quod pro- phetaret intelligeret, ad exemplum trahi Calvinus non pati- tur, quo ostendatur impios Pontifices ac Sacerdotes ve- tam nihilominus doctrinam tradere, quam diu cathedram vnitatis tenent. Eiusdem autem Caiphæ blasphemiam ex- traordinariam, & Sacerdotum Synagogæ (cadente iam il- lo statu, vt melior exurgeret) lapsum ac errorem, in exem- plum trahi homo impius vult, vt totius Ecclesiæ Catholicæ per aliquot iam sæcula apostasiam ac ruinam conuenis & sodalibus suis persuadeat. Hoc enim studiosè facit in Insti- tutione sua innumeris mendaciis, paralogismis, blasphe- miis referta, quod alio loco protulimus & refutatum reli- quimus. Atque hæc de his Euangelij verbis, impiæque & va- na Caluini tergiuersatione hæctenus.

Sabbato post Dominicam pas- sionis.

1. Benedictus qui venit in nomine Domini.



ocus, de quo nos admonet Calvinus, contra hæreticos omnes & pseudo ministros verbi, qui non veniunt in nomine Domini, sed in nomine suo. In nomine Domini venit (ait in hæc verba Calvinus) qui non temere se ingerit, neque honorem falso usurpat, sed ritè vocatus Deum habet actio- num suarum ducem & authorem. Competit elogium hoc in omnes legitimos Dei ministros. Et paulo post. Iam quia pseudoprophetae supernè nomen Dei iactant, & fallaci hoc prætextu se venditant, quum tamen diaboli impulsu ad perdendam Ecclesiam ferantur, subaudienda est antithesis, vt Dominus eos dissipet, ac in nihilum

Q 3

redi

Ezech. cap. 9. Hierem. 4. Mich. 3.

Rom. II.

Caluini im- pia & præpe- stera dispu- tatio.

Lib. 4. cap. 9. num. 7. De Princip. fidei, lib. 2. cap. 12.

Ioan. 12.

In com. in hunc locum.

Vocatio le- gitima Mi- nistrorum verbi.

Calvinus in
caput suum
disputat.

In festis. S.
Andrea &
S. Marci, &
fer. 3. Pent.

Calvini cæ-
ca maledicē-
tia in Sum-
mum Pont.

redigat. Probè sanè hæc omnia, & in caput suum egregiè Calvinus disputavit. Quis enim Calvinum misit ut Genevæ Dei nomine doceret, & pro legitimo Dei ministro se vendicaret? Cui Episcopo successit? Aut quis illi Episc. manus imposuit? Cuius ille Cathedram nisi vnius Farelli tenuit? Ipse Farellus cui successit? Nonne eiecto eodem die & Episcopo civitatis illius, & Principe loci legitimo Subaudic Duce, tam in cathedram Episcopalem Farellus se ingressus, quam in loci principatum rebellis populus se intrusus? Quàm pulchrè igitur Calvinus & seipsum & alios omnes huius ætatis: hæreticos, qui legitimam vocationem suam hæcenus probare numquam potuerunt, hac sua annotatione maledictos, à Deo dissipandos, & in nihilum redigendos docuit: hæc enim antithesim subaudiri vult. Iam in alia huius Operis parte luculenter ostendimus hæreticos horum temporum vocationem suam legitimam probare non posse, eorum missionem non nisi imaginariam esse, eos non intrasse per ostium, sed aliunde. Cur igitur hoc loco crimè illud taxare & exaggerare voluit Calu. quo ipse maximè tenetur reus? An ut de illo, minimè suspectus haberetur? Sanè hic textus nullam huiusmodi suspicandi materiam suppeditabat, qui ita propriè ad Christum pertinet, ut ad alium transferri nequeat. Clamabat enim populus: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël*: quod soli Christo competit. Cæterùm quia illa sententia ex psalmo desumpta Regis Israël mentionem non facit, ideòque ad alios Prophetas, Pastores, Reges à Deo missos accommodari potest, Calv. suæ sibi usurpationis conscius propter antithesim, quam includi videbat, iuxta rudem illum, sed verum versiculum, *Consciis ipse sibi de se putat omnia dici*: ex aliorum accusatione hanc à se amoliri suspensionem voluit. Nec eo contentus, etiam in alios idem crimen contorquet. Addit enim præcedentibus verbis:

Ita benedicere Christo non possumus quin maledicamus Papæ, & sacrilegæ tyrannidi, quam adversus Christum erexit. Sua quidem anathemata non secus ac fulmina, magno impetu in nos vibrat, sed quæ securè contemnere velut manes ampullas licet. Ex adverso autem Spiritus S. horribile anathema hic nobis dicat, quo usque ad ultimos inferos cum tota suo splendore & pompa mergatur. Hæc Calvinus. Quis hic Calvinum disputare, & sacrum Dei Euangelium explicare, ac non potius rabulam aliquam indoctum ac bene potum in medio foro debacchari

existimet?

existimet? Spiritus S. (inquit) horribile anathema hic nobis dicat, quo usque ad ultimos inferos mergatur. Vbi verò, aut in quibus verbis hoc horribile anathema continetur? In illis, inquit, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. At quis non iudicaret beatam potius & optabilem benedictionem illa verba pronuntiare? sed subaudienda est. (inquit) antithesis, *pseudoprophetas omnes, qui superbe iactant Dei nomen, a Domino dissipari, ac in nihilum redigi*. Esto: sit ita, demus hanc antithesim subaudiri, nec singula excutiendo nimis in Calvinum rigidi videamur. Quomodo Papa in hac antithesi includitur? aut quid ad eum hæc antithesis? Hic ut procedat Calvinus disputatio, rursum subaudiendum est, Papam esse pseudopropheta. Atqui non debemus tam liberales esse, ut hoc quoque illi concedamus. Postulamus igitur ut hoc doceat. Sed quid ab illo hoc præstari postules, quod ille numquam præstando erit, quod ille supponit semper, probat numquam, quod hoc in loco ne vno quidem verbo ostendit? Qualis igitur ista conclusio est, quàm furiosa, quàm absurda, quæ Spiritum Sanctum id dictare affirmat, quod nec aperte dicitur, nec tacite insinuat. nec nisi ex duobus præsuppositis inferitur, quorum vnum si des. causam nihil iuvat, alterum nec dari debet, nec probari potest?

Itane verò, Papa pseudopropheta erit, quia Calu. hoc præsupponit? Rogo igitur Calvinum & Calvinistas hodie omnes, quis iste Papa est, quem pseudopropheta vocant? Norunt hoc non personæ, sed officij nomen esse. Designent ergo in hoc officio quam personam intelligant. Si omnes qui eo officio functi sunt, ergo & ipsum Diuum Petrum, omnesque eius in Sede Romana successores, in hoc horribili anathemate, quo usque ad ultimos inferos mergantur, includere debent. Si eò usque insanire velint, soli opinor insanienti: nisi fortè Turcam aliquam Mahametanum, aut paganum barbarum, aut Iudæum incredulum insanix suæ comites nanciscantur. Si non omnes, sed aliquem aut aliquos, hos ubi designaverit, ostendant necesse est, quomodo pjs antecessoribus succedere pseudopropheta potuerit. Aut enim talis successor populum sibi subditum, omnesque alios illi Sedi adherentes novis hæresibus seduxit, & huius seductionis, quæ sine tumultu esse non potuit (nisi in gratiam hæreticorum dicamus totum Christianum orbem quasi vno momento attonitum derepente relicto Christo, Antichristo manus dedisse (aliqua apud historicos memoria,

Calvini cō-
clusio furio-
sa.

Papam non
esse pseudo-
prophetam.

aliqua vestigia necessariò superesse debent, aut solus in sua dementia manens alios seducere non potuit: & quo modo aut qua mente fingere hæretici possunt, talis seductoris & pseudoprophetae tot alios per totum orbem Ecclesia communionem tenuisse, eisque vnitas, adeoque subditas fuisse: Hæc & his plura longè absurdissima & fingere & asserere hæretici debent, vt Papam esse pseudopphetam probent. Quare horribile anathema, de quo Calvinus loquitur, non est à Spiritu S. dictatū, vt ille dicit, sed est à spiritu nequam à spiritu mendacij, à Satanico Caluini cerebro adinuentum, vt res ipsa loquitur. Hanc hominis furiosam impietatem lectori patefacere, & Sedem Apostolicam Ecclesiarum omnium matrem ac matricem à tam furiosi nebulonis rapida calumnia asserere ac tueri operæ precium duxi.

2. *Accesserunt ad Philippum & rogarunt eum dicentes, Domine volumus Iesum videre.*

Locus putidæ & iusulsæ calumniæ Caluiniianæ breuiter refellendæ, simulque crassi mendacij circa Sanctorum Inuocationem vno verbo refutandi. *Hoc* (inquit Calvinus) *reuerentia signum est, quod gentiles isti Christum non compellant, sed per Philippum cupiunt sibi patefieri accessum. Reuerentia enim modestiam semper ex se gignit.* Vera & bona sunt hæc. Nunc fermentum apponit suum. *Quo autem hinc colligunt Papista inuocandos esse mortuos, vt nobis apud apud Christum & Patrem sint patroni, magis ridiculum est quam vt resurrectione indigeat.* Primum collectionem ab aliquo Catholico factam nunquam hactenus audiui, & tam mendaci magistro temere credendum non est. Deinde collectio omnino absurda non est. Reuerentiæ signum esse agnoscit Calvinus quod gentiles isti per inrepositam Philippi personam accessum sibi ad Christum patefieri cupiunt. Cur non etiam Reuerentiæ signum erit, quod per interpositas Sanctorum preces, accessum nobis ad Deum patefieri cupimus? Tertio longè aliis testimoniis, rationibus, exempli nritur Catholicæ Ecclesiæ pietas, vt Sanctorum suffragia & patrocinia imploret. Quarto, tametsi hoc argumentum, seu hæc collectio nullius momenti esset, tamen non magis ridiculi vocandi sunt, qui ea aliquando vsi fuere, quam varij hodie Calvinistæ ridiculi celsendi sunt, imò & Calvin. ipse, qui ex

Caluini pu-
tata calūnia

illis

illis Christi verbis, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*, hanc collectionem intulerunt, Ergo Christus non adest realiter in venerabili Eucharistia: de qua inepta & ridicula consequentia in proxima feria infra dicemus. Iam verò quod de inuocandis mortuis loquitur, & addit: *Qui mortuos inuocat, à quibus est separatus, qui habet simile cum eo quod Græci coram Philippo loquuntur*, quam ineptè, addo etiam Impiè loquatur, in alio Euangelio huius partis satis explicatum est, vbi contra similem collectionem Catholicorum, simili verborum ineptia & impietate vitur. Quare hic nihil repetere necesse est. Addit Calvinus. *Sanctorum inuocationem temere commenti sunt Papista ex suo cerebro.* Hoc mendacium quàm crassum, impudens, & quasi digito palpandum sit, innumera totius Antiquitatis testimonia de Inuocatione Sanctorum ab Apostolorum tempore huc vsque loquuntur: quibus libellum impleuit Ioannes Garetius: nisi fortè etiam totius Antiquitatis Patres ac Doctores pro Papistis habeat Calvin. Quod vt illi nos concedimus, sic in eo tamen mentitur, quod illos ex suo cerebro hanc Inuocationem commentos fuisse scribat. Designet si potest qui primus hoc commentus est. Tum doceat qui factum sit, vt vnus cōmentum tot secula sequuta fuerint. Sanè in altera huius Promptuarij parte, doctissimorum & sanctissimorum Patrum, Chrysostomi, Origenis, Augustini, Gregorij Nazianzeni, Hieronymi, Theodoret, Basilij, Gregorij Nysseni, Ambrosij, Paulini, Prudentij, ac demum totius Concilij Chalcedonensis General. 4. testimonia & praxim. pro Inuocatione Sanctorum produximus, cum quibus Papistæ censerent & haberi libenter volumus. Sed Lectorem fallit Calvin. Papistarum commentum vocans, quasi hoc demum seculo & hac ætate, qua ab hæreticis nouis, Catholici veteres Papistæ vocari cœperunt, Inuocatio hæc Sanctorum adinuenta fuerit. Rudes quoque & miseri Calvinistæ hoc sibi seriò persuadent omnia esse recentia Papistarum commenta, quæ ipsorum magistri contra Catholicam Ecclesiam hodie negant & damnant. De qua tota impietate & fraude breuiter hoc loco annotata commonefacere fidelem populum concionator poterit.

3. *Nunc anima mea turbata est: Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora.*

Ioan. 12.

Matth. 26.

Fer. 5. hebdom.

1. Quadrages.

Calui. mendacium luculentum.

In festo omnium Sanctorum.

Caluini in Christum blaphemia.

Locus diuinam Scripturam & Christi Redemptoris puritatem à corruptela & blasphemia Caluiniana vindicandi. Caluinus quippe siue ex veræ theologiæ ignorantia, siue ex innata quadam illi impietate, totum hunc locum perperam admodum exponit, & Christo indigna eiusque puritati ac sapientiæ nullo modo conuenientia, Christo attribuit, Ait enim ad illa verba, *quid dicam? in ultimis angustiis redactum Christum, neque verba inuenisse quibus exprimat doloris vehementiam neque consilium secundum hominem.* Deinde ad sequentia verba, *Pater saluifica me ex hac hora,* ait. *Votum Christo inconsiderate fluxisse, cui statim renuncian- dum erat vt Patri obediat.* Sic ponit apertè in Christo motus inuoluntarios, qui rationem præueniant passiones, & desideria inconsiderata, quæ postea corrigi debeant: Atqui ista solis peccatoribus conueniunt, qui peccati originalis corruptionem pœnalem citcunferunt. Ait quidem Caluinus ad superiora illa verba, *Nunc anima mea turbata est, voluntariam hanc fuisse turbationem,* sed addit, *quia non coactus timuit, sed timori sponte se subiecerat.* Sic voluntarium vocat quatenus spontaneum, & quatenus coactioni opponitur, quale sanè voluntarium etiam brutis conuenit: negat verò affectus istos in Christo turbationis, & timoris, propriè voluntarios fuisse & liberos, libereque ab ipso quando voluit & quantum voluit susceptos, sicuti contra Calu. veteres Patres magno consensu docuisse, supra in hac parte Quadrage. ostendimus. Quare illa superior ratio utcunque honesta videatur. has eius posteriores assertiones nihil excusat. Impium est in Christo ponere, vel consilij defectum secundum hominem vel vota inconsiderata quæ corrigi debeant. Calu. tamen non hoc tantum in loco ita loquitur, sed & alibi. Tractans enim Christi orationem in horto habitam, vbi dixit, *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste,* primum dicit abruptum hoc fuisse votum, moxque docens fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando confingere, de Christo quoque affirmat, *sic hoc loco metu percussus & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret inter violentos tētationū fluctus alternis votis quasi vacillare.* Addit demum, *quod votum suum subito elapsum castigat ac reuocat.* Tandem concludens dicit. *Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis et impetus doloris subitæ ei vocē extorsit, cui statim addita fuit correctio.*

In ser. 6. heb. dom. 4.

Christi affectus erant omnes deliberati & liberi.

In Har. Euāg. ad Math. 26. ver. 39.

Caluini variæ in Christū blaphemia.

E:

Et paulò post. *In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi quantum in se est renuit ac detrectat.* Ponit ergo in Christo desideria inconsiderata, voto abrupta, eademque alternantia ac vacillantia, subito erumpentia quæ corrigi debeant, denique orationes non meditatae, sed impetu doloris extortas, ac placidæ postremò moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores peccato originali corruptos ac deprauatos cadunt, ex veræ Theologiæ ignorantia, & animi contumacia Caluinus ponit, nolens videl. in Christo agnoscere humanorum istorū affectuum, gaudij, timoris, &c. liberam susceptionem, quam diserte Patres docent. Quum enim liberè seipsum turbaret, & liberè mortis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & meditatè, tam in hoc Euang. dixit, *Pater saluifica me ex hac hora,* quam apud Matthæum & Lucam. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Nullum hic votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subito elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant cum placida moderatione coniuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat spectantia. Voluntas quippe humana in Christo, quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamè diuersorū obiectorum duplex erat, modò naturalis, quæ etiam sensuallitas vocari potest, vt appetitum sensitium, quæ potentia naturalis est, significat; modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam consideratam: deliberata verò, quæ fertur in rem non solam, sed cum circumstantiis suis per intellectum propositam. Illa per naturæ modum se habet; hæc rationis est, & electio dicitur. Et vt in præsentī materia maneamus, mors ipsa & passio considerari dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter considerata, & sic habet rationem mali: est enim quoddam pœnæ malum, nec secundum se appetibile est. Vnde de ipsa morte aliisque rebus aduersis aptè dicit S. August. *Iubes nos Domine et tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, et si tolerare amat.* In hac consideratione voluntas humana (siue appetitum sensitium hoc nomine accipias, siue voluntatem rationalem, sed per modum naturæ consideratam) aduersatur mortem & renuit eam. Alio modo considerari potest mors cum apposita circumstantia, nempe hanc mortē secundum diuinam voluntatē, eamque

Voluntas humana in Christo duplex.

Confess. li. 10. cap. 28.

vel

vel mundi esse redemptionem ut in Christo, vel ad Christi gloriam fideique professionem ut in Martyribus, vel materiam meriti ac ianuam melioris vitæ in quolibet iusto patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata, siue quæ per modum rationis se habet eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura considerat: hæc deliberata, quia per rationis discursum considerat circumstantias adiectas. Christus igitur ut non tantum affectu sensitivo & passioni corporali (de facto tolerando pœnas) sed etiam affectu rationali, seu passione animali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & ut timorem ac tristitiam propter nos in seipso excitaret, utebatur hac voluntate naturali, id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: & hac ratione *cæpit contristari, turbavit semetipsum, turbata est anima eius*, voces naturales emisit, *salvifica me ex hac hora: Transfer à me hunc calicem*. Ut autem Patri se per omnia conformaret, utebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euang. sunt hominis positi in hac agonia, qua seipsum turbare Christus voluit. *Quid dicam?* verbum quidem hominis est positi inter duas voluntates, quæ in contraria tendunt, (naturali enim voluntate mortem auerfabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non *inter violentos tentationum fluctus* positi, ut ait Calvinus, *& alternis vocis alternantur*. Nullam tentationem à seipso passus est Christus ut vacillaret, ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subire ne eam deberet an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autem illa Christi, *salvifica me ex hac hora*, vox est ex naturali voluntate procedens, non, ut absurdè & impiè Calvinus dicit, qua *Mediatoris officio defungi quantum in se erat renueret ac detrectaret*. Mediatoris quippe officium, mortem dicit cum suis circumstantiis consideratam, mortem videl. quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam quia bonum erat, Christus quantum in se erat renuere non potuit. Sed est vox qua mortem & passionem acerbam in seipsis consideratam auerfabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat, quam subiunxit hoc loco. *Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum*. Similiter in verbis in horto prolatis, prius votum erat vox voluntatis naturalis, *Pater si fieri potest transfer à me calicem hunc*, id est, ipsam passionem & mortem. Posterius votum

Calui. vox
impiissima
in Christum.

era,

erat voluntatis deliberatæ. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Vtrumque votum meditatam erat & liberè susceptum: prius illud ut in parte rationali pateretur, seque ipsum ipsa mortis præmeditatione turbaret: posterius, ut diuinæ voluntati humanam suam per omnia conformaret. Hæc nesciens distinguere Calvinus ea de Christo pronunciat, quæ in solis peccatoribus reperiuntur, & Christi puritate sunt indigna.

Vidit Calvinus hanc suam doctrinam non solum veterum Patrum, & omnium Theologorum, sed & suæ ipsius doctrinæ aliis in locis traditæ penitus aduersari. *Quum nuper* (inquit) *dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus* (sic enim ad Matth. c. 6. dixerat, *Christus communem nobiscum habuit sensum, non autem appetitus incompósitos*, & in hoc ipso Matth. 26. cap. ver. 37. *Christum ait mansisse compositum ad veram temperantiæ regulam*) *quomodo nunc seipsum corrigi? cur primus motus, quem frenari antequam longius excurreret oportuit, non fuit temperatus ut decebat?* Hanc obiectionem, quam contra seipsum mouet, ut verè pugnantiæ docentem, sic soluere conatur. *Respondeo* (inquit) *non posse in hac natura nostræ corruptione perspicere affectuum feruorem cum temperie, qualis in Christo fuit: sed hunc dandum esse honorem filio Dei, ne eum aestimemus ex nobis*. Atqui hæc responsio nulla est: more suo postquam pugnantiæ dixit, quæ simul esse vera impossibile est, ait rem à nobis intelligi non posse. Quod autem intelligi non potest, nisi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Calvinus verò suas contradictiones quum intelligi nequeant, recipi tamen & credi vult. Sic in aliis dogmatibus, maximè quum Deum authorem peccati statuit, lectores ludificat. *Affectuum feruor cum temperie à nobis perspicere non potest*, ait Calvinus. Ita sanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, simul & semel in eodem consistere à nobis intelligi nō possunt, ideòque à nemine sanæ mentis affirmantur. Ipsa ergo Caluini resolutio suam absurditatem prodit. Quid enim absurdius quàm pugnantiæ docere, moxque ipsam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic est Caluini ludus. Sic quod ex suo crebro commentus est, ut sibi fallacem ex verbo Dei prætextum conciliet, corrumpit ac lacerat Scripturam, ac indignis eam ludibriis exponere non dubitat. Hi sunt audaciæ hæreticæ fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit.

In Harm. ad
Matth. cap.
26. 39.

Calvinus
suas contra-
dictiones de-
fendit, quia
intelligi non
possunt.

Tenen-

Tenendum interea est Christum Redemptorem nostrum, nec aliquid inconsideratum vortum emisisse, sic enim sapiens non fuisset; nec correctione dignum aliquid dixisse, sic enim peccasset; nec preces non meditatas Deo obtulisse, sic enim temerarius foret; nec voces vi doloris extortas protulisse, sic enim appetitui suo dominari nequiuisset; nec postremo placida vnquam in moderatione caruisse, sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset; ac propterea Calvinum, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronuntiavit, hominem impium, nec fide, sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronuntiandum esse.

Feria 2. hebdom. Sanctæ.

I. *Maria accepit libram unguenti nardi pistici, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.*



Oculus non incommodus ostendendi placere Deo sumptuosos cultus & ornatum splendidum, quum in Dei honorem & cultum illa impenduntur, siue in templorum ornatu & magnificentia, siue in sacramentorum administratione solemnium. Hoc enim pretiosum unguentum corpori humilitatis suæ impensum ita probavit Christus, vt apud Matthæum & Marcum contra murmurantem Iudam dixerit, *Opus bonum operata est in me.* Si opus bonum erat corpus Christi mortale, & quatenus mortale, videlicet propter sepulturam significandam (dixit enim Christus, *ad sepeliendum me fecit*, id est, meam imminentem mortem ac sepulturam hoc facto significauit, tametsi nesciens) pretioso unguento inungere, quis dubitare potest, opus bonum, Deoque gratum illos operari, qui vel templa, quæ *Domus Dei* in Scripturis vocantur, & in quibus Deus præcipue colitur, sumptu pretioso ædificant, vel altaria ornamentis splendidis exornant, vbi corpus Christi verum in passionis suæ sacrosanctæ commemorationem & consecratur, & administratur: Voluit Christus in *cenaculo strato grandi*, id est, in loco amplo & ornatissimo Cœnam il-

lam

lam suam celebrare, in qua sacrosancta Corporis & Sanguinis sui mysteria primùm dispensauit. An non satis insinuauit, in loco semper decentissimo id fieri se velle, de quo tunc dixit: *hoc facite in meam commemorationem?* Sed vt ad nostri Euangelij textum redeamus, placuit Christo & laudatur à Christo cultus corporis sui morituri & sepeliendi. Quanto magis placebit cultus corporis sui iam glorificati, & in gloriose suæ passionis memoriam, nostramque perpetuam salutem, verè nobis & realiter, tamen sacramentali modo administrati? Non obstitit forma serui, & status externus humilis, quo minus hoc pretioso unguento ungeretur. Nec ob stare debent species sacramentales, res vulgaris, quo minus Christum in eis velatum, verèque contentum, omni cultu & veneratione prosequamur. Maria ungens nesciebat se ad sepeliendum Christum hoc facere, id est, futuram eius breui sepulturam hoc suo facto significare, & officium illud atque obsequium præuenire, quod post mortem frustra tentatura esset. Volens enim iam sepultum ungere, eum surrexisse inuenerat. Laudatur nihilominus à Christo, quia ex alia intentione bona hoc fecit, eum videlicet vt magnum Prophetam & hospitem omni honore dignum existimans. Quanto magis populus hodie fidelis, optimè sciens quem honorat, & in quem finem honorat, à Christo laudabitur, quum locum illum splendide exornat, in quo Christum accepturi sunt, non vt hospitem externis & corporalibus officiis excipiendum, sed vt animarum suarum hospitem dulcissimum, qui carne & sanguine suo illos pascet? Itane verò Christum in mensa recubentem pretioso unguento honorare Maria potuit & laudatur? Christum in mensa sacra nobis apponendum fidelis populus si pretioso loci ornatu honorat vituperabitur? Sed hæc est hodie hæreticorum stupida & crassa inscitia, vt quia interno cultu Deus præcipue colitur, idcirco externum omnem ab ipso respui & condemnari existiment. Quod perinde est ac si dicrent. Præcipuus honor qui parenti à filio debetur, est amor & affectus filio dignus: ergo externa aliqua reuerentia parentem prosequi, necessarium non est.

Inter alios hæreticos sic in hunc locum garrit Calvinus. *Vnctio, quam Iudas culpabat, hoc nomine defenditur, quod sit sepulchralis. Ergo non probat Christus, quasi ordinarium cultum, & cuius communis in Ecclesia esse debeat usus.* Primùm nõ hoc solo nomine hanc vnctionem probavit Christus, quod esset

sepul-

Ioan. 12.

Templorum ornatus defenditur.

Matth. 26.

Marc. 14.

Matth. 26.

Hæreticorū hodie stupida inscitia.

In Comment. in hunc locū.

Caluini assertio falsa, & illatio futilis.

Matth. 26.
Marc. 14.

Luc. 7.

Psal. 23.

1.

2.

In fe. 6. heb-
dom. 3.

sepulchralis, sed hanc huius vñtionis mysticam significationem esse docuit. Sanè si nulla alia ex causa eam probasset, Mariæ vngentis, quæ illam significationem non intellexit, nulla laus esset, aut certè non tanta, vt quaqua versum Euangelij prædicatio innotesceret, diceretur quod hæc fecit in memoriam eius: sicuti Christus futurum dixit. Nam eandem fuisse vñtionem, quam in hoc Euangelio Ioânes & Matth. ac Marc. commemorant, ipsemet Calvinus diligenter hoc loco astruit. Laudat autem Christus pietatem Mariæ, & honorem illi exhibitum. Sic enim post murmur discipulorum eam defendit Christus. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Hoc opus ex parte mulieris bonum non fuisset, nec illa bonum operata fuisset, nisi bonam aliquã in hoc opere intentionem habuisset. Aliam verò illam habuisse, quam vt Christum honoraret (nam & vngere capira Iudæi solebant, quum hilarius excipi volebant, vnde Simoni Phariseo hospiti suo exprobrauit Christus, *oleo non vixisti caput meum*) intelligi non potest. Deinde illatio Caluini futilis est. Quis enim vñtionem similem quasi ordinarium cultum aut Christo adhibitum fuisse dicit, aut nunc adhibet, aut eius in Ecclesia vsus quis vnquam vidit? Quare & id quod adiecit prorsus ridiculum est. *Nam si quotidie tale sibi officium præstare vellet, quiduis potius dixisset, quam hoc sepulturae suae datum.* Tale nunc officium nec quotidie, nec vnquam Christo præstatum: nec soli sepulturae datum fuit, vt iam dictum est.

Pergit ineptire Calvinus. *Et certè Deus externas pompas non moratur.* Cultus ergo diuini ignarus erat David, quum diceret, *Domine dilexi decorem domus tuae, & locum habitaculis gloriae tuae.* Sed & tota illa splendidissima tabernaculi in deserto, posteaque templi in loco quem elegerat Dominus, extructio, an præter Dei voluntatem facta erat? Sanè ita, si plus mendaci Caluino quam Scripturis diuinis credimus. Addit adhuc quasi bellum Deo indicens. *Imò quum nimis proclive ad carnales ritus hominis ingenium esse videat, subinde nos in illis parcos & sobrios esse iubet.* Rectissime fecisset Calvinus, si vbi, & quãdo Deus hoc iusserit, alicunde ostendisset. Nunc iubere Deum Calvinus dicit, quod non Deus iubet, sed Calvinus suadet. Hæc est proterua hæretica, suis placitis Dei nomen affingere. Deinde vt ad carnales ritus proclive est hominis ingenium, ita absque ritibus & ceremoniis friget hominis in Deum pietas, quod ex ipso Cal-

uino

nino supra accepimus. Adde quod ritus ac ceremoniæ Christianorum carnales ritus non sint, quum neque ad carnis iustitiam, neque ad vmbralem significationem, vt olim Iudæorum, sed ad Dei gloriam, eiusque nominis honorem, & ad pietatis flammam magis accendendas (quod ipsa pios experientia docet) instituuntur. Concludit tandem Calvinus. *Quare præposteris sunt interpretes, qui ex Christi responso inferunt, placere Deo sumptuosos & magnificos cultus: quum potius Mariam excuset, eò quod extraordinarium sibi officium præstiterit, quod ad perpetuam colendi Dei normam exigi non decebat.* Non esse præposteris, sed legitimos interpretes, qui ex Christi responso inferunt, placere Deo sumptuosos & magnificos cultus, disputatio nostra præcedens demonstrauit. Nec Mariam Christus excusat de officio extraordinario sibi præstito, sed postquam eius opus bonum, quatenus ipsa operata erat, laudasset, extraordinariam eius significationem explicauit, vt eo magis discipulorum murmur comprimeret, & de instanti sua passione doctrinam inculcasset.

Absterfa nunc & diluta tota Caluini in hunc locum cauillatione, non nisi inanibus paralogismis (qualia eius sunt omnia) referta, de re ipsa, quam hoc exemplo aluimus, de templorum magnificentia, & eorum, quæ ad externum cultum pertinent splendore, in Ecclesia Catholica perpetuo approbata contra nouatores istos pauca in medium antiquitatis testimonia proferemus. Sanè vt creuit ac floruit magis Christiana religio, ita templorum decor & magnificentia. Tempore Constantini Magni, qui primus Christianam religionem publicè professus est, oratoria Christianorum à tyrannis destructa, clariora & celsiora consurgebant, & pro humilibus conuenticulis excelsa templa eleuata sunt, idque cum ingenti omnium Christianorum lætitia, vt narrat Eusebius testis oculatus. Quo in genere Constantij eiusdem Constantini filij pietatem laudat Athanasius, de extructa Alexandria tam ingenti Basilica, vt ea sola capere posset populum, quem alia prius capere non poterant. Quum autem tempore à Gallo & Iuliano basilica Sancti Martyri Mauræ maximis sumptibus extrui cœpisset, Gregorius Nazianzenus scribit, *munus id Galli (nam Iulianus non nisi hypocriticè & politicè ad idem opus concurrebat) Deo acceptissimum fuisse, vt quondam fuit sacrificium Abel.* Eodem tempore Gregorius Nyssenus templum Sancti Theodori Martyris magnificentissimum, variisque picturis & sculptu-

Antiquitatis testimonia pro templorum ornatu.

Hist. Eccles. lib. 9. cap. 10. In Apolog. ad Constantin.

Orat. I. in Iulianum.

Orat. in S. Theodorum.

R

RIS

In lib. de re-
Et a fide ad
Reginas in
principio.
Catech. 14.

Hom. 66. ad
pop. Antio.

Theodoretus
lib. 3. cap. 11.

Enarrat. in
Psalm. 113.
Conc. 2.

ris ornatissimum describens, aperte laudat hoc genus pietatis in erigendis magnificis templis. Sed & Reginas Theodosij iunioris matrem & coniugem hoc nomine eximie prædicat Cyrillus Alexandrinus, quod sumptuosissima Christo templa erigerent, & hoc illarum animabus à Deo concessum gratulatur. Sed & alter Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus de Regum sui temporis pietate ita scribit: *Isti qui nunc sunt Reges, pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hanc Ecclesiam Resurrectionis, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt.* Porro de Apostolorum templis & Martyrum basilicis magnificentissimis ita meminit Sanctus Chrysostomus. *Seruorum Crucifixi sepulchra regis aulis sunt clariora, non magnitudine & pulchritudine ædificiorum (nam & in hoc superant) sed, quod multo maius est, conuenientiam studio.* De ipsis fortasse Antiochenis templis (nam Antiochiæ ista dicebat) loquitur, quorum sacra vasa Iuliani apostatæ quæstor olim diripiens, eorum magnificentiam conspicatus, dixit, *Ecce quam sumptuosus vasis filio Mariæ ministratur.* Tantumdem cum suis Hugonot s, qui Ecclesias Gallicanas diripuerunt, dicturus haud dubie Calvinus erat, qui contra sumptuosos & magnificos Dei cultus tam accuratè disputauit. Hæc pauca, sed summx Antiquitatis & doctissimorum Patrum testimonia contra prophanam hoc loco Caluini sententiam sufficere possunt. Vnum adiciam D. Augustini, cuius eruditionem & pietatem præ cæteris venerari solet Calvinus. Disputans ex instituto Augustinus contra simulacra gentium & ornatum eorum, quo in loco externam istam in templis Christianorum pompam reprehendere & culpare potius debebat quàm laudare, si aliquid reprehensione dignum in illis esset, de illa externa & sumptuosa pompa, à cultu carnali diligenter eam distinguens, ita scribit: *Simulachra gentium argentum & aurum: sed Deus fecit argentum & aurum. Ipsa tamen simulachra opera manuum hominum. Hæc enim venerantur homines quod ipsi ex auro argentoq; fecerunt. Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex eiusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum sacramentorum, qua ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in eius honorem, cui pro salute nostra inde seruitur. Et sunt profecto etiam ista instrumenta vel vasa quid aliud quàm opera manuum hominum? Verum tamen nunquid os habent & non loquuntur? Nunquid oculos habent & non videbunt? Nunquid eis supplica-*

mss.

mus, quia per ea supplicamus Deo: Hæc Augustinus, quem fidelissimum vetustatis interpretem vocare Calvinus solet. Docet & testatur ex more Christianorum esse, vt in templis suis habeant instrumenta & vasa aurea atque argentea. Non ad vsum prophanum, sed, ad vsum celebrandorum sacramentorum, baptismi imprimis & Venerabilis Eucharistiæ. Non enim nisi hæc duo ab Augustino pro sacramentis haberi dicere solent hæretici. Et certè frequentissimè illa duo commemorat, de aliis tamen aliquando etiam mentionem faciens. Sed ad horum maximè vsum vasa & instrumenta aurea atque argentea (quæ quid aliud esse possunt, quàm ad baptismi quidem vsum, baptisterium ipsum, aut peluis aliqua vel vrceoli; ad Venerabilis autem Eucharistiæ celebrationem, calices, altaria, candelabra, patinæ, vrceoli, thuribula, & similia:) in templis haberi affirmant. Docet hæc ipso ministerio consecrata sancta vocari, nempe *ab hominibus laicis non contingenda*, vt magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus scribit, nec nisi in summa Ecclesiæ necessitate profananda, quod Ambrosius piè se fecisse commemorat, & extra necessitatem factum Patres Arelatenses anathemate notant. Docet porro Augustinus, in *Dei honorem, cui pro salute nostra inde seruitur*, hæc in Ecclesiis haberi: ac denique nos *per illa Deo illa supplicare.* Non dissimiliter de vasis & ornamentis Ecclesiasticis splendidis ac sumptuosis, scribunt alij Patres. S. Basilius in regulis breuioribus, Patres Concilij Laodicensi, Optatus lib. 6. contra Parmenianum, Theophylactus in cap. 14. Marci, vbi & Iudæ similes eos esse docet, qui vt sacra Ecclesiæ vasa viliora sint, pauperum curam prætexunt. Prudentius in hymno de S. Laurentio, vt in hoc opere ad ipsum diem S. Laurentij recitauimus. Quæ omnia Antiquitatis testimonia ad prophanam hodie hæreticorum barbariem refutandam sufficiunt: qui nudis parietibus, & sellis ligneis Deum suum colunt: quasi aut non maiori honore dignus ille foret, aut ad honorem domus Dei externus decor & apparatus nihil faceret: Quæ animi sensum tota hæcenus Christi Ecclesia, vt ex citatis testimoniis, vetustissimisq; adhuc extantibus templis patet, penitus condénauit. Ita quantum distat cælum à terra, tantum Ecclesiæ hæcenus Christianæ cogitationes à cogitationibus hæreticorum hodie distant.

2. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.*

R 2

Abu

In Orat. ad
Arianos, &
de seipso: &
in Apologet.
Ambr. Offic.
lib. 2. cap. 28.
Conc. Arelat.
1. cap. 13.
Ad quæst.
310. cap. 21.

Lib. 4. ca. 17.
num. 26.

Caluin. so-
lutiones fin-
git, quibus
facile satis-
faciat.

Caluinus
contra seip-
sum conclu-
dit.

Tract. 50. in
Ioan.

Abtuntur his verbis hæretici, vt Christi iam in cælos assumpti, non aliam in terris præsentiam quam spiritualem, qua Spiritus sui gratia credentibus adest, probent; & consequenter in Sacramento Corporis & Sanguinis sui quod instituit, eum realiter & verè præsentem esse non posse confirmant. Nec ab hoc stupore vel ineptia ipse Caluinus abstinet, Sic enim in præclara sua Institutione scribit: *Disseriè exprimit Christus se cum discipulis non semper fore in mundo.* Vbi notatur in margine Matth. 26. b. 11. Cuius loci hæc sunt verba quæ tractamus. Affingit autem statim solutionem quam conuellat, & dicit: *Hoc autem dictum pulchre sibi diluere videntur, quasi neget Christus se pauperem & miserum semper fore, vel necessitatibus caducæ vitæ obnoxium.* At qui non est hæc plena & integra Catholicorum solutio. Respondent Catholici Christum hæc verba dixisse de corporali sua præsentia in corporali & visibili forma, qua tunc conuersatus cum discipulis fuit, quæ humanæ vitæ necessitatibus obnoxia foret, & illis officiis humanitatis ac honoris indigeret. Nunc quid Caluinus replicet, videamus. *At qui (inquit) circumstantia loci palam reclamatur: quando non agitur de egestate & inopia, vel misero terrena vitæ statu, sed de cultu & honore. Vnctio discipulis non placebat, quod putarent superuacuum & inutilem esse sumptum & luxuriæ affinem: ideoque in pauperes impensum maluissent pretium.* Respondet Christus, se non semper fore præsentem, vt tali honore colatur. Hæc ille, non soluens, sed firmans quod Catholici responderunt. Agitur enim sanè hic de cultu & honore, quem sibi deinceps exhibendum Christus negat: sed agitur (vt Caluinus contra seipsum bene conclusit) de tali honore: quo videlicet corpus eius visibile pretioso aliquo vngueto amplius vngatur. negat igitur Christus tum sui præsentiam, tum honorem & cultum. Sed sicuti negat præsentiam non omnem, verum in visibili & mortali forma, sic negat honorem & cultum sibi deinceps impendendum non omnem, sed qualis visibili & mortali corpori impendi solet. Quare hæc verba nec sacramentalem Christi præsentiam excludunt, nec honorem tam venerabili sacramento debitum remouent. Solutionem tamen suam ex Diuo Augustino confirmat Caluinus, qui hæc eadem verba tractans ita scribit. *Quum diceret Christus, me non semper habebitis vobiscum, loquebatur de præsentia corporis.* Et paulo post. *Secundum præsentiam maiestatis semper habebimus Christum, secundum præsentiam carnis recte dictum est, me autem*

non

non semper habebitis. Habuit enim Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt. Quæ postrema Augustini verba ab ipso Caluino citata, docere Caluinum poterat, quo sensu Augustinus corporis & carnis Christi præsentiam his verbis negari doceat. Negari docet illam præsentiam carnis, quam paucis diebus Ecclesia habuit, visibilem videlicet & mortalem, vt Catholici respondet. Rursum negat iam oculis videri carnem Christi: quia videlicet sub visibili specie amplius non conspicitur. Ocularem carnis præsentiam negat, non sacramentalem, quæ et si vera & realis & corporalis sit, non tamen modus existendi est corporalis, sed spiritualis, ideoque fide, non oculis etiam in hoc sacramento tenet Christum Ecclesia. His igitur Christi verbis contra veram & realem Christi in Sacramento præsentiam frustra Caluinus in sua Institutione abusus est, frustra abutuntur & alij horum temporum hæretici. Quod ita verum est, vt ipsemet Caluinus vel suorum mendaciorum parum memor, vel mutata in melius sententia, hæc ipsa verba apud Ioannem exponens, contra Christi præsentiam in Sacramento illa non valere disertè doceat. Sic enim scribit in hunc locum: *Quod se negat Christus cum discipulis semper fore, ad genus præsentia referri debet, cui carnalis cultus & sumptuosus honor conueniat. Nam quod Spiritus sui gratia & virtute nobis adest, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne & sanguine suo pascit, nihil ad corporeos cultus.* Hæc ille fatetur illam sui præsentiam à Christo negatam non obstare, quo minus carne & sanguine suo nos pascat. Non obstat ergo quo minus in illo venerab. Sacramento, in quo solo nos ita pascit, sacramentali modo præsens sit vt pascat. Sic autem præsens quum sit, corporeo cultu, & externa omni veneratione Christum esse prosequendum, honorandum, adorandum (quod & Lutherani contra Caluinistas rectissime sentiunt) in altera huius operis parte ostendimus. Bene ergo se res habet. Ridiculum Caluini argumentum ex his Euangelij verbis desumptum, ipsemet Caluinus refutauit.

Caluinus
seipsum re-
futatur.

In Commen.
In Ioan. c. 12.

In festo ve-
nerabilis Eu-
charistia.

Marc. 14.

Feria 3. hebdom. Sanctæ.

1. Et manducantibus illis, accepit Iesus
panem, &c.

R

3

Vt



Tota Christi actio & doctrina in mysterio Eucharistico, quod hic Marcus, aliiq; Evangelistæ, Matthæus ac Lucas, mira verborum breuitate, sed magna rerum ac mysteriorum copia describunt, ad populi fidelis captum pro concione tradi & explicari possit, singula historię Euangelicę verba, quę huius diuinissimi Sacramenti institutionem concernunt, ex Marco, cuius hodie textus legitur, aliisq; simul Evangelistis, breuiter, & vt litterę contextus germanus ac genuinus teneatur, explicabo. Primum igitur, & ante omnia notandum est, Christum hac vltima nocte mortalis vitę suę triplicē Cœnam peregrisse. Primam, qua stando paschalem agnū comēdebat, iuxta legis pręscriptum, de qua discipuli dixerunt, *ubi vis paremus tibi comedere pascha*. Secundam communem & familiarē, in qua discubuit cum discipulis suis, quam variis interpositis sermonibus de proditore, vt hoc loco, de alia quadā contentione, vt apud Lucam, diu protraxit: & in qua poculum bibatorium more gentis illius omnibus suis propinavit, de quo Lucas ita scribit. *Accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos. Duo enim vobis, quod nō bibam de generatione vitę, donec regnum Dei veniat*. Ad quam etiam secundam cœnā pertinent verba Matthæi, *Dico vobis, nō bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Patris mei*. Hęc enim verba prioribus simillima, Christum ante Cœnam Eucharisticā dixisse, ex Luca manifestē patet. In hac secunda cœna surrexit, & discipulorū suorū pedes lauit, vt est apud Ioannem: *Et cœna facta, supple, Paschali: & paulo post, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*, id est, surgit à communi & familiari cœna, quā more omnium Iudæorum, finita solemnitate Paschali, cum suis celebrabat. Nam post hanc ablutionem pedum iterum recumbit in cœna eadem, & turbatus spiritu, de proditore suo verba facit, vt prolixē narrat in sequentibus Ioannes, qui de tertia & Eucharistica Cœna nihil quidem scribit, eo quod ceteri tres Euangelistę ante illum eam plenē descripsissent. Addit tamen de Iuda, *cum accepisset buccellam, exiit continuo*. Quod ad Cœnam Eucharisticam pertinere nemini dubium est, qui Iudam Dominici corporis participem fuisse agnosceret, quod clarē docent Augustinus & Chrysostomus. Quum autem hunc de proditore sermonem Matthæus & Marcus disertē ante cœnam Eucharisticam,

Lucas

Christus in vltima nocte triplicē cœnam peregrit.

Cap. 22.

Cap. 26.

Cap. 13.

Tract. 26. in Ioan. & ser. 11. de verbis Domini. Chrysost. homil. de prodicione Iudæ.

Lucas vero post illam ponat, duos priores Euangelistas verum ordinem seruasse, Diuus Ioannes postremō scribens quasi arbiter definiuit, narrans Iudam *accepta buccella continuo exiisse*. Quod ergo Matthæus dicit, *Cœnantibus illis, & Marcus, Manducantibus illis accipit Iesus panem. &c.* intelligendum est peracta iam secunda cœna familiari ac communi quod expressius posuit Lucas dicens, *Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, &c.* id est, absoluta cœna communi. Quod in altera quoque huius Sacramenti parte factum fuisse dubitari non debet: tum quia diuelli vna pars ab altera non debuit, tum quia Lucas dicit, *Similiter & calicem*, Illud enim *similiter*, non solum ad benedictionem & distributionem calicis, sed & ad temporis rationem ac similitudinem necessariō referendum est. Hęc diligenter annotanda sunt, tum quia alij exponunt, omnium Euangelistarum contextu non satis expenso, tum quia ad alia circa hoc mysterium intelligenda conducunt. Sic enim non solum à cœna paschali noua Christi Cœna, à figura veritas distinguetur, verum etiam à communi cœna, & communi pane & vino, nouum & augustissimum mysterium seiungetur. Sic alia hæreticorum absurda refellentur, vt mox videbitur, maximē illud quod obiectare solent, *Nō bibam amodo de hoc genimine vitis*, quod de vino communi in familiari cœna propinato dictū fuisse, explicatio iam facta demōstrat.

2. Accipit Iesus panem & benedixit.

Notanda hęc duplex circūstantia in facto Christi, vt postea de verborum sensu certius constet. Prima est, quod Cœnam Eucharisticam, & nouum Pascha auspiciaturus, de quo apud Lucā dixerat, *desidero desideravi hoc Pascha manducare antequam patiar*, (vt illa verba Tertull. li. 4. aduersus Marcio & Chrysost. hom. 83. in Matth. exponūt,) *accipit panem*. Accipiendo quippe hoc elementum, docet se in re accepta aliquid operaturum, non in sola mēte aut speculatione præsentium discipulorum. Sic multiplicaturus septē panes, *accipit eos in manus*. Sic rursus multiplicaturus quinque panes, *similiter accipit in manus*. Sic hoc, *panē & calicē in manus accipiens*, ostēdit se circa ipsa aliquid operaturū, nō solum distribuēdo frāgēdo & dādo discipulis, sed etiam benedicēdo. Altera igitur circūstantia est, quod panē & calicē

Matth. 26.

Luc. 22.

Acceptio in manus quid significat. Matth. 15. Ioan. 6.

R 4 bene

Hæretici verba Institutio- nis Cœnæ corrupit.

In Harm. ad ca. 26. Matth.

1. Cor. 10.

Apolog. 2.

Lib. 4. cap. 34

1. Cor. 14.

benedixit. Quod diligentissime ante omnia aduertendum est, propter verborum horum temporum hæreticos, qui verborum Christi horrendam corruptelam, in huius circumstantiæ corruptione potissimum fundant. Benedixit apud Matthæum & Marcum ad verbum panis est *εὐλογῆσαι*, ad verbum calicis est *εὐχαρισῆσαι*, sicut & apud Lucam ad verbum panis *εὐχαρισῆσαι ἔκλαισε*. Neutrum verbum ad panem & calicem transferri patiuntur hæretici, sed ex verbis transitiuis verba faciunt absoluta seu intransitiua. *Matthæum & Marcum ex Luca intelligendum esse*, ait hoc loco Calvinus, videl. quod Deo gratias Christus egerit, accepto pane & calice: *ridiculus vero esse Papistas, qui signo crucis benedictionem exprimunt, quasi exorcismo Christus esset usus*. Sed exorcismo indigent isti hæretici, vt principe tenebrarum expulso, clarissimam huius loci veritatem apertis oculis intueantur. Dicit Matthæus, *accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque* &c. Sicut accipere, frangere, dare, ad panem refertur, ita benedicere ad eundem referri necessarium est. Quod autem in elemento calicis, verbo gratias agendi, Matthæus, Marcus & Lucas vtuntur, idem prorsus significare, luculenter Paulus docet his verbis: (*Τὸ πατήριον τὸ εὐλογίας δὲ εὐλογεῖν*). *Calix cui benediximus, nomine communicatio sanguinis Christi est*: Verbum benedicere, *εὐλογεῖν*, transitiuè sumitur, ad & calicem ipsum transfertur. Sic ipse panis & calix benedicuntur. Vnde Cyprianus vocat *calicem benedictionem sacratum*, in serm. de Cœna Domini. Iustinus Martyr vocat panem (*εὐχαρισθηέντα*) *eucharistizatum*, idest, super quo gratiarum actio peracta sit. Sic Irenæus. *Panis in quo gratia acta sunt, & plenius li. 5. quâdo mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei*. Notanda igitur hæc circumstantia diligenter, Christum benedicendo panem & calicem, aliquid in illis ipsis operari voluisse sicut Marc. 8. & Luc. 9. benedicendo piscibus, multiplicauit illos. Fallunt imperitos hæretici in verbo, *gratias agere*, quod non nisi ad Deum referri posse vrgent. Sciendum enim est hæc duo verba, *benedicere & gratias agere*, in Scripturis Euangelicis promiscuè, & vnum pro altero quasi indifferenter accipi, quod non solum ex verbis huius mysterij iam citatis patet, sed ex vna sententia Pauli. *Si (inquit) benedixeris spiritu, quomodo, qui supplet locum idiotæ, respondebit Amen super tuam benedictionem?* Quum dicit benedixeris, vtitur verbo *εὐλογῆσαι*, cum dicit benedictionem, vtitur verbo, *εὐχαρισῆσαι*. Quum tamen ita promiscuè accipian-

tur,

tur, gratiarum actio potius pro benedictione creaturarum accipitur, cui semper gratiarum actio adiungitur, quam benedictio pro gratiarum actione Deo facta. Quare Patres circa hoc mysterium benedictionem à Christo factam vehementer vrgent, gratiarum actionem non vrgent. Vide D. Ambrosium de iis qui inicianur mysterijs cap. 9. Eusebium Emisenum homil. 5. de Paschate. Chrysostomum homil. de perditione Iudæ. Cyprianum serm. de cœna Domini. Nyssenium in serm. catechetico cap. 37. & Iustinum Mart. apolog. 2. Omnes isti benedictionem Christi circa ipsa elementa diuine operatio vrgent & tractant. Recolenda hinc sunt quæ in prima & secunda parte huius Operis latius hac de re disputata sunt, Vide quoque Clau. de Sainctes in opere Eucharistico Repet. 7. cap. 4. Verba Iustini antiquissimi Doctoris clara sunt. *Per verbum precatationis eucharistisatam à Christo alimoniam illius esse carnem & sanguinem didicimus. Quod autem de signo crucis in symbolorum benedictione à Papistis vsurpato garrit hic Calvinus, eodem conuitio doctissimos Patres ferit, qui sine Crucis signo nihil in mysterijs istis ritè ac legitime fieri ex communi Christianorum fide docent*. Vide Augustinum serm. 181. de temp. & tract. 118. in Ioan. Chrysostomum in demōstratione quod Christus est Deus, & homil. 55. in Matth. & Iust. Martyr. apolog. 2. Verba horum Patrum citata vide in prima parte huius operis. Postremo quod secundum nos *Christum exorcismo usum fuisse* ait, in ipsum Christum blaphema vox est. Verba enim ex Christi pectore & ore deprompta, incantationis magicæ nemo accusare potest, quin eiusdem cum dæmonibus commercij Christum accuset. De qua hæreticorum hodie blaphemia vide Claudium de Sainctes in opere eucharist. Repet. 7. cap. 6.

3. Hoc est corpus meum.

Tota digladiatio circa sensum horum verborum inde nascitur, quod relicta vera & naturali proprietate verborum Christi ad figuratiuam aliquam requiritur. Duo igitur hic docebimus. Primum, sensum verborum literalem necessario tenendum esse. Tum quis ille sensus literalis sit, explicabitur. Horum verborum literalem sensum tenendum esse, primum probat id est quod præcedit, *Accipite & comedite*. Hæc enim sunt verba aliquid externis exhibentis & largientis. Qui autem externis exhibeat & quid largia-

R 5

tur

Dom. 6. post Pet. & in die Ascen. Dom. Calvinus Papistas taxat, veteres Patres taxat.

In. Dom. infr. Oct. Nat. Do. edit. 3. Calui. blaphemia in Christum.

Literalem sensum verborum Cœnæ tenendum esse.

Tropum in
verbis Chri-
sti quàm va-
riè hæretici
ponunt.

1.

2.

3.

tur, his verbis exponit. *Hoc est corpus meum*. literalis igitur & proprius horum verborum sensus, qui rem externam & presentem demonstrat, tenendus est, ut sciamus quid illud sit quod exhibet & largitur. Alioqui nihil certi habebis quod accipias & comedas. Si nec accipiendi nec comedendi facta prius mentio fuisset, illa verba à Christo prolata, *hoc est corpus meum*, ad figuratiuas aliquas locutiones excogitandas mouere nos potuissent. Nunc ut proprio modo loquendi præmittit, *accipite & comedite*, sic proprio sermone subiungit, *Hoc est corpus meum*. Deinde contextus sermonis Christi nullam tropum admittit. Alij ponunt tropum in verbo *corpus*: sed hic tropus à Luca excluditur. *Quod pro vobis datur*. Non enim signum aut symbolum, aut pignus, aut virtus, aut energia aliqua vel efficacia corporis Christi, sed ipsum naturale corpus eius pro nobis datum est. Debet autem relatiua suo antecedenti pro omnia respondere, ut si hoc proprie sumatur illud improprie intelligi nequeat. Alij ponunt tropum in copula, est, id est, significat. Sed hoc eodem redit. Si enim resoluas copulam in suas partes, & dicas, hoc est significans corpus meum signum, stabit à parte prædicati non copulæ. Sic iterum huic relatiuo, *quod pro vobis datur*, antecedens erit signum corpori mei. Occurrunt hic alij, & dicunt metonymiam esse figuram reciprocam, & rem significantem poni pro significato, non secus quàm rem signatam pro signo: ut ideo non iam corpus accipiatur pro signo corporis Christi, sed panis qui illud significat. Sed tunc hic sensus erit. Hic panis signum corporis mei est corpus meum quod pro vobis tradetur, vel certè sic, Hic panis signum corporis mei est signum corpori mei, quod pro vobis tradetur. Quæ omnia vel non nisi in signo Christum pro nobis datum vel panem pro nobis datum simplicissime docet. Contextus igitur sermonis Christi non nisi literalem sensum permittit.

3. Probatio
à compara-
tione similiū
locutionum.

Genes. 2.

Exod. 16.

Hic autem literalis sensus licentissime patet, *Hoc est corpus meum*, ex comparatione aliarum Scripturarum, sic debet intelligi, ut quemadmodum in aliis Scripturis, sic in ista, tale intelligatur subiectum, quale describitur à suo prædicato. Dicente Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Hoc, non innuit costam Adæ unde mulier facta, sed ipsam mulierem existentem. Quum plueret Manna, dicentibus Iudæis *manu hu*, quid est hoc? respondit Moyses. *Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum*. Pronomen *iste*, non aliud significat quàm panem expressum de quo quere-

bant.

bant. Moyses aspergens populum hyssopo sanguine imbuto dixit. *Hic est sanguis testamenti quod mandat ad vos Deus*, non designat hyssopum unde sanguis iaculabatur: sed ipsum sanguinem. Vox Patris, *hic est filius meus dilectus*, personam filij hominis demonstrat, non unde filius hominis factus. Sic in præsentibus, *Hoc est corpus meum*, pronomen hoc nihil aliud significare potest, quàm quod prædicatum enunciat. Erit hoc clarius, si textus Hebraicus & Syriacus, quorum alterutro Christus usus est, expendatur. In Matthæo Hebræo sic legimus. *הוּא שְׂהוּא כֶּפֶר*: *Hoc quod est corpus meum*. In Marth. Syro (ex editione Parisiensi apud Ioan. Benetatum anno 1584.) sic legimus. *הוּוּ פֶּבְרִי*: quod verti potest, *hec substantia corporis mei est*. vel *הוּוּ הַבִּי* ecce corpus meum: sicut in cruce eadem voce usus Matri dixit, *ecce filius tuus*. Sed Marcus Syrus adhuc expressius loquitur, hoc modo, *הוּוּ אִתּוּוּ פֶּבְרִי*: *hoc reuera est corpus meum*. Additur hic in Mar. qui Syris prædicabat, & cuius Euangelium authenticum Syriacè scriptum Syri adhuc hodie retinent, particula *אִתּוּוּ רֵוְעָרָא* reuera, quæ etiam addita est in Ioanne Syro, ad illa verba, *Erat lux vera*. Græci porro Euangelistæ Marcus & Lucas & D. Matthæi interpretæ Græci, articulis Græcis hanc emphaticam verborum Christi veritatem expresserunt. Nam apud omnes hos tres, & etiam apud Paulum legitur, *τοῦτο ἐστὶν τὸ σῶμα μου*. *Hoc est illum ipsum corpus meum*. Beza & alij hæretici in illis verbis, *hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, & *hic filius meus dilectus*, articulum *e* adiunctum valde emphaticum esse docent, non solum ad distinctionem, sed etiam ad dignitatis commendationem. Idem hoc loco imprimis valere debet, quum articulus ille emphaticus numquam omissus fuerit, sed tum à 3. Euangelistis, tum à Paulo adiectus. Docet igitur hic articulus de corpore suo Christum hic loqui, non solum ut ab omni figura discernitur, sed etiam ut eius singularem præminentiam notat. Docet non solum veritatem, sed etiam excellentiam, nempe illud ipsum esse corpus quod pro omnium hominum salute datur. Verba porro hæc Evangelica ab omni symbolica locutione venditare volens Paulus, sic ea effert, ut dicat, *τοῦτο ἐστὶν τὸ σῶμα μου*. *hoc meum est corpus*. quasi dicat, hoc non est aliud quàm meum corpus. Quare in Pauli verbis si pronomen *hoc*, ad patris substantiam pertineret, pronomen quoque meum

ad

Exod. 24.

Matth. 17.

Matth. Heb.
à Ioan. Mercero sine punctis editus.

Ioan. 1.

1. Cor. 11.

Ioan. 1.

Matth. 17.

4. Probatio
ex variis lo-
ci circumstā-
tiis.

* Ioan. 6.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.

5. Probatio,
quia relicto
sensu literali
innumeris
coniecturis
laceratur
Scriptura.

1.
Caroloستا-
dius.

Fol. 78.

2.
Zvvingl.
3.
Oecolampa-
dius.

- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.

ad eandem referri deberet, & sic sensus esset. *Hic meus panis est illud corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Debent igitur hæc verba ad literam intelligi ut sonant tam significanter à Christo prolata & ab Evangelistis recitata. Probatur porro literalis eorum sensus expressa necessitas ex variis loci circumstantiis. Primum à persona loquentis, tum quia Deus est, tum quia quod hic se dare dicit, antea se * daturum promisit. Secundò à tempore quo loquitur, videlicet instante morte, & volens omnibus figuris finem imponere. Tertio à personis audientium qui non de turbis, sed soli Apostoli erant, quibus Christus absque parabolis loqui solet. Quarto à ratione Sacramenti quod hic instituitur, cuius verba sacramentalia propriè & perspicuè efferi debent, non obscure & figuratiuè. Sed alia adhuc causa cur iuxta literam hæc verba intelligi debeant, hæc vna imprimis esse potest, quod ubi primum litera deseritur, & tropus quaeritur, infinitæ & absurdissimæ opiniones gignuntur, & singulorum hæreticorum superbis ingeniis, quasi tortoribus & eculeis Christi verba subiiciuntur: Quod ita hodie accidisse breuiter hoc loco commemorabimus. Primus Carolostad. ausus est dicere, Christum dicendo, *Hoc est corpus meum*, digito suo ad pedus ostenso seipsum demonstrasse discumbentem, ut illud, *hoc est*, significet, *hic sedet corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Refert Sleidanus commentariorum libro quinto, & Musculus in Locis communibus capite de Cœna Domini. Eum sequuntur Zvvinglius, verbum, *est*, exponit, *significat*, Tomo secundo Commentariorum de vera & falsa religione capite de Eucharistia. Mox Oecolampadius relictiis in suo sensu verbis illis, *hoc est*, ait, *corpus*, pro corporis figura accipiendum. Alij sic hæc verba contorquent. Accipite & comedite corpus meum. Quod pro vobis tradetur, est hoc. Sic prima Christi verba (*hoc est*) in vltimum locum transponunt. Refert Lutherus in defensione verborum Cœnæ. Alij rursus in hunc modum inuertunt. Corpus meum, quod pro vobis dabitur, in ordine rerum spiritualium est hoc. Refert Musculus in Locis Communibus, in cap. de Cœna Domini, num. 2. Rursus idem Zvvinglius in his verbis, *Hoc est corpus meum*, affirmat nomine corporis passionem & mortem in corpore suscipiendam intelligi oportere. Sed alio rursus in loco, corpus Christi vocari vult, memoriam & recordationem immolari corporis eius. Denique alibi non aliud esse quam diuinam quandam & verè modestam

pane-

panegyrii populi fidelis ut Deo gratias agant. Hæc de illo VWestphalus in apologia confessi. de Cœna Domini. Verum alio adhuc loco idem Zvvinglius, quod Paulus dicit, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est*, ait de corpore Christi, quod est Ecclesia, intelligendum esse. Tom. 2. ad Matth. Rutlingium. Ioannes à Lasco, *Hoc est corpus meum*, exponit: Hæc forma seu actio cœnæ est corpus meum seu participatio eius per fidem. Refert VWestphalus loco citato. Post hos omnes sacramentarios Calvinus non simplicem hic figuram aut signum ponit, quod esse potest sine re signata, sed metonymiam statuit, hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, sub symbolo panis continetur corpus Christi: sed ita continetur, ut quantum cœlum distat à terra tantum corpus Christi distet à pane vel à Cœna: contineri tamen, quia manducantes hunc panem, per fidem in cœlum conscendimus, & inde ad nos deducimus non ipsum Christi corpus, sed quandam eius vim viuificam, qua anime nostræ pascuntur. Interea Lutherani qui veritatem corporis Christi cum pane subsistere volunt, multos absurdos sensus confingunt. Primum ipsum panem esse corpus Christi; ubi res natura disparatæ de se inuicem prædicantur; deinde sub pane esse corpus Christi, quod non nisi in figuram resoluitur: mox cum pane esse corpus Christi, ubi vniionem coguntur fingere quasi hypostaticam inter panem & corpus Christi; tandem in pane sic esse corpus Christi sicut in aliis omnibus rebus est per omnipotentiam & diuinitatem suam, quæ Ubiquitarianorum propria insania est. Ita relicto proprio literali verborum Christi sensu, tam varias & repugnantes expositiones cœca hominum temeraria ingenia pepererunt, idque vsque ad numerum 84. ut sigillatim recenseret Claud. de Sainctes Repetit. i. cap. vltim.

4. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccati.*

Hæc sacratissima verba diligenter expensa & bene intellecta ad omnes veritatis Eucharisticæ hostes penitus fugandos atque fundendos sola sufficiunt. Dicit Christus de porrecto calice, id est, de eo quod erat in calice, non solum, *hic est sanguis meus*, sed addit, *noui testamenti*. Profite-

tur

Pag. 62. et
seqq.
9.

Pag. 157.
10.

11.
Calvinus.

12.

13.

14.

15.

tur ergo hoc quod in calice bibimus, esse noui testamenti sanguinem, id est, esse illum sanguinem quo nouum testamentum conditur & dedicatur, idque propter remissionem peccatorum. At nouum testamentum, cuius proprius effectus est remissio peccatorum, & bonorum operum gratia, iuxta clarissima Hierem. verba, non nisi in ipso Christi sanguine dedicatur & confirmatur, vt Paulus ad Hebr. 10. perspicue docet; quia sine sanguine non sit remissio peccatorum. Hic in omnem se torquet partem tortuosus ille serpens per ora haereticorum. Primum acriter vrgent, non de eo quod erat in calice, sed de calice ipso dici quod sit nouum testamentum in sanguine Christi; calix autem seu poculum non nisi metonymice, & figuratiue hoc dici potest, quatenus continet vinum: ergo nec quod in calice erat alio sensu quam figuratiuo sanguis noui testamenti vocabitur. Ait hoc loco Calvinus. Non dicit Christus, hoc est sanguis meus, sed hic est calix. ergo & calix conuertetur in sanguinem. Nempe vrgent verba Lucæ, qui sic habet. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo. Sed calicem hoc loco pro eo quod in calice erat iuxta notissimum tropum accipi, id quod Lucas adiunxit, manifestè conuincit. Qui pro vobis fundetur. Hæc adiuncta verba quia veritatem sanguinis in calice præsentis luculenter docent, impius Beza audet dicere, vel quum in margine stetit, in textum postea irrepisse, vel manifestum esse solæcismum, & legendum esse participium in ablatiuo seu datiuo casu Græco, quod Lucas ponit in nominatiuo. Nempe τὸ ἕν τῶν ἐκχυομένων, & non, vt omnes Græci codices habent, τὸ ἐκχυομένον. Nam in nominatiuo positum, conuenit cum calice, in ablatiuo positum conuenit cum sanguine. Sed Diuus Lucas posuit (vt omnes codices habent, quod ipse Beza fatetur) in nominatiuo, vt conueniet cum, hic calix, τὸ ἐκχυομένον: vt sic intelligeremus in ipso calice esse sanguinem noui testamenti; quod apertius Matthæus & Marcus dixerunt. Hic est sanguis meus noui testamenti. Scriptura ergo vtrumque dicit, hic est calix noui testamenti in meo sanguine apud Lucam, & hic est sanguis meus noui testamenti apud Matthæum & Marcum. Solum alterutrum agnoscit Calvinus, impudentissime negans quod apud Matthæum & Marcum est. Quorum etiam verba corripit Beza vertendo apud vtrumque. Hoc est sanguis meus noui illius testamenti, &c. vt sanguis de populo prædicetur, atque ita metonymia necessario intelligatur. Si legamus, hic est sanguis meus, (ait Beza,

Ierem. 31.

In Harm. ad Luc. cap. 22.

Beza verba Scripturæ expungit.

Calvinus verba Scripturæ negat.

Beza iterum corrumpit textum.

nullum

nullum erit huius propositionis subiectum præter ipsum sanguinem, qui Christi esse dicatur. Atqui homo impius aduertere debuit totam Ecclesiam Latinorum hætenus semper ita legisse, quia ex certa fide credebant non aliud huius propositionis esse subiectum, quam id quod enunciat prædicatum, videl. sanguinem Christi. Sed probare conatur, vinum esse subiectum in hac Christi propositione, quia Lucas dixit, Hic calix est nouum testamentum, &c. Calicis autem nomine id quod in calice erat intelligendum esse, vinum videl. Atqui vt textum Matthæi & Marci corrumpere ex verbis Lucæ, ipsa Lucæ verba solæcismi arguere impudentissimus hæreticus ausus est, vt iam diximus. Stante quippe Grammatico & congruo sensu verborum Lucæ, vt in Græco habentur, vbi calix ipse effundi dicitur in remissionem peccatorum, necessario calicis nomine non vinum in calice, sed sanguis in calice intelligendus est, iuxta verba Matthæi & Marci. Citat Beza Basilium legentem Lucæ verba in ablatiuo casu, Regula vigesima prima. Sed Basilius non citat verba Lucæ in forma quum sic legit, verum eis vitur tantum explanans verba Euangelistæ.

Premunt adhuc hæretici, quod Lucas & Paulus non sic referant Christi verba vt dicant de calice, hic est sanguis meus noui testamenti, sicut Matthæus & Marcus dicunt, sed sic. Hic est calix noui testamenti in sanguine meo. Hic enim quasi triumphans Calvinus ita scribit hoc loco. Hinc colligere promptum est quàm superstitiosi sint Papistæ & similes (Lutheranos intelligit) dum verba mordacius arripiunt. Quamuis enim crepent, hæc Spiritus Sancti expositio reijci non potest, quod calix vocetur sanguis quia testamentum est in sanguine. Atqui eadem est panis ratio. Vnde sequetur vocari corpus, quia testamentum est in corpore. Non est iam cur fidem simplicibus Christi verbis habendam esse contendant, extraneis verò commentis claudendas esse aures. Christus est ipse qui loquitur, quem idoneum sui sermonis interpretem esse non negabunt. Atqui palam ostendit non alia ratione se panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fædus æternum pepigit vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur, quia fædus hoc non nisi spiritali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur vt firmum sit & efficax. Hæc Calvinus. Cæterum duo hic explicanda sunt, primū quæ sit causa discriminis in verbis Lucæ ac Pauli à verbis Matthæi ac Marci. Deinde an ista spiritalis manducatio & potio, sufficiant ad noui

Caluin. disputatio pro sua metonymia refellitur.

testa-

testamenti pactionem, quam hic in Cœna fieri Christus affirmat.

Cur aliter
Luc. & Pau-
lus verba
Cœnæ refe-
runt, quam
Matt. & Mar.

Ad prius quod attinet attendendum est, Euangelistas in hac historia Cœnæ Eucharisticæ tria nos docere, tamen paucissimis verbis. Primum quid Christus illic dedit in cibum ac potum, nempe corpus & sanguinem suum. Deinde in quem finem illa dedit, nempe ad sancendum nouum fœdus ac testamentum. Tertio quomodo hoc fœdus perficiatur, nempe ea distribuendo in esum & potum. Horum trium primum Matthæus & Marcus luculenter expresse-
runt in illis verbis, *Hoc est corpus meum, & hic est Sanguis meus noui Testamenti.* Secundum Luc. & Paulus exposue-
runt, dicendo de calice, quod esset *nouum testamentum in sanguine Christi*, id est, per sanguinem eius: ubi causam & instrumentum condendi tunc fœderis expriment. Planius enim & plenius causam fœderis expriment hæc verba, *Nouum testamentum in sanguine, quam sanguis noui testamenti.* Nam sanguis noui testamenti dici potest, quod quoquo modo ad nouum testamentum pertinet, siue per modum signi, siue per modum materiæ, siue etiam causæ. *Sed nouum testamentum in sanguine*, ostendit calicem porrectum non solum noui testamenti aliquo modo esse, sed esse ipsum nouum testamentum, fœdus ac pactum per sanguinem Christi, id est, in hunc finem illic in calice fisci, ut per eum nouum testamentum ac fœdus ineatur. Idem verò & in corpore Christi fieri non negamus, nisi quod illud est corpus victimæ, quo solo præsentè fœdera percuti non solent, sanguis verò effusus, aspersus, & communicatus est tota materia fœderalis & percutiendi fœderis complementum. Quæ causa est cur ad sanguinem, non ad corpus noui testamenti mentio ab Euangelistis fiat. Tertium verò de modo hoc fœdus ac nouum testamentum ineundi ac perficiendi describunt Matthæus & Marcus in illis verbis, *bibite ex hoc omnes*, ubi etiam Marcus addit: *& biberunt ex eo omnes.* Iam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte Apostolorum nouum testamentum cum Deo, sicuti aspersione sanguinis in populum quam Moyses fecit, dicens, *hic est sanguis testamenti quod pepigit vobiscum Deus*, completum fuit ex parte populi fœdus eius cum Deo. Propterea in Matthæo, quum dixisset Christus, *bibite ex hoc omnes*, subiunxit, ut causam bibendi: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*, id est, ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte

vestra

vestra nouum testamentum, & eritis populus Dei hac refœdera fœderali-accepta. Ex hoc tertio modo elucescit secundum quod hoc loco explicandum diximus, nempe ad nouum testamentum ac fœdus, de quo hic Christus loquitur inter nos & Deum perficiendum non sufficere spiritualement aliquam manducationem aut portionem corp. & sang. Christi, ut vult Calvinus, sed planè requiri externam, realem & corporalem vtriusque sumpcionem. Quod Christus in calice porrexit, erat *nouum testamentum in sanguine eius*, quatenus bibebatur ab Apostolis sanguis ille, non quatenus in sanguinem illum credebant. Dixit illis Christus. *Bibite ex hoc, hic est enim sanguis noui testamenti.* Non dixit, credite in hoc, hic est enim &c. Alioquin absque vsu symbolorum & totius Sacramenti credimus in sanguinem Christi pro nobis effusum, & spiritualiter Deo arctissimè coniungimur. Deinde vetus fœdus percutiebatur *asperso in populum sanguine*, & omnia fœdera externis notis ac ritibus ob oculos positis percutiuntur: Sic hic externa sanguinis Christi exhibitione, & interna per bibendum asperione nouum fœdus conditum & sancitum est. Nam illa verba, *qui pro vobis effundetur*, in præsentè tempore legenda sunt iuxta omnes Euangelistas in textu Græco, & sensus est, qui pro vobis nunc distribuatur, & reali participatione singulis vestrum intimè effunditur & aspergitur: ut videl. Veritas responderet figuræ. Quam quum Moyses administraret, *accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum asperxit dicens. Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus.* Rursum quum Christi verba de pane, *Accipit, fregit, ac dedit*, item de calice, *accipiens gratias egit, ac dedit*, externam Christi actionem euidenter exponant, necessarium est ut alia verba Christi hinc dependentia, & ex illis consequentia, *Accipite, comedite, bibite*, externam quoque acceptio-
nem ac potationem rei datæ expriment. Sicut enim externè accepit & dedit, ita à suis externè accipi & bibi voluit. Est igitur necessaria corporis & sanguinis Christi externa acceptio, manducatio, bibitio ad fœdus & testamentum nouum in Christi corpore & sanguine sancendum.

Quibus ita explicatis, Caluini impudentia facilè retunditur. Clamat *stultè superstitiosos esse qui verba Christi mordicus arripiunt.* Quæ voce nihil non impudentius tantum, sed nec magis impium dici potuit. Eadem quippe voce om-

Nouum te-
stamentum
seu fœdus
non sancitur
sola mandu-
catione aut
porcione spi-
rituali.

Hebr. 9.

Calui. vox
impia.

Ioan. 1.

Ephes. 2.

Rom. 1.

Psalm. 118.

Ioan. 8.

Ioan. 6.

nes armantur hæretici, vt diuinæ Scripturæ verbis conuicti, clament stultè supersticiosos esse fideles, qui Scripturæ verba mordicus arripiunt. Armatur Arius, vt si verbis illis, *verbum Caro factum est*, prematur, respondeat, stultè supersticiosos esse qui verba Euangelistæ mordicus arripiunt. Armatur Pelagius, vt si quis virgeat, *Gratia saluari estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est*, respondeat impius, stultè supersticiosos esse qui verba Pauli mordicus arripiunt. Armatur Manichæus, vt si quis ei obiiciat, Apostoli verbum de filio Dei, *qui factus est ex femine David secundum carnem*, authore Caluino citò se expediat dicens, stultè supersticiosos esse qui verbum Apostoli mordicus arripiunt. Armantur denique omnes in vniuersum hæretici, vt quoties luculento & aperto Dei verbo premuntur, virgentur, refutantur, hoc vnum cum Caluino perfricta fronte respondeant, stultè supersticiosos esse qui Dei verbum mordicus arripiunt. Hic est videlicet honor, hæc reuerentia quam diuinis Scripturis deferunt hæretici, quas solas omnem & vnicam esse veritatis normam obtendunt, vt quum ipsorum placitis illè reluctatur, pro stulta superstitione habendum sit, si eorum, verba mordicus arripiantur. Hæc Caluini hoc loco audacia, impietas, impudentia. Nos verò verbis Christi mordicus adhærebimus, & adhærendum esse in Ecclesia Catholica didicimus, nec vlla Caluini insolentia ab hac sapientia & pietate piorum animos poterit auellere. Non stultè supersticiosus, sed sapienter pius ac fidelis est, qui ita mordicus diuinæ Scripturæ verba arripit, vt nulla hæreticorum, vel astutia, vel nequitia ab illis se diuelli, id est, à luce ad tenebras (*lucerna enim pedibus meis verbum tuum*) à veritate ad mendacium (*qui enim ex proprijs loquitur, mendacium loquitur*) à verbo vitæ ad hominum commenta (*verba enim vitæ æterna Christus habet, quid nisi commenta hominum hæreticorum glossæ sunt?*) abduci se patiat. Scilicet non debemus Christi verba mordicus arripere. Et quare? vt Caluini verbis mordicus adhæreas. Hæc est execrabilis hoc loco huius hominis impietas.

Sed aliquid fortè graue & consideratione dignum est, quod à tanta impietate Caluinum liberet, & quod eum mouere potuit, vt Christi verba mordicus arripienda non esse iudicaret. Audiamus quid dicat. *Quamuis* (inquit) *crepent, hæc Spiritus S. expositio reijci nõ potest, quod calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Vide iterum maiore aut

certè

certè nõ inferiore hominis impudentiã. Vocat Spiritus S. expositione, quæ non Spiritus S. sed ipsius Caluini est. Spiritus S. apud Lucã & Paulũ dicens: *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, nõ exponit quod apud Matth. & Marc. Christus dixit, tenens in manu calicẽ, *hic est sanguis noui testamenti.* Nec Paulus, nec Lucas aliorum Euangelistarũ verba exponit quãdo hæc scripserũt, sed dictante Spiritus S. Christi verba plenius & in aliũ finẽ expresserunt. Matth. & Marc. simpliciter verba Christi ponunt, quibus quid daret, significabat. Nempe *corpus & sanguinem suum.* Lucas & Paulus, illa Christi verba ponunt, quibus significabat, in quẽ finẽ corpus & sanguinẽ dedit. nempe ad sancientiũ nouũ fœdus ac testamentũ cũ nouo populo, vt iã explicatũ est, & vt ipse Caluinus agnoscit. Nec Lucas, nec Paulus causam narrat, cur calix vocetur sanguis, sed cur vocetur ab alijs Euangelistis *sanguis noui testamenti.* Nẽpe quia in illo sanguine esset nouũ testamentũ; in illo inquã accepto & hausto. Nulla igitur in verbis Luc. ac Pauli verborũ Matth. ac Marc. expositio est quoad nuncupatione sanguinis, sed bene quædam ampliatio, qua quorsum Christus Sanguinẽ suũ dedit, Christũ dixisse plenius commemorãt, item quæ quædã expositio cur *sanguis noui testamenti* vocatus à Christo fuerit. Illam ergo expositione non iã Spiritus S. sed nefarij Caluini penitus reiicimus, qua dicitur, *quod calix vocetur sanguis, quia testamentũ est in sanguine.* Nã ideo calix vocatur *sanguis Christi*, quia verè in calice est sanguis Christi. Ideo autẽ vocatur *calix nouum testamentũ in sanguine* quia in calice non solum ipse Christi sanguis est, sed etiã est per modũ sanguinis fœderalis seu testamentarij; id est, in eũ finẽ datus, vt sit sanguis fœderis noui testamẽti acceptus & haustus, sicut sanguis quo Moyles totum populũ aspersit, fuit fœdus & testamentũ Dei cũ veteri populo. Nõ ergo hic posterior sermo prioris illius sermonis ratione vocabuli sanguinis vel causa, vel expositio est, sed aitiologia est & ratio reddita in quẽ finẽ sanguis, datur, quẽ prior sermo datũ esse affirmat; & quare noui testamẽti sanguis vocatº est. Ergo verbis Christi mordicº inherẽdũ est, tã iis quæ Matth. & Marc. quã iis quæ Luc. & Paulus scripserũt.

Vtrobique simplicibus Christi verbis habenda est fides, quod nos contendere nõ oportere, ait Caluinus. Et cur obsecro? *Christus* (inquit) *ipse est idoneus, sui sermonis interpres.* Optimè. At ille palam ostendit non alia ratione se panem vocasse corpus suum & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fœdus æternum

Caluini extrema impudentia.

Hæretico-
rum impo-
stia.

pepigit, ut sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur. At-
qui hæc interpretatio non CHRISTI, sed Caluini est. Obseruandum diligenter hæreticos istos, & Caluinum ma-
ximè Christi verba & Christi interpretationem vocare, quæ
ipsorum verba & ipsorum interpretatio sunt, non Christi.
Astuti serpentes Deum hoc dicere aiunt, quod ipsi dicunt,
non Deus. Christus nec palàm, nec omnino ostendit se non
alia ratione panem vocasse corpus suum & calicem sanguinem,
nisi quia nobiscum fœdus pepigit, &c. Ostendit sanè Christus
se ideo dedisse corpus & sanguinem suum, ut per illa nobis-
cum fœdus æternum pangeret. Ideo enim de calice expres-
sè dixit (quod & de corpore quoque intelligi aliquo modo
posse non negamus) *hic est nouum testamentum in meo san-
guine.* Sed nec ostendit se panem vocasse corpus suum, quod
Caluini mendacium est (non enim dixit, *hic panis est cor-
pus meum*, sed dixit, *Hoc est corpus meum* :) nec in specie pa-
nis ostendens corpus suum, & in calice demonstrans san-
guinem suum, dixit. Hoc non alia ratione est corpus & san-
guis meus, nisi quia hoc est nouum testamentum meum
in illis, sed iuxta Matthæum & Marcum designauit, adesse
& fisci illic corpus & sanguinem suum; iuxta Lucam &
Paulum palàm ostendit, sanguinem sic adesse & sic fisci, ut
in illo sit nouum testamentum, id est, ut per illum & illius
sumptionem nouum iniretur fœdus ac testamentum. Ideo
enim adiecit, *accipite, comedite, bibite.* Non adiecit, *istis im-
molatis in cruce spiritualiter epulemini.* Hoc Caluini extraneum
commentum est, cui claudenda sunt aures Christianorum. Chri-
sti inquam verba attendere debemus, qui sui sermonis ido-
neus interpres est, non Caluini commentum: quod ille sta-
tim absurdissimo paradoxo confirmat, quum ait: *Quia fœ-
dus hoc non nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis
potione sancitur.* Sancitur quippe hoc fœdus, ut iam osten-
dimus, reali manducatione, de qua Christus dixit, *Accipite,
& manducate*, item reali potione, de qua Christus dixit,
Accipite, & bibite ex hoc omnes. *Hic est enim calix, &c.* ut supra
satis explicatum dedimus. Ita impius Caluinus stultè super-
stitiosos vocans qui Christi verba mordicis arripiunt, & iterum
dicens, *Non esse cur simplicibus Christi verbis fidem habend-
am esse contendamus*, manifestè, perspicuè, clarissimè à sim-
plicibus Christi verbis, ad suam astutam & mendacem
glossam Lectorem abducit, Christi verba peruertit, sensum
corrumpit, & ad suum impium commentum orbi obtru-

Caluini
mendacia.

Caluini pa-
radoxum
absurdum.

dendum

dendum Christi interpretationem ac nomen mutuatur.
Christi denique interpretationem & sensum non in Chri-
sti verbis, *Accipite, comedite, bibite*, sed in sui cerebri figmen-
to, *spiritualiter epulamini*, ponit. Hæc eius impietas, auda-
cia, impudentia maior & execrabilior est, quàm ut vllis pe-
ne verbis explicari queat. Vnde & ad eam simpliciter pate-
faciendam paulo pluribus verbis uti necesse fuit. Hominis
summam impietatem amplificabit pius & eruditus concio-
nator.

Feria 4. hebdom. Sancta.

*Quod pro vobis datur: &, Qui pro vobis fundetur. &, Luca 22.
Pater, si vis, transfer à me cali-
cem istum.*



Beneplacitum & fructus Passionis Domini-
cæ Christianis omnibus hætenus notissim-
um & indubitatum in priori sententia
continetur. Christi videlicet corpus in cru-
ce pro nobis morti traditum, & Christi san-
guinem pro nobis, nostraque redemptio-
ne, in Cruce effusum fuisse. Sic omnium Christianorum fi-
des hætenus contestata est, sic diuinæ Scripturæ apertissimè
docuerunt. Primum Christus ipse sic profiretur & pro-
mittit. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro
mundi vita.* Idem de sanguine suo affirmat, *quod pro multis
effundetur in remissionem peccatorum.* At vbi hanc carnem pro
mundi vita dedit, aut vbi hunc sanguinem in remissionem
peccatorum effundit, nisi quum in Cruce corpoream mor-
tem pro mundi salute obiuit? Dixerit hic aliquis. Et quis
demum Christianus hac de re dubitat? Aut huius rei de-
monstrationem quorsum tandem instituis? Sanè ante no-
stra opinor tempora nemo, ut arbitror, vel nefandissimus
hæreticus Christiani nomen portans & Sacramentis imbu-
tus, hanc liquidissimam veritatem in dubium vocauit. Nec
ante nostra tempora huius rei accurata aliqua demonstra-
tione opus fuit, tametsi omnium & Apostolorum scriptis,
& Patrum sermonibus, & Pastorum omnium publicis vo-
cibus hæc dulcissima veritas summa diligentia explicata &

Ioan. 6.

Matth. 26.

Instit. lib. 2.
ca. 16. num. 10

Calui. blasphemix in
pretium redemptionis
nostræ.

inculcata fuerit. Verum enimvero vnus hodie Calvinus, monstrum hominis, & portentum execrabile, hoc negare, ausus fuit, aliudque redemptionis nostræ pretium è suo infano & Satânico cerebro natum, statuere non est veritus. Hæc quippe eius sunt verba verè Satânica. *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed opera simul precium erat, vt diuina vltionis seueritatem sentiret, quo & ira ipsius intercederet, & satisfaceret iusto iudicio. Vnde etiã eum oportuit cum inferorum copijs æternaq; mortis horrore quasi confertis manibus luctari.* Et paulo post: *Non modò corpus Christi in pretium redemptionis fuit traditum, sed aliud maius & excellentius pretium fuit, quod diros in anima cruciatus damnati ac periti hominis pertulerit.* Varias execrandas blasphemias his verbis euomuit, ob quas solas, si nihil aliud in pestilentissimo illo tempore Institutionis Calvinianæ contra Deum & fidem Christi inueniretur (vt inueniuntur quàm plurima sempiternis flammis addici ille liber debuit. Quæ tamen librum in nostra misera & excecata Anglia tanto esse in pretio audio, vt tum Anglicè exactissime versus in singulis Ecclesijs à parochis legendus appendatur, tum in vtraque illic Academia, cursu philosophico absoluto futuris Theologis hic primum & ante omnia prælegatur. Hæc si ita sunt, grauior illi genti pœna à Deo vix infligi potuit. Est quippe derelictionis diuinæ maximum argumentum, cæcitate mentis percuti, & pestilentibus doctrinis delectari, vt sic in cogitationibus suis euanescant, & pro fide perfidiam; pro luce tenebras, pro Christo Belial, hoc est Caluinum amplectantur. Quod vel hic vnus locus ad oculum demonstret. Expendamus enim nunc execranda illa quæ posuit axiomata. Prius est, *nihil actum fuisse, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus.* Hoc est dicere, corporea mors Christi, quia corpus suum morti tradidit, & sanguinem fudit, nihil egisset, nihil ad salutem profecisset, si illa sola defunctus Christus fuisset. Sola mors Christi nihil per se effecit. *Aliud (inquit) maius & excellentius redemptoris nostræ pretium fuit.* Quale illud sit, postea expendemus. Nunc id tantum teneamus, Caluini sententiam esse, quod mors Christi corporea tantum nihil effecit, & quod aliud maius excellentius pretium redemptionis nostræ fuit, quàm illa erat. Non solum aliud pretium præter illam, sed aliud maius, idemq; excellentius statuit. Hocine Christianæ aures ferre possunt: Primum & ante omnia ipsum Caluinum Caluino oppono.

Vt

Vt satisfactiones in Ecclesia taxent, ait. *Gratuita reconciliationis nostræ cum Deo non alibi quàm in Christi morte pretium reperitur.* In Harmon. in Matth. cap. 20. ver. 28. Hoc si verum est, imò quia verissimum est, quantus nequam sibi que contrarius Calvinus est, qui præter Christi mortem, aliud nunc ponit, idemque excellentius Redemptionis nostræ pretium? Sed ex Scripturis agamus nunc. Si sola morte Christi nihil actum fuisset, quomodo de illa sola dixit Christus, *Caro mea est quam dabo pro mundi vita?* quomodo dixit Paulus, *Mortuus est propter delicta nostra, Tulit chirographum quod erat contra nos, et affixit illud Cruci expoliens principatus. & potestates traducens illos in semetipso?* quomodo proposuit Deus Christum propitiationem per fidem in sanguine ipsius, si ille sanguis non est propitiatio nostra, sed aliquid eo maius & excellentius? Quomodo Paulus dixit, *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi,* si aliquid aliud maius pretium & excellentius erat? An non illi alteri excellentiori iniuriam fecit Paulus, qui illo prætermisso, in sola Cruce se gloriari pronuntiat? Et quomodo in sola Cruce gloriatur, si sola Crux, id est, sola mors Christi in Cruce, redemptionis nostræ pretium non fuisset plenissimum? Rursum quum dixit, *Ego me nihil arbitror scire nisi Iesum Christum & hunc crucifixum,* nonne in sola Cruce & morte Christi totum redemptionis suæ pretium posuit? An non penitus exclusit illud aliud maius & excellentius quod Calvinus sibi finxit? Aut forte sciuit hoc Calvinus & ignorauit Paulus? Deinde quomodo (quod idem Paulus ait) *commendauit charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est,* si non in sola morte Christi, aut certè in illa præcipua hæc Dei in nos charitas commendata fuisset? Quæ hæc diuinæ in nos charitatis commendatio tam excellens aut singularis fuit per mortem Christi, si aliud adhuc maius & excellentius erat, per quod illa Dei charitas commendaretur? An iterum hoc vidit Calvinus quod ignorauit Paulus? Rursum si (vt Paulus ait) *Christus vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, & adhuc apertius, sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel,* quàm impius & detestandus Calvinus, qui hac vna oblatione corporis Christi semel per mortem, siue per solam mortem corpoream, nihil pro nobis actum fuisse blasphematur? *Vna oblatione corporis Christi semel omnes sunt in sempiternum sanctificati,* ait Paulus.

Ioan. 6.

Rom. 8.

Coloss. 2.

Rom. 3.

Mors Christi
pretium
redemptionis
nostræ.

Galat. 6.

I. Cor. 2.

Rom. 5.

Hebr. 10.

Calu. Paulo
in præcipuo
fidei capite
apertè contradicit.

Hebr. 9.

Ephes. 7.

Coloss. 1. 20.

1. Pet. 1. 18.

1. Ioan. 1. 7.

Apocal. 1. 5.

Cap. 5. 9.

Vna Christi morte corporea nihil actum fuit, ait Calvinus. Quis hodie hæreticus magis isto detestabilis, qui in præcipuo fidei nostræ capite, in ipsò redemptionis nostræ precio, diuinis Scripturis aperitissimè contradicit? Sed adhuc iterum dicit Paulus de Christo. *Per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta aeterna, redemptione inuenta.* Imò ait Calvinus, aliud maius & excellentius redemptionis nostræ pretium fuit, & hæc tantum morte corporea, ubi proprium sanguinem CHRISTVS largiter effudit, nihil actum fuisset, nec in sancta intrasset: nec redemptionem vllam pro nobis inuenisset. Hic necesse est aut Paulum mentiri, aut Calvinum blasphemare. Et quid pluribus opus est ad hanc nefariam scelerati Caluini blasphemiam iugulandam? An non hæc vna eius furiosa dementia, omnes illas diuinæ Scripturæ voces manifesti mendacij arguit, quibus dicit iterum Paulus habere nos redemptionem per sanguinem Christi, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, & iterum: quod per Christum reconciliauit Deus omnia in ipsum pacificas per sanguinem Crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in caelis sunt, quibus dicit Petrus, redemptos nos esse pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati, quibus dicit Sæctus Ioannes, quod sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. & iterum in sua Apocalypsi, quod lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & adhuc semel, Redemisti nos Deo in Sanguine tuo? Quomodo enim hæc omnia vera sunt, quomodo non falsa & fabulosa erunt, si, vt impius Calvinus docet, mors Christi corporea, in qua hic pretiosus sanguis effusus est, nihil pro nobis cogit, si aliud adhuc eo maius & excellentius redemptionis nostræ pretium erat? An aliud maius aut excellentius redemptionis nostræ pretium dari potuit, quam sanguis agni immaculati & vnigeniti filij Dei? Aut Sancti Apostoli Paulus, Petrus, Ioannes, redemptionis nostræ pretium toties inculcantes, alia vlla in re quam in sola CHRISTI morte ac pretioso sanguine, illud constituunt? An tota Pauli disputatio toto capite nono & decimo ad Hebræos alium scopum aut finem habet, quam vt doceat Christum in sui corporis tabernaculo per sui corporis victimam semel factam & per suum sanguinem semel effusum introisse in cælum, & veteribus omnibus sacrificijs finem imposuisse, vt hæc vna & perfectissima hostia vnica actione perpetuam Redemptionem operaretur? Quam ergo detestabile Caluini peccus, quod aliud excogitare potuit, idemq; maius atque excellentius? Hic pro Caluino

respondeat

respondeat, quicumque potest, siue in Gallia, siue in Anglia, siue in Germania Calvinista.

Sed videamus nunc tandem quod sit hoc aliud maius & excellentius redemptionis nostræ pretium, quam Christi mors in cruce corporea. Dixit loco citato, præter illam mortem corpoream, opera simul pretium fuisse, vt diuina ultionis seueritatem sentiret, quò & ipsa ipse intercederet & sat isfaceret iusto iudicio. Sed quid? An non hoc totum per ea quæ in corpore passus est, per sanguinem pretiosum effusum, per obedientiam vsque ad mortem, mortem autem crucis, cumulatissimè præstitit? Sanè Pauli iudicio ita se res habet, qui illam Christi obedientiam & humiliationem vsque ad mortem, mortem autem crucis commemorans, statim adiecit, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomē quod est super omne nomen, &c.* Sed Caluini iudicio non ita se res habet. Quid ergo aliud flagitat Bellua? Oportuit (inquit) eum cum inferiorum copijs aeternæque mortis horrore quasi confertis manibus luctari. Quid hoc monstri, quid portentis est? Sed audiamus eum hoc suum portentum clarius adhuc & explicatius in medium proferentem suisque omnibus coloribus totam eius horribilem effigiem ad viuum depingentem: *Propheta (inquit) quum scribit Christum propter scelera nostra à Patre percussum, & attritum propter nostras infirmitates, significat in locum sceleratorum sponsorem, vadem, adeoque instar rei submissum qui depēderet ac persolueret omnes, quæ ab illis expetēda erāt pœnas, vna hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, quum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur. Quæ hinc prophane tantum, sed portentose, nec portentose modo, sed fatanicæ sunt verborum nouitates? Audiamus tamen adhuc reliqua, vt totam insani hominis dementiam intelligamus. Maius (inquit) & excellentius pretium redemptionis nostræ fuit, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditī hominis pertulerit. Ait igitur præter corpoream Christi mortem in cruce animam quoque Christi damnati hominis cruciatus pertulisse, omnes damnatorum pœnas quasi ipsosore & vadem pro illis summissum (vna excepta perpetuitate pœnarum) persoluisse, & hoc modo cum inferiorum copijs, aeternæque mortis horrore confertis manibus luctatum esse. Sed qui sunt isti damnati hominis cruciatus, quis iste aeternæ mortis horror, quem Christus in anima pertulit, vt sic cum inferiorum copijs luctaretur, nec*

Instit. lib. 2.
cap. 16. nu. 10.

Philip. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

S 5 sola

In Sabb. post
Domin. Pass
text 3.

ibid. num. 11

Heb. 5. 7.

Christum
damnatio-
nem timui-
se vult Cal-
uinus.

Ibid. nu. 12.

In Harm. in
Matth. c. 27.
ver. 46.

sola morte corporea, sed hoc etiam modo (vt ille vult) excellentiori nos redimeret? De mortis temporalis metu ac timore, qui & qualis in Christum cadebat, iam in alio Euangelio explicuimus, & Caluini illic errorem aperuimus. Sed nunc æternæ mortis horrorem & damnati hominis cruciatum in Christo commemorat Caluinus. Quid ista volunt? Explicat paulo post, & dicit. *Christus* (inquit) *cum clamore valido & lachrymis orans, & à metu suo exauditur* (sic enim legit pro eo quod nos legimus, *pro reuerentia sua exauditus est* (non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator, quia illic personam nostram gerebat. Sed quid est hoc, absorberi vt peccatorem? Non enim totam suam impietatem propriis & apertis verbis seductor callidus explicatè tradere vult. Pergit tamen, & dicit: *Et certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quam sentire te à Deo derelictum & alienatum, & quum inuocaueris, non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset*: Hic ergo fuit iuxta Caluinum in Christo æternæ mortis horror, qua metuebat ipsam æternam mortem & derelictionem à Deo: id est quod metuebat damnari non quod Deus Pater dilectum filium dereliquerit (vt postea sua verba moderatur Caluinus) sed quod talis derelictionis signa Christus senserit, & metum atque horrorem damnationis æternæ conceperit. Omnia (inquit) *irati & punientis Dei signa expertus est*. Et paulò post, proposita sibi hac obiectione, *quomodo mortem timuerit Christus, maledictionem tamen & iram Dei, à qua se tutum esse nouerat, non timuisse, cauillum hoc vocat: multisque verbis ostendit multos sceleratos homines mortem intrepidè adire, & pudèdam in Christo molliem esse debuisse, si ab communis mortis formidine ita torqueretur, vt sanguineo sudore disfluere, idèoque asperius aliquid & magis arduum Christo fuisse certamen, quam cum morte communis: nempe cum ipsa maledictione & ira Dei, quæ formidabat, sicuti obiectione, quam cauillum vocat, ponebat. Quare statim subiungit, quum Christus in horto sic oraret, quod hoc exordium fuit descensus eius ad inferos. Tunc enim (ait Caluinus) *diros & horribiles cruciatus perpeffus fuit, quum se ad tribunal Dei reuolare cognosceret nostra causa*: Sic aliquo modo suam nobis impietate patefecit. Audiamus tamè que adhuc alibi dicit, vt totam eius non tam sententiam quam demerentiam teneamus. Illa Christi in cruce verba petraclat, *Deus Deus meus, quare me relinquisti*. ita scribit, *Vt pro nobis satisfaceret Christus, reum ad Dei tribunal sisti oportuit. Nisi**

audem

autem magis horribile quam Deum sentire ludicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergo quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emerfit. Nec verò sic vel theatricè conqueritur se à Patre relictum. Nā interior animi maestitia vi & ardore suo eum coegit in clamorem erūpere. Nec tantum ocularis fuit redēptio, qua defunctus est, sed vt se vadem pro nobis obtulerat, verè Dei iudiciū subire loco nostro voluit. Vult Caluinus in his verbis, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti* Christum vera & vehementi tentatione correptum fuisse, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, id est, damnandus, & quod interior animi eius maestitia vi & ardore suo eum coegit in hunc clamorem erūpere. Hic est ergo ille, timor maledictionis & iræ Dei, quæ, vt supra vidimus, in Christo posuit. Hæc est illa fordidabilis abyssus, qua sensit se à Deo derelictum & alienatum, Et de qua subiūxit ibi Caluinus, *Christum eo fuisse deiectum, vt coactus fuerit, urgente angustia, exclamare, Deus Deus meus, &c.* Expēdamus nūc hoc totū quid & quale fuerit. Primum in eo grauius errat Caluinus, quod tum super Matthæum tum in sua Institutione, ait Christum vi maestitia & urgente angustia coactum in hunc clamorem erupisse. Verba enim ista, sicut & illa, *Pater mi si fieri potest trāseat à me calix iste*, animo penitus sedato & cōposito pronūtiavit Christus, nec vllus vel mestitiæ vel timoris motus in Christo rationē ei⁹ præuenit, sed hos affectus humanos veros & verè in se suscepit, pertulitque, nō vt nos inuoluntarios, aut, vt hīc Caluinus dicit, coactos, sed penitus liberos, quādo, & quomodo, & quoties voluit, vt supra in * aliis Euangelis ostēdimus: idèoque hoc loco nō repetimus. Hæc igitur verba, *Deus Deus meus, &c.* nec ex aliqua noua angustia eū cogēte, nec ex propria angustia aut mestitia tūc primū inuēta vel extorta, sed olim de eo propheticè prædicta Christus vsurpat. Tota enim hæc oratio seu exclamatio præmeditata & præcognita illi fuit, vt ipsa mors, passio, omnesque eius circumstantiæ fuere. Hic ergo primus Caluini foedus error est, quod has voces vi doloris coactum emisisse Christum arbitrat. Alter & multo grauior error est, quod illa verba ex tentatione illi obiecta, quod à Deo desereretur, quod exitio deuoueretur: quod ab illo aduersus & alienatum, illi irasceret, Christum protulisse affirmat. Id solum his verbis Christus dicere & ostendere voluit, humanam suam naturam sibi fuisse derelictam,

absque

Instit. lib. 2.
cap. 16. nu. 11.

* In fe. 6. heb.
4. tex. 1. et in
sabb. post. Do-
min. Passion.
tex. 3.

In Matth. ca.
27. & instit.
lib. 2. cap. 16.
num. 11.

Christus cur exclamavit in Cruce.

Serm. 17. de Passione Domini.

Derelictionis diuinæ nullus metus in Christum cadere potuit.

- 1. 2.
- 3. 4.
- 5. 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.

absque consolatione diuinitus ei impertita; vt videlicet omnes intelligerent, quantum in corpore veri doloris & pœnarum pro humano genere perferret. Non timet vllam vel minimam à Deo, quoad animæ statum derelictionem sed negatam præsentibus corporis pœnis consolatione his verbis expressit. idque ideo, vt notum faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sauentium manibus derelinqui, hoc est, Saluatorem mundi fieri, & omnium Redemptorem non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxiliij, sed definitione moriendi, ait B. Leo. Certum est multos Martyres in medijs pœnis tanta diuinitus consolatione perfusos fuisse, vt illa consolatio omnem propemodum doloris sensum illis eripuerit. Noluit hac consolatione frui Christus. Voluit sicut omnem contumeliam & ignominiam, ita omnem corporis dolorem & cruciatum perpeti, qui in id genus mortis cadere potuit. Vt autem hos dolores verè cum pro nobis pertulisse, & quanti Christo nostra salus constiterit, omnes in eum credituri intelligeremus, hanc dolorum suorum acerbitatè & negatam interius consolatione his verbis expressit.

Quomodo verò cuiquam credibile esse potest, diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionem in Christum (quum hæc diceret) cadere potuisse, quum non solum antea sponte hostibus occurreret, magna animi securitate eos allocutus fuerit, sua potestate prostrauerit, Peruersionem eius impedire volentem acriter increpauerit, & legiones à Patre se impetrare posse confidenter dixerit, accusatoribus & persecutoribus suis venturum se in maiestate pronuntiauerit, denique pergens ad crucifixionis locum stentibus mulieribus dixerit, Nolite flere super me, &c. quæ verba (ait Calvinus) testantur quàm excelsa animi fortitudine præditus fuerit Christus, verum etiam eodem ferè temporis momento, & pro crucifigentibus cum patrem oraret, & latroni paradysum promitteret, & matrem discipulo commendaret, & statim post hæc verba dicto Sitio, quod etiam mysticè dicebat, & aceto potatus, sciens quia omnia iam consummata essent, ideoque dicens, Consummatum est, Patri commendans spiritum suum, expirauerit? Nonne omnia in Christo, quæ hæc eius verba, Deus Deus meus, &c. præcesserunt ac sequuta sunt, animi sedati, imò animi diuini & filio Dei digni verba fuerunt? Pro crucifigentibus orare, misericordie sedatissimæ fuit. Latroni paradysum promittere diuinæ potestatis fuit. Matris curam habere, animi compositi, minimeque

meque

meque turbati fuit. Cætera subsequencia verba. Sitio, Consummatum est, Pater in manus tuas, &c. quam vel minimam habent timoris, formidinis, aut perturbationis speciem? Ergo morti proximus inconsideratum verbum protulit, & vox illi desperationis elapsa fuit? Sic enim ait Calvinus, vt mox videbimus. Nunc id tantum dicimus & vrgemus, nullum iræ diuinæ aut maledictionis metum Christum in his verbis concepisse. Quod nunc pressius contra nefandam Caluini impietatem, ipso Christo donante, ostendemus.

Docet Calvinus, & post illum Beza, Christum in horto ex iræ diuinæ & maledictionis metu atque horrore lachrymas illas & sudorem sanguineum profudisse, ibi fuisse exordium descensus Christi ad inferos, vt Calvinus loquitur, & inferorum atria tunc ingressum esse Christum, vt Beza loquitur. In his autem verbis, Quare me dereliquisti, quasi in profundissimo inferni abyssu desperationis tentatione vexatum fuisse. In his omnibus non solum execrabiliter, sed & crasse ac turpiter Calvinum cum suis errare manifestè ostenditur. Quid Christus in horto orans metueret, ipsa eius oratio docere nos debet. Hæc autem fuit oratio Christi: Pater mi, si fieri potest, transfer à me calicem istum, vel, vt alius Euangelista habet, si possibile est, transeat à me calix iste. Iam verò quid aliud est calix iste, quem Christus deprecatur, quàm ipsa mors corporea? Quis de hoc dubitare potest? Non dicit, transfer à me calicem iræ & indignationis, & maledictionis tuæ: sed, calicem istum. Et quem istum, nisi de quo postea Petro dixerat, quum gladio percutiens, mortem Christi impedire vellet, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? An aliud hinc Christus quàm mortem corpoream, ad quam subeundam tum capiebatur, intellexit? Rursum quum Ioanni & Iacobo Christus prædixerat, Calicem quidem meum bibatis, an dicet Calvinus, istos quoque Apostolos calicem mortis damnatorum bibisse, & horrore illo diuinæ maledictionis correptos fuisse, quem in Christo fingit? Atqui dicit super Mathæum Calvinus, huius diuinæ maledictionis horrorem talem ac tantum fuisse, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti: Aut ergo isti Apostoli hoc horrore non sunt correpti, aut si correpti eo fuerunt, absorpti, ideoque damnati sunt. Iam si eo non correpti fuerunt, & tamen calicem Christi biberunt, calix quem Christus in horto deprecatur, hic horror diuinæ maledictionis esse non potuit, sed mortis corporeæ & persecutionis pro fide calix, quem vterque

Ioan. 19.

In Harm. in c. 27. Matth.

Instit. li. 2. ca. 16. num. 11.

In Annot. ad Luc. cap. 22. In Harmo. in c. 27. Matth.

Christus in horto quid metuerit.

Luc. 22.

Marc. 14.

Matth. 26.

Matth. 20.

Calvinus à seipso refutatur.

In cap. 27. Matth.

Apo-

Ioan. 12.

Luc. 22.

Matth. 26.

Instit. li. 2. ca. 16. num. 12.

In Annot. ad Luc. cap. 22.

Cur Christus mortem deprecatus fuit.

1.

2.

Apostolus bibit, ille gladio occisus, iste in feruentis olei dolium detrusus. Deinde quum similem orationem Christus antea fecisset, dicens, *Nunc turbata est anima mea. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora*, solam mortem corpoream ante oculos suos Christus proposuit, & eam solam deprecatus est, vt tum in illum locum Calvinus non diffusetur, tum sermo Christi præcedens, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* manifestè demonstrat. Præterea tota illa tristitia, quam in horto Christus conceperat, qualis fuerit, ipse clavis verbis ostendit, dicens. *Tristis est anima usque ad mortem*, id est, propter mortem propinquam, de qua paulo ante dixerat. *Filius hominis vadit, veruntamen va homini illi per quem tradetur.* Propter hanc mortem corpoream contristatus est Christus, propter illam antea turbatus, quum se à gentibus queri audiret, pro quorum salute passurus erat. Hanc in horto deprecatus est, non voluntate deliberata, sed naturali, vt antea explicatum est.

Sed hæc, ait Calvinus, *puerenda fuisset in Christo mollities, si ob communis mortis formidinem ita torqueretur, vt sanguine sudore profuisset.* Et hunc sanguineum sudorem valde amplificat Calvinus, & post eum Beza; & quod Lucas ait, *quasi guttas sanguinis*, ille vocat guttas, quas Beza vertit *grumos*, id est, globos collectos sanguinis, quum vox Græca, *θρόμβος*, æquè guttas simpliciter significet, quam grumos. Eadem quoque ex causa, pro Angelo consolante, *angelos* ponit Calvinus, Scripturæ deprauationem nihil veritus.

Cæterum cur Christus Redemptor noster ter repetita oratione mortem deprecatus fuerit, non voluntate aliqua deliberata (vt antea explicatum est) sed naturali tantum, & cur eadem voluntate naturali mortem ita apprehenderit, vt factus in agonia, sudorem sanguineum emitteret, atque ab angelo consolationem acceperit, præter liberam ex parte Christi huius doloris & agoniam susceptionem (de qua antea diximus) vt non solum in corpore, sed etiam in parte rationali, pro nobis pateretur, (quam ob causam non obstupescit sensum suum, nec permisit vt redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem, sed contra de industria, & vt copiosior esset redemptio, defixit mentem in omnia tormenta impendentia) etiam ex parte naturæ Christi humanæ ratio reddi potest. Christus quippe, qui solus omnia & singula futura tormenta sua exactissimè præuidit, voluitque omnium & singulorum grauitatè ante oculos suos propo-

nere

nere, (exercens in eo summè fortitudinis & charitatis actus) naturaliter debuit ex illis vehementissimum timorè ac metum, simulque animi tristitiam concipere. Nos mortales alacriter sæpenumerò res arduas aggredimur, quia omnes & singulas difficultates ac molestias in illis postea suscipiendas ac deuorandas exactè non præuidemus. Quæ nobis ignorantia utilis est, quum indubitatum sit, plurimos res maximè arduas perficere, quarum singulas difficultates & cruces si præuidissent, eas nunquam vel minimo digito attigissent. Hoc vnū ergo in Christo singulare fuit. Addamus nunc alterum. Christus quum esset persona nobilissima, pariterque innocentissima, & qui genti illum ad mortem traditura innumera beneficia contulisset, tam ignominiosam & crudelem, & à tam ingratis hominibus inferendam mortem naturaliter debuit refugere, expauescere, & deprecari, volens eam semel ante oculos suos in sua simplici natura considerandam proponere. Regè aut Reginam vel à suis subditis, vel ab alienis, qui nullam in eos potestatem habent, mortem ignominiosam pati, (cuius barbarum admodum & truculentum exemplum hæc ætas vidit, quum Maria Stuartæ Scotiæ Regina, filia, coniunx, & mater Regis, Princeps innocentissima, ab Elisabetha Angliæ Regina, cognata, & hospite, per publici carnificis manum obtuncata fuit) parentem à propriis liberis, aut amicum ab amico interfici, grauiorè haud dubiè doloris acerbitatè adfert, quam sola communis mors in seipsa considerata. Hæc igitur consideratio Christi naturaliter debuit tristitiam & agoniam vehementissimam in Christo generare: An fortasse talem considerationem Christus non habuit? Quid ergo illud sibi vult, quod Apostolus dicit? *Recognite eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Quæ erat ista contradictio, quam Christus aduersus semetipsum à peccatoribus sustinuit, nisi quam nunc attigimus, quod filius Dei, qui peccatum non fecerat, ab hominibus, ipsique peccatoribus, ac tandem Iudæis, mortem & crudelem, & ignominiosam pateretur? Sanè postreimum hoc à Christo consideratum fuisse, illa Christi verba ad Iudæos prolata satis indicant. *Multa bona opera operatus sum inter vos. Propter quod eorum vultis me interficere? Priorè quoque considerationem Christus in ipsa passionis actione expressit, dicens Pilato. Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset de super. Quia Pilatus suam potestatem in Christum iactitabat, Respondit*

Chri-

3.

Indignitas mortis Christi naturaliter eum turbare poruit, semel animo suo liberè proposita. Hebr. 12.

Ioan. 10.

Ioan. 19.

Christus. Pilatum, quantumvis Prouinciæ Præsidentem, nullam tamen aduersus eum potestatem habiturum fuisse, nisi de cælo, vnde ipse veniebat, ei datum fuisset, idque singulari quadam diuina dispositione, qua & Deus Pater hoc voluit, & ipse Dei Filius in hoc consensit, vt humanæ potestati subiiceretur. Non de generali potestate loquitur Christus, quam omnes Præsides & Magistratus à Deo habent, sed de potestate in ipsum singulariter data. *Non haberes potestatem aduersum me*, ait Christus. Alioqui satis fuisset dicere, Non haberes potestatem. Sed quia Pilatus dixerat, *potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*, voluit Christus eum docere, quod nec talem, nec vllam in se, vel aduersum se potestatem haberet, nisi hoc singulariter illi fuisset à Deo concessum. Vnde statim infert Christus. *Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet*. Id est, quia ego sum de cælo, & quia potestas quam tu habes in me, de cælo singulariter est, ego verò nec tibi subditus, nec nocens sum, propterea Iudæi isti & Pontifices, qui me tibi tradiderunt, tibi inquam vt potestatem habenti, & me nec subditum, nec nocentem, maius & grauius peccatum habent. Quorum verborum sensum & grauitatem capiens Pilatus, *exinde querebat dimittere eum*, ait Sanctus Euangelista: quæsiturus potius eum crucifigere, si Christum existimasset contra potestatem suam in genere aliquid in illis verbis dixisse. Sed quia sciebat CHRISTVM illis verbis tam suam innocentiam, quam etiam excellentiam professum fuisse, *exinde magis querebat dimittere illum*. Christus ergo in sua Passione & morte imminente, etiam hanc summam indignitatem ante oculos suos posuerat, quod talis ac tantus ab huiusmodi tum impiis, tum ingratis, tam acerbam, & tam ignominiosam mortem passurus erat. Hæ naturales causæ esse poterant, cur mortem hanc & calicem hunc naturaliter ita exhorruerit.

Sed siue has, siue alias ob causas mortis calicem iam iam propinandum Christus ita exhorruerit, vt videlicet hoc suo timore voluntariè suscepto, nostræ fragilitatis timorem, quem necessario sustinemus, corrigeret ac sanaret (quam causam affligat Beatus Leo) vel quia mortem illam genti Iudaicæ, quam vnice diligebat, interitum & vastationem perpetuam allaturam videbat, vt super quam ciuitatem hoc nomine semel fleuit, pro ea nunc, totaque gente lachrymas acerbiores funderet, siue denique vt se verum esse hominem, eumque

purissi-

purissimæ complexionis, cui omnis corporis dolor naturaliter acerbior est, ostenderet, siue, inquam, has, siue alias ob causas (quas certè curiosius scrutari, quam diuina Scriptura reuelauit, necessarium non est) illud certissimum est, nec ex vlla pudenda mollicie, vt impius Calvinus obiecit, ipsam mortem exhorruisse, nec id quod Calvinus fingit, & loco mortis corporeæ substituit, vlllo modo timuisse.

Non timuit (inquam) Christus, siue in oratione in horto habita, siue in Cruce dicens, *Quare me dereliquisti*, vllam Dei iram, maledictionem, iudicium. Si hoc aliquando vel momentum timuit Christus, quomodo verum est, quod in eius persona, & de eius futura passione Scriptura dicit, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc latatum est cor meum, & exultauit lingua mea. Insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem?* Omnia hæc de Christo, eiusque passione, morte, resurrectione dici, Diuus Petrus in Actis nos docuit. Si ergo Christus patiens Deum semper in conspectu suo habebat, qui illi à dextris esset, ne commoueretur, quomodo Dei maledictionem timuit? Dico, si semper, vt Scriptura dicit. An non aduersa fronte cum Scripturis pugnat Calvinus, Christumque Redemptorem nostrum, in quo Patri semper bene complacuit, foedissima & atroci iniuria conspurcat? Quomodo verum esse potest, quod Christus dixit, *ego præcepta Patris mei seruauit, & maneo in dilectione eius*, si (quod Calvinus dicit) iram & maledictionem Dei timuit, & *vox illi desperationis elapsa est?* Si præcepta Dei semper seruauit, certè iram Dei timere non potuit, nisi etiam Deum quoque iniustum Calvinus fingat, vt CHRISTVM desperatione tentatum probet. Rursum si mansit semper Christus in dilectione Patris, quomodo eius maledictionem timere potuit? An fortè quem Deus diligit, ei etiam maledicere & irasci potest? Aut qui Deum diligit, eum sibi irascentem & auersum poterit vnquam sentire? Quæ magis pugnantia aut dici, aut cogitari possunt? Et tamen aut hæc pugnantia dicere, aut cum Scripturis pugnantia docere Calvinum necesse est. Iam verò (vt vno breui argumento summam Caluini impietatem demonstrarem) si Christus orans, *Transfer à me calicem istum*, intellexit iram & maledictionem Dei, ne absorberetur vt peccator, tunc in verbis sequentibus; *Verumtamen non mea voluntas sed tua fiat*, intelli-

T gendum

Christus iram Dei timere non potuit.

Psal. 15.

Act. 2.

Calui. Scripturis aperte contradicit. Ioan. 15.

Serm. 16. de Pass. Dom.

Luc. 12.

gendum est Dei Patris voluntatem fuisse, Christumque ei se conformasse, vt Christus maledictionem & iram Dei incurreret, eaque absorberetur vt peccator.

Caluini
euationes
fuitiles.

Instit. lib. 2.
ca. 16. nu. 12.

In Matth.
cap. 27. v. 46.

Calvinus vt tantæ rei indignitatem, tamq; horrendam in Christum blasphemiam non nihil attenuet, & aliquo modo probabilem reddat, hoc fucō vitur: *videndum* (inquit) *est iuem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu, qua cum fide non pugnaret: quia se quasi derelictum à Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit à bonitatis eius fiducia.* Et alio in loco, proposita sibi hac obiectione, *absurdum videri Christo clapsam esse desperationis vocem.* Solutio (inquit) *facilis est, quam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde, qua Deum presentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Quare nihil obstat, quò minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus distabat, & si mul fide retinuerit, Deum sibi esse propitium.* Hanc quoque euationem probare vult ex ipsis illis verbis, ex quibus hunc diuinæ maledictionis metum probare conatur. *Quod satis clarè patet ex duobus querimoniae membris. Nam antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere, tanquam Deum suum (dicens, Deus meus, Deus meus) atque hoc clypeo fidei fortiter repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc dno cruciatu illa se fuit eius fides, vt se relictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio consideret.* Hæc ille. Sed totus hic fucus, totaque euasio, quam variè fuillis sit, attendat lector. Primum verba illa, *Deus meus, Deus meus*, & similiter, *Pater mi*, sicut Calvinum docuerunt, fiduciam Christi (quam ille fidem improprie vocat) stetisse semper illæsam; ira etiam docere debuerunt, nullam hinc fuisse derelictionis diuinæ tentationem, nullam æternæ mortis horrorem, aut damnati hominis pœnam, nullam desperationis vocem, nisi fortè existimet Calvinus ipsos etiam damnatos, fidem ac fiduciam retinere posse, qua Deum sibi propitium esse credant, & qua exclament, *Deus meus, Deus meus.* Deinde an non multò facilius est, Christi que puritati conuenientius, totam Christi orationem tam breuem, tam succinctam, sibi similem & conformem facere, sanctaq; fiducia, quo ad Dei in eum bonitatem plenam, & derelictionem (de qua loquitur) ad instantem mortem referre, à qua Christus naturaliter hic abhorrebat, sicut in hortō; quam ad iræ & maledictionis diuinæ merum? Hæc enim duo optinè consistunt, vt manente fixa & immobili diuinæ

bonitatis

bonitatis fiducia, siue Christus siue aliquod membrum eius temporalem mortem naturaliter refugiat, aut aliquod aliud malum pœnale. Sed manente bonitatis diuinæ fixa fiducia, vt eiusdem bonitatis metus & diffidentia in aliquo oriatur, etiam in quouis homine, nedum in Christo, non magis possibile est, quam vt manente feruido calore aliquis frigeat. Fixe quippe fiduciæ (quam in Christo manere Calvinus ponit) non minus repugnat iræ & maledictionis diuinæ metus, quàm feruido calori quodlibet frigus. Maluit tamē Calvinus sensum in illis verbis penitus pugnantē statuere, quàm cū omnium fidelium consensu sensum verbis conformē agnoscere.

Deinde non satis est agnoscere in Christo firmam & fixam diuinæ bonitatis fiduciam, à qua, vt Calvinus nunc dicit, *ne tantillum quidem deflexit*, sed etiam talem, quæ tentari aut commoueri non potuerit. Ait enim disertè de seipso Christus. *A dextris mihi Dominus est, ne commouear.* Non fuit ergo in eo genere ne tentatus quidem. Nullam *Dei alienationem mente concepit* Christus, vt hic loquitur Calvinus. Talis quippe alienatio mente concipi sine motu mentis quomodo potuit? At ne commotus quidem fuit, vt Deum à se alienum aliquando cogitaret. Scripturæ igitur diuinæ manifestè repugnat impium Calvinum commentum, sicuti cum seipso pugnare docuimus. Imò ait Calvinus, *Spiritus Dei hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato.* Atqui Scripturam deprauat, & textum corrumpit. Non enim dicit Paulus Christum tentatum per omnia, *sicut nos*, quasi etiam vitiosos affectus haberet, & desideria praua, *sicut nos*: sed Paulus dicit, *pro similitudine*, siue iuxta similitudinem, videlicet, carnis peccati, vt alibi dicit, *filiū suum mittens in similitudinem carnis peccati*, non autem iuxta similitudinem nostram, vel sicut nos: Quæ duo plurimum differunt. Christus enim habuit tentationes, quæ similitudo carnis peccati proferre potest, sed non quas caro peccati (qualis nostra est) proferre solet. Ideo Paulus adiecit, *absque peccato*, id est, absque illis tentationibus, quæ ex peccato nascuntur. Metus iræ diuinæ & maledictionis Dei (qualem hic ponit Calvinus) est tentatio propria carnis peccati, & hominis in peccatis nati, adeoq; veri peccatoris. Non enim nisi peccatis irascitur Deus, nec irā Dei sic timet iustus. Metus mortis & aliorum pœnaliū cadere potuit in similitudinē carnis peccati, quia sine peccato, naturali tantum voluntate, illa refugiuntur. Sic hic locus adeo Calvinū non

Instit. lib. 2.
cap. 16. nu. 12.

Hebr. 4.

Calvinus
diuinæ Scri-
pturæ textū
deprauat.

Rom. 8.

Calvin. ex
Scriptura,
quā pro se
adfert, refu-
tatur.

duat, ut eum perspicue refuter. Ponit enim hic locus in Christo tentationes similitudinis carnis peccati, & negat in eo tentationes carnis peccati: quae non sunt, nisi ex peccato.

Deinde, si timor, quem Christus in horto, & in cruce habuit, quin verba quae nunc tractamus diceret, fuit timor & metus maledictionis & irae Dei, profecto non fuit momentanea tentatio, cum qua fixa & illaesa mansit fiducia bonitatis divinae (ut hic Calvinus rem extenuat) sed fuit permanens tentatio ac timor cum assensu coeque insigni. Humi quippe prostratus, cum lachrymis & clamore valido, idque ter repetita oratione, orabat prolixius Patrem, ut calicem instantem a se transferret. Si calix ille, quem sic exhorruit, fuisset irae & maledictionis divinae calix, quo tunc aestuabar, & quem tunc a se removeri tanto fervore orabat, profecto plusquam tantillum a fiducia bonitatis divinae deflexisset, & toto illo tempore cum insigni assensu in illo maledictionis divinae metu mansisset, & sic absque insigni peccato non fuisset.

Ceterum ubi Calvinus in Christum Dei ore sacrilego dixit, quaecumque scelerato animo collibitum fuit, nunc istis exceptionibus atrocem suam blasphemiam colorare & facere nititur, Quod re ipsa perinde est, ac si quis ubi narrauisset aliquem esse mentitum, esse calumniatum fratres, infidelem & blasphemum euasisse (quibus ut per se malis semel admissis, nulla moderatio affectuum medeatur, ut non sint peccata) adiceret: sed ita tamen ut ne tantillum quidem a veritate dicenda deflexerit: ut charitas nihilominus & fides, totaque veritas fixa in eo atque illaesa permanerint: nisi quod istud tanto sceleratius & magis ridiculum est, quanto filius Dei homini peccatori praestat. Praeterea, si in tota hac lecta & certamine seu agonia Christi in horto, itemque in illis verbis in Cruce prolatis, Quare me dereliquisti, Christus ne tantillum quidem a divinae bonitatis fiducia deflexit, Christi fiducia in Deum fixa & illaesa permansit, si Deum praesentem intuebatur, fide semper retinuerit Deum sibi esse propitium, (quae omnia hic Calvinus dicit) quomodo vera sunt illa alia portentosa eius verba, Christum in his duobus locis, diros in anima cruciatum damnati ac perditum hominis pertulisse, cum inferorum copiis aeternaeque mortis horrore quasi conspersis manibus luctatum fuisse, formidabilem illam abyssum ingressum esse, quae se a Deo derelictum & alienatum sentiret, idque perinde, ac si non ipsius perniciem Deus conspiciasset: denique sceleratorum poenas omnes, quae ab illis expectandae erant, persoluisse, hoc vno ex-

Luc. 22.

Caluini artes pessimae.

Instit. lib. 2. ca. 16. nu. 10. & 11.

cepto, quod huiusmodi doloribus teneri non poterat? Quorsum haec tam tragica verba, si totus ille, quem fingit divinae maledictionis metus & conceptio sic momentanea, imò sic nulla erat, ut fiduciam divinae bonitatis nunquam amiserit, ut reuera Deum sibi iratum non timuerit, ut eum semper praesentem sibi que propitium, fixa & illaesa fide tenuerit? Quam sunt haec secum pugnantia, quam absurda, quam ridicula? Sed haec est consueta & ordinaria Caluini partim impietas, partim impudentia. Vbi summam impietatem euomuit, eam summa impudentia rursus negat.

Sed an ista consistere queant, adhuc expendamus magis. Hic enim confictus in Christo animae cruciatu tanti a Caluino eiusque sectatoribus fit, ut eo praeterito, multum ex mortis Christi fructum deperire, imò ut in eo Redemptionis nostrae pretium maius atque excellentius esse affirmet Calui. quam in morte & sanguine Christi: ut Beza etiam scribat, in eo positam esse nostrae pacis & cum Deo reconciliationis summam. Expendamus igitur adhuc nonnihil doctrinae huius Caluimianae summam & extremam impietatem. Christus (ait Calvinus) cum aeternae mortis horrore confligit: diros cruciatum damnati & perditum hominis sustinuit. Sceleratorum poenas omnes persoluit, excepto quod aeterna non erant. Mortem quae ab irato Deo sceleratis infligitur perpessus est. Examinemus paululum haec singula. Horror aeternae mortis & poena hominis damnati, includit essentialiter desperationem salutis non momentaneam, sed fixam, sicut beatitudinis praemium includit certitudinem salutis nunquam amittendae. Si ergo damnati hominis cruciatu sustinuit Christus, profecto non solum desperationis vocem emisit, nec sola species tentationis ei obiecta est, quasi Deo averso iam esset exciso deuotus, sed ipsa desperatione laborauit, & de salute sua quum in horto & in cruce illa verba diceret, ad tempus desperauit. Deinde si sceleratorum poenas omnes, excepto quod aeterna non erant, in anima persoluit, ergo & ignem illum infernalem sensit, de quo Christus dixit: Ite maledicti in ignem aeternum, qui parati estis diabolo & angelis eius, hoc vno duntaxat excepto, quod ille ignis Christo aeternus non fuit. Haec est enim propria poena sceleratorum aeterna. Rursus si mortem Christum pertulit quae ab irato Deo sceleratis infligitur, ergo mortem secundam, quae proprie stipendium peccati est, propter quod Deus irascitur, pertulit. At illa propria est

Caluini artes pessimae.

Instit. lib. 2. ca. 16. nu. 8. & 10. In Anno. in Luc. cap. 22. ver. 44.

Calui. blasphemiae pressius examinantur.

In Matth. cap. 27.

Instit. lib. 2. cap. 16. nu. 10.

Esaia. 53.
Scripturas in
dignissime
torquet Cal-
uinus.

I. Cor. 15. 3.

In com. ad 1.
Cor. 15. 3.

Calvinus à
seipso refu-
tatur.

I. Pet. 2.

Calvinus à
seipso refuta-
tur.

damnatorum pœna. Omnino, ait Calvinus, talem pertulit, qui in locum illorum tanquam sponsor vadis & rei instar submissus est. At vnde hoc tandem, prophænum & inauditum in Ecclesia Dei verbum, accepit Calvinus? Ho. (inquit) significat Prophetam in illis verbis, disciplina pacis nostra super eum, percussus est propter scelera nostra, attritus propter infirmitates nostras. Atqui hoc totum de pœnis, quas sustinuit Christus in corpore suo super lignum, intellexit semper Ecclesia Dei, An non sic Apostolica Scriptura aperte nos docuit? Mortuus est (ait Paulus) propter delicta nostra iuxta Scripturas. An non docent hic Scripturas propheticas, quæ de Christi pœnis loquuntur, eas designare, quas per mortem corpoream pertulit? Sanè ipse Calvinus in hunc Pauli locum inter alias Scripturas, quæ Christum pro peccatis nostris moriturum prædicunt, etiam hunc Esaia locum ponit: moxque addit mortem Christi fuisse sacrificium pro expiandis peccatis nostris, fuisse pœnam satisfactoriam, per quam Deo reconciliaremur, fuisse huius damnationem ad impetrandam nobis absolutionem. Vt quid ergo impius Calvinus tam aduersus Scripturas quam aduersus seipsum nunc morte corporea Christi nihil actum esse affirmat, & Scripturam, quæ de morte Christi corporea, & cruciatibus circa illam corporeis aperte loquitur, ad animæ desperantis, vel de salute sua dubitantis ac diffidentis, ad damnati hominis pœnas, & æternæ mortis horrorem, impiè trahit? Nonne Scriptura illa prophetica, vt non nisi de pœnis corporeis sermonem illic fieri intelligeremus, vt totam illam prophetiam his verbis concludit, & liuore eius sanati sumus? Liuor autem iste quis dubitat quin corporeus fuerit, quem tot flagella, alapæ, spineas corona, crucis baiulatio, ac demum preciosi sanguinis copiosa effusio pepererunt? Deinde nonne D. Petrus, quasi hunc Esaia locum exponens ostendit percussionem illam, per qua Prophetam loquitur, ad corpus Christi pertinere; Peccata (inquit) nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, & paulo post. Cuius liuore sanati estis. Quod Esaia dixit, vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vniuerat us est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, hoc totum explicauit Petrus in corpore Christi super lignum præstitum fuisse. Vnde & Calvinus ipse in hunc locum Petri, fatetur ex Esaia, qui pluribus vti ut loquedi formis, cuius doctrina summam Petri inimplis-
Et addit Calvinus, tota Esaia sententia enumerat, idem

exprimere

exprimere voluisse Petrum hoc verbo super lignum, nempe hac lege nos fuisse Deo reconciliatos, quia apud eius tribunal Christus se vadem ac reum pro nobis constituit: vt pœnam solueret cui obstricti eramus. Hæc ibi Calvinus, suam hoc loco impietatem ore pro proprio perspicue dånans. Sic enim Christus iuxta Esaia sententiam, quam Petrus expressit, constituit se vadem ac reum pro nobis apud tribunal Dei, quatenus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quæ est sententia Petri, mendax & blphemus Calvinus est, qui in eiusdem Esaia verbis significari affirmat, Christum sic tribunal Dei sponsorem ac vadem adeoque instar rei submissum esse in locum sceleratorum, vt cū inferorū copijs æternæq; mortis horrore quasi cõfertis manibus conficiens damnati & perdit hominis pœnas omnes, excepto quod æterna esse non poterant, persolueret: idque nõ iam in corpore super lignum, sed in anima adhuc orans in hortu, iram ac maledictionem diuinam timens, & in ipso ctucis ligno non tantum in corpore, sed etiam in anima formidabilem illam abyssum sentiret, derelictum & alienatum se à Deo esse idq; adeo quasi in eius perniciem Deus conspirasset. Hæc teterrima verborum monstra, non solum diuersa, sed planè contraria illis sunt, quæ Esaia Prophetam significare Calvinus voluit, si tamè Petro & Paulo plusquam Caluino credimus. Sed si ita singula examinemus, nullus refutandi finis erit. Reliqua breuius percurram, præsentis instituti memor.

Duobus adhuc abutitur Scripturæ diuinæ locis Calvinus vt probet Christum pœnas infernales in anima pertulisse. Prior est Diui Petri sententia, qua de Christo dixit, Quem sustulit Deus solutis doloribus inferni, vel vt ille legit, mortis iuxta quod Calvinus legit, à quibus impossibile erat teneri illum ab eo. Hic glossat Calvinus. Non simpliciter nominat mortem, sed filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis est. Sed contra hanc notam, impiam, & blasphemiam Caluini glossam doctissimi & sanctissimi Augustini ante annos mille sententiam opponimus, qui duplicem horum verborum, sensum adfert, quorum posterior non solum probabilis, sed & certus videtur, aliisque Scripturis conformis. Prior sensus hic est. Fatid (inquit) est intelligere sic solutos esse à Christo dolores inferni, quem admodum solui possunt laquei venantiæ ne teneant, nõ quia tenuerunt. Nã & ideo Petrus subiūxit, impossibile fuisse ut inferni doloribus, vel ab ipso inferno teneri Christum. Solutur

Act. 2. 24.
Instit. lib. 2. c. 15. num. 11.

D. Petri verba explicantur.

pist. 99
Euc.

igitur erant quia irri facti sunt. Posterior, quem subiungit, sensus hic est. *Preest & sic intelligi, ut eos dolores Christum, oluisse credamus, quibus toneri ipse non poterat, sed quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos.* Hic sensus eo certior & verior videtur, quia cum alijs Diui Petri verbis optime cõuenit, in quibus docet **CHRISTVM** *his qui in carcere erant spiritibus uenientẽ predicasse.* Quę verba ad solutos dolores inferni, eorum qui in limbo erant Patrum, proprie pertinere, in nostris Antidotis ad eundem locum docebimus. De doloribus veri inferni, non imaginarij quoad animam cum corpore uiuentem, nec Christi propriis, sed alienis omnes Patres hunc locum exponunt, qui infernum hic legunt, non mortem, ut Græci codices habent. Nam Græci Patres Chrysostomus, OEcumenius & alij, qui *dolores mortis solutos* legunt, uictoriam mortis à **CHRISTO** partam exponunt ad Caluini insaniam nemo accedit. Deinde dolores mortis esse diuinę maledictionis sensũ, eo quod ira Dei mortis origo fuit, tam absurdẽ à Caluino dicitur quàm si diceret dolores mortis fuisse in Christo sensum peccati, quia magis propria origo & causa mortis peccatum est, quàm ira Dei. *Pr peccatum mors intravit in mundum,* ait Paulus. Et sicut suspendij propter latrocinium magis propria causa est latronis delictum, quàm Iudicis sententia, quia hæc ex illo nascitur, nec Iudicis uoluntas, sed delicti necessitas talem sententiam peperit, sic mortis magis propria origo peccatum est quàm ira Dei, quia hæc ex illo orta est, nec Dei uoluntas, qui non uult mortem peccatoris, sed peccati iniquitas mortis sententiam introduxit. Quare si dolores mortis; quibus Christum implicitum fuisse Caluinus uult, fuerunt dolores quos parit maledictio & ira Dei, id est, apprehensio & timor maledictionis diuinę, quia illorum origo ira Dei est, multo magis dici potest, dolores mortis, quibus Christus implicitus fuit, fuisse dolores quos parit peccatum, id est, conscientię cruciatus & carnificina, qualem peccatores sustinent, quia mortis origo & causa magis propria & proxima peccatum est.

1. Pet. 3.

Caluini absurditas magna.
Rom. 5.

Caluinus cõstituit Christi uerẽ peccatorem.

Deinde si huiusmodi doloribus implicitus fuit Christus quos parit maledictio & ira Dei, uel quos parit cruciatus & carnificina conscientię peccati, iam dicere debet Caluinus **CHRISTVM** uerẽ fuisse à Deo maledictum, & uerẽ fuisse peccatorem. Quomodo enim tantorum malorum

dolores

dolores sentiret, adeoque illis implicitus esset, nisi ipsa in se mala haberet? Dolor mali præsentiam mali præsupponit. Dolor febrilis ex ipsa febre nascitur. Dolor conscientię peccato grauata peccatum peractum præsupponit. Dolor ex Dei maledictione conceptus, ipsam adesse maledictionem ostendit. Dolor inquam quo aliquis iam implicitus est, ut Caluinus loquitur, non dolor quem futuri aut possibilis mali metus generare potest, etiam in constanti uiro. Quamquam maledictionis diuinę possibilis metum in Christum cadere non potuisse ante ostensum est. Multo magis blasphemum est quod nunc Caluinus dixit, *huiusmodi maledictiõis dolore & sensu implicitum Christum fuisse.*

Alius quo abutitur Caluinus, Scripturæ locus est, ubi Apostolus de Christo dicit. *Qui in diebus carni suę preces supplicationesque ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Ex his uerbis colligit Caluinus Christum in horto & in Cruce orantem à metu suo (sic enim textum Apostoli peruertit) *exauditus fuisse, non ut à morte sit immunus, sed ne absorbeatur ut peccator: quia illic personam nostram gerebat.* Incredibilis est huius sententię Paulinę corruptio, quam facit Caluinus. Primum res certa est, uocem, Pauli *ὡς τὸς ἐν λαθεῖας ἐκωτῆ*, quod à metu suo, uertit Caluinus non merum poenę aut maledictionis, sed timorem filialem seu reuerentiam significare. Idem Paulus in eadem epistola hoc uerbo sic uertit. *Habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cū metu & reuerentia: ὡς τὰ ἀιδῆς, καὶ ἐν λαθεῖας,* duobus uerbis rem eandem expressit, metum filialem seu reuerentiã religiosã. Ab hoc uocabulo uiri iusti timorati in Scripturis uocantur. *imeon uir iustus & timoratus: Sepeliuntur Stephanus uiri timorati: ἀνδρες ἐν λαθεῖς.* An isti ita uocati sunt quia timebant maledictionem & iram Dei? Sic uiri religiosi uocantur à Luca *ἀνδρες ἐν λαθεῖς.* Deinde exauditus sanè fuit Christus orans Deum cum lachrymis, idque pro sua reuerentia, de qua ipse Christus Patri dixit. *Scio quia semper audis me,* non circa metum mortis naturalem, nec circa aliquem metum maledictionis diuinę, sed in deliberata & absoluta sua uoluntate, in qua semper fuit exauditus. Absoluta autem Christi uoluntas in horto, ubi cum lachrymis orabat, non erat, ut mortem fugeret, sed ut mortem subiret: quia dixit. *Veruntamen non sicut ego uolo, id est, sicut caro mea uult, sed sicut tu uis.* Sanè quum

Hebr. 5.7.

Scripturam nequiter corumpit Caluinus.

Hebr. 12.

Luc. 2.
Act. 3.

Act. 2.

Ioan. 11.

Christus quomodo semper exauditus.

T 5 Christus

Christus semper fuerit à Patre auditus, vt apud Ioan- nem loco citato profitetur, & Paulus dicat, Christum cla- more valido orantem exaudiri fuisse, in voto autem trans- ferendi calicis auditus non fuit, necesse est verba Pauli non de aliquo metu aut horrore mortis æternæ intelligi posse, quem Caluinus à Christo exprimi voluit, in illo clamore, & in illis Christi lacrymis in horto effusis, itemque in illis verbis, *Quare me dereliquisti?* sed de illa Christi oratione in- telligi debere, quam ex voluntate deliberata fecit, non mor- tem deprecans, sed mortem exoptans, sicuti antea sæpè fe- cerat. *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Et iterum: *Pater clarifica nomen tuum.* Et rursum. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud?* In his votis & precibus ex voluntate deliberata pro- fectis exauditus fuit Christus pro sua reuerentia.

Præterea, quomodo timere potuit Christus, ne absorbere- tur vt peccator? *Quia,* inquit Caluinus, *illuc personam nostram gerebat.* Sed quid? An sic personam nostram gerebat vt pec- catorum nostrorum sibi conscius, diuinam maledictionem & æternam mortem peccatis debitam timeret? Quomodo à tanta impietate animus Christianus nõ abhorret? An non sensus fidelium hoc hæctenus semper tenuit, Christum perso- nã nostrã in Cruce gessisse quatenus pœnas nostras porta- bat? De pœnis nostris illi impositis Scripturæ loquuntur, de peccatis nostris Christo imputatis (nisi quoad illorũ pœnã subeūdũ) vt Christus tãquã peccator corã Deo habitus diu- nã maledictionẽ & absorptionẽ formidaret, nulla Scriptura loquitur. Blasphemia hæc Caluiniana est, diuina maledi- ctione digna. Vna in scripturis Christi mortem legimus, non duas, corpori sui mortem, non corporis & animæ.

Putat Caluinus, quia nos per peccatum mortem corporis & mortem animæ, cui debetur maledictio Dei, incurri- mus, Christum aliter Redemptorem nostrum esse non pos- se, nisi vtramque mortem pro nobis luat, corporis in cruce, & animæ cum æternæ mortis horrore luctantis. Sed nec illa mors animæ conuenire Christo potuit, vt ex præcedenti- bus patet, & præterea vnã Christi mortem eãque cor- poream & super lignum docet Scriptura, *qua vnã* (ait Pau- lus) *oblatione, & per oblationem corporis sui semel consummavit in sempiternam sanctificatos.* Hæc vnã corporis Christi oblatio & mors Redemptionis nostræ præuium vnicum & sufficientissimum fuit, nec alia Christi morte opus erat.

Ioan. 17.
Ioan. 12.
Luc. 12.

Christus per- sonam no- stram quo- modo in cru- ce gessit.

Caluin. opi- nio nefaria de duplici morte Chri- sti.

Hebr. 9.

At (inquit Caluinus) *nisi pœna particeps fuisset anima, corpori- bus tantum fuisset redemptor.* Sed vero quis tam non à ratio- ne tantum, sed vel à sensu communi alienus, vt non intelli- gat, adeoque sensu non deprehendat, ipsum per se corpus non sentire, (quem enim doloris sentium cadauer habet?) & patiente corpore totum hominem pati? Quamquam Chri- stum non passione tantum corporali, quæ ad animam re- dundat, sed ipsa quoque passione animali, qua ipsa Christi anima tristes & turbata fuit, passum pro nobis fuisse supra accepimus. Quum verò Caluinus animæ pœnam in Chri- sto ponat, nec quæ ex corpore patienti oriebatur, nec quam mortis temporalis apprehensio, sed quam iræ & ma- ledictionis diuinæ horror generabat, negari non potest quin Caluini sententia Christum constituat verum peccatorem fuisse, & diuinam maledictionem verè timuisse. Si enim ex vera corporis pœna ac morte Christus verè passus & mor- tuus pro nobis dicitur, profectò ex vera animæ pœna, *dam- nati inquam ac perditæ & scelerati hominis pœna,* quo ad ani- mam (quam totam Caluinus omnino in Christo poni vult) Christus verè damnatus, perditus ac sceleratus (horreo di- cere) pro nobis factus fuisse dici debet. Hæc est maximè de- testabilis & execrabilis Caluini blasphemia, à qua nullus eum Caluinista excusare vnquam & abluere possit. Et ta- men tam execrabilem blasphemiam voce magis execranda dicit, esse *pretium redemptionis nostræ maius & excellentius,* quàm fuerit mors corporea & sanguis Christi in Cruce ef- fusus. Sed huc dementiæ prolabi oportuit hæreticos Satanæ mancipia, vt palam sacrilego contemptu sacra Dei oracula calcarent. His quippe teterrimis blasphemis, etiam si om- nes veteres hæretici, ipseque Mahometes ab orco resurge- rent, atque filium Dei certatim blasphemarent, quid addi, aut quid atrocius dici possit, non video. Eas tamen aperire & paulo operosius refutare ad Christi Redemptoris mei gloriam, tantique & tam detestandi hæretici perpetuam infamiam, operæpretium duxi.

Miraris fortè Lector, cur has infernales pœnas Christo adhuc viuenti Caluinus tribuat: Tota hæc blasphemia Cal- uino excidit, vt Christum doceret, non aliter ad inferos de- scendisse, (quod in Symbolo nos profiteri credimus) quàm per istas, dum pro nobis pateretur, pœnas infernales, quàm per horrorem hunc mortis æternæ, quo cum inferiorum copijs quasi confertis manibus luctatus est: quàm per pœnam damnati

Instit. lib. 2.
ca. 16. nu. 12.

Caluini du- plex blasphe- mia summè execrabilis.

Caluin. cur- tantas blasphe- mias expuerit.

ac perdit hominis: denique quam per sceleratorum pœn. omnes persolutas, quas damnati persolvere debent, vel, vt loquitur, quæ à damnatis expetenda erant, vno hoc excepto, quod illis detineri non poterat. Christum verò ad inferos verè descendisse negat, ne tertium locum præter cælum & damnatorum infernum, quem olim limbum Patrum veteres vocauerunt, nunc Purgatorium Ecclesia Catholica vocat, vilo modo agnoscere cogatur. Sic vno absurdo admisso, in hæc horrenda & maxima dilapsus est. Errorem Caluini de negato hoc tertio loco in alia feria supra refutatum dedimus.

In fer. 5. hebdom. 2.

Descensus Christi ad inferos qualem Caluinus fingit, esse non potuit.

Instit. lib. 2. c. 16. num. 17.

Caluinus à seipso refutatur.

Fer. 5. hebdom. 2.

Alius error quòd descensus Christi ad inferos in Symbolo repositus, nihil nisi pœnas animæ Christi infernales, quas adhuc viuens in hortu, in Cruce pertulit, significet (quam horrendæ hæc blasphemix, quas ex sensu tam portentoso consequi iam demonstrauimus, ad illum plenissimè refurandum vel solæ sufficere debent) duplici argumento breuissimè refutabitur. Prius ipse Caluinus nobis suppeditabit. Est enim mendax iste magister, sicut & alij esse solent, mendaciorum suorum non satis memor. Tractans illam Symboli partem; quod Christus sit iudex viuorum & mortuorum, & exponens viuos ac mortuos simpliciter intelligi debere tam eos qui Christo viuente supersunt, quam qui dudum mortui fuere, ita scribit. *Sunt qui secus viuorum ac mortuorum hic vocabula accipiant. Sed ille sensus, vt planus est & dilucidus, ita Symbolo longè conuenientior est quod populariter scriptum esse constat.* Hæc ille. Eodem argumento contra Caluinum vtimur. Quod in Symbolo de Christo dicitur, *mortuus sepultus, descendit ad inferos, &c.* in plano & simplici sensu intelligi debet, quia populariter scriptum esse Symbolum constat, id est, verbis ita perspicuis, vt à toto populo fidei prima illarum facie intelligi possit. At quam procul à populari captu & iudicio hic sensus est? *Christus descendit ad inferos,* id est, pendens in cruce, siue orans in hortu, pœnas infernales in anima persoluit. Quis tandem non è populo tantum, sed vel è doctorum numero sensum hunc portentosum animo aliquando conciperet? Valet autem hoc argumentum tanto fortius, quam in alia particula, *viuorum & mortuorum,* quem veteres variè exposuerunt, quia descensum Christi ad inferos veteres omnes populariter intelligendo vnanimi consensu exposuerunt, vt in alia feria supra annotauimus. Alterum argumentum erit, quod hæc portentosa Caluini expositio totum ordinem Symboli in aliis omnibus articu-

lis

lis accuratè seruatam penitus perturbat & inuertit. Si enim Christus adhuc viuens descendit ad inferos, debuit in Symbolo ita dici, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, descendit ad inferos, mortuus & sepultus est,* vel potius sic. *Passus descendit ad inferos, crucifixus, &c.* Nam quum in hortu oraret, pœnas infernales Christum persoluisse blasphematur Caluinus. Vocat quidem Caluinus hanc exceptionem frivolum atque adeo ridiculum. Sed sic ille loqui solet, quum argumento validissimo se premi videt, vt quod firma ratione soluere inquit, quasi sublato cachinno frivolum & ridiculum proclamet. In vsu hoc illi ac more positum est. At verò nulla ratio est cur in omnibus aliis ad vnum Symboli articulis, omnia quæ de Christo credenda proponuntur, iuxta ordinem rerum gestarum collocentur, hic solus articulus: *descendit ad inferos,* morti & sepulture post ponatur, qui vtrumque præcessit, & ita præcessit, vt (si Caluino credimus) hic descensus Christi ad inferos ante mortem, *magis & excellentius redemptionis nostræ pretium fuerit,* quam ipsa Christi mors. Quomodo igitur hic vnus articulus, qui maximum redemptionis nostræ pretium exprimit, tum verbis obscurissimis maximèq; impropriis proponitur, tum loco & ordine profus alieno collocatur? Sed absurditatem Caluini non est finis, & hæc disputatio alterius loci est. In qua qui plura desiderat, legat tractatum doctissimum Henrici Vici de descensu Christi ad inferos. Manet interca firmum, presentis Euangelij verba, & præcipuum fidei nostræ caput de Redemptione per Christum facta, ab impio Caluino tantam impietate deprauata esse, vt aliquid magis impium vix vlla à Christo nata ætas audiuerit.

Instit. lib. 2. c. 16. num. 10. Calui. artes pessimæ.

Feria 5. hebdom. Sancta.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Ioan. 13.



D hæc verba Caluinus præclaram sibi occasionem dari ratus, in Ecclesiasticam hodie consuetudinem, qua in hac feria pauperum aut inferiorum pedes à Prælati Ecclesiasticis lauari solent, impotenter incurrit. Sed vt ad eam accusationem descendat,

In com. ad
cap. 13. Ioan.
ver. 13.

In Do. 1.
Quadrages.

Cap. vnico.
Pedum lotio
quare in Ec-
clesia serua-
tur.

descendat, aliam præmittit. Totum insulsi cauillatoris deli-
rium proferemus. Notandum est (inquit) quod Christus se exem-
plum dedisse admonet. Neque enim omnia eius facta promiscue
ad imitationem trahi conuenit. Papiſta se Christi exemplo qua-
dragesimale ieiunium seruare iactant. At qui videndum in primis
erat, an exemplum prodere voluerit, ad cuius normam se discipuli
formarent. Nihil verò legitur tale. Quare non minus peruersa
est amulatio, quam si in cælum volare tentarent. Hæc prior ac-
cusatio est, cuius plenam refutationem videre licet in pri-
ma parte huius Operis. Summa est, tum alias esse ieiunij
Quadragesimalis graues causas præter exemplum & imita-
tionem Christi, tum quia nec omnia Christi facta in exem-
plum trahenda sunt, nec nullum: quid eius generis sit, vt in
exemplum trahi possit ac debeat, Ecclesia Catholica mater
fidelium, columna & firmamentum veritatis docere nos de-
bet, non superba & garrula hæresis. Latiorẽ hac de re con-
tra Caluini cauillationes varias disputationem Antidota
nostra Euangelica suppeditabunt, ad Matthæi caput quar-
tum. Posterior accusatio, & huic Euangelio propria, apud
Caluinum his verbis sequitur. Adde quod vbi Christum sequi
docebat, simiæ fuerunt magis quam imitatores. Quotannis thea-
tricam pedum lotionem instituunt, ita inani nudaq; caremonia se
pulchrè defunctos esse putant. Defuncti sibi pernuntiant fratres
contemnere. Neque id modò, sed postquam duodecim hominibus
lauerunt pedes, omnia Christi membra crudeliter lacerant: adeoq;
in faciem Christi ipsius conspuunt. Quare nihil quam fædum
Christi ludibrium est comica illa pompa. Nec certè Christus hic
anniuersarium ritum commendat: sed nos tota vita paratos esse
inbet ad lauandos fratrum pedes. Hæc ille. In his verbis vnum
est quasi à ratione ductum argumentum, cætera hominis
sunt non ratiocinantis, sed furentis ac debacchantis. Argu-
mentum quod aliqua ratione niti videtur, istud est. Chri-
stus lauans pedes discipulorum suorum, posteaque dicens,
Exemplum dedi vobis, &c. non commendat anniuersarium
ritum: ergo simiæ potius quam imitatores sunt, qui ad eius
exemplum pedes fratrum lauant. Sed accidit huic hæretico,
quod aliis hæreticis accidere solere scribit D. Iudas. Qua-
cunque autem ignorant blasphemant. Non enim ideo Prælati
Ecclesiastici alique superiores pauperum aut subditorum
pedes lauant, quasi his verbis talem anniuersarium ritum
Dominum præcepisse intelligerent (humilitatis enim hoc
esse documentum, non externum ritus præceptum Catho-

lici

lici semper intellexerunt) sed ideo hunc ritum celebrant, vt
tantæ humilitatis Christi exemplum renouent, & ob oculo-
los ponant, deuoteque colant, & ad humilitatem omnium
animis fortius imprimendam, non verbo tantum ac prædi-
catione, sed facto etiam ipso adhortentur. Nam & ideo
Christum hanc actionem externam adhibuisse intelligunt,
vt ea ob oculos posita, discipulis suis Ecclesiarum Præposi-
tis futuris humilitatis virtutem imprimis necessariam, cer-
tiori documento & validius commendaret. Quem Christi
finem & scopum hoc loco fuisse, docet vno atque altero in
loco Basilii. Non tam igitur factum, quam finem & inten-
tionem Christi circa factum, proposuit sibi in hoc ritu Ec-
clesia. Nam & hic verum est illud quod ex naturæ lumine
poëta cecinit:

*Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

Sed Caluinus non tam hospes & aduena, quam hostis &
alienigena, ab Ecclesiæ Christi consortio sese abdicans, ni-
hil mirum si myſteriorum Ecclesiæ ignarus, & ea tantum
quæ ante oculos sunt videns, de iis quæ ignorat perperam
iudicat, & inde calumniæ materiam struit, vnde disciplinæ
Christianæ documentum haurire debuit. Propria enim Chri-
stianorum disciplina humilitas est, ait Sanctus Augustinus, quã
quia superba hæresis capere non potest, eius documentum
libentius carpere, quam amplecti & imitari contendit.

Furentis hic & debacchantis Caluini verba nec refuta-
tione egit vlla, nec reprehensione nostra. Suam ipsa tur-
pitudinem & furorem clara voce loquantur. Prælatos quip-
pe Ecclesiæ postquam duodecim hominibus pedes lauerunt, omnia
Christi membra crudeliter lacerare, non membra tantum, sed,
omnia membra, nec lacerare tantum, sed, crudeliter lacerare,
ac deinde, in faciem Christi ipsius conspuere, nihil aliud
quam spiritum nequam, qui in Caluino loquitur, qui que
illum captiuum tenuit ad voluntatem suam, palam de-
monstrant, quasi que in teatro conspiciendum ante om-
nium oculos sublimem ponunt. An experimentum qua-
rimus eius, qui in Caluino loquitur, Belial? Hic illud ha-
bemus luculentissimum. Hic furit, hic debacchat, hic
tragico correptus cæstro, ipsa Ecclesiarum Christi capita,
ipsam pupillam oculi eius, non tangit modò temere. cul-

pando

Moral. lib.
Reg. 70. cap.
10. & 24.

Epist. 56.

Caluini de-
clamatio
bacchica.

Zach. 2.
Psalm. 104.

pando (nihil veritus vel illud Prophetæ, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*: vel illud Dauidicum, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*) sed quantum in ipso est atrocissime criminando iugulare, confodere, transfuerberare contendit. Hic ille Caluini spiritus se prodit, non quo aguntur filij Dei, sed quo agitantur filij diaboli, cuius summa voluptas est Pastores à Christo datos, quia Christum ipsum non potest, mentiendo, criminando, calumniando, in odium & contemptum adducere; omnibus non deridendos modò, sed & conculcandos ac proterendos obicere. Sed periit cum suis furis Caluinus. Viuit, viuetque in æternum Sponsa Christi Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, cuius vt fidem tenemus, ita honorem & debitam ab ouibus Christi reuerentiam ab omnibus tenendam, libenter docemus.

*

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

MATE.



MATERIARVM PARTIS QUADRAGESIMALIS INDEX.

A.

A Cceptio panis & calicis in manus Christi quid significet.	263
Adorare in Spiritu & veritate quid.	140
Animarum medicinam, non tormenta pœnitentia Ecclesiastica adfert.	95
Antiheses hereticæ.	190.203. & seq.
Arianis nouis fenestram aperuit Caluinus. 213. & seq.	
Augustinus à Caluino artificiosè mutilatus.	62

B.

B Eza Caluini ignorantiam corrigit.	14. 65
Beza & Caluini turpitudines.	145. & seq.
Beza pertinacia. 177. Impudentia.	220
Beza in Scripturis tractandis Caluino contrarius. 14. 65. 149. 188	
Bezana doctrina plusquam Epicurea.	208. 210
Beza verba Scripturæ expungit. 270. corrumpit.	271
Bodinus Politicus refutatur.	231. & seq.
Bona opera salutis causa.	29
Bona opera multa, quæ in Scripturis non mandantur.	

134

V

Caipha

C

- C** Alpha prophetia non fuit extraordinaria. 244
 Caluini insulsa consequentia. 4. Arrogantia. 21
 Caluinus diuina Scriptura corruptor. 6. & seq. 23. 24.
 35. & seq. 65. 90. 160. & seq. 220. 241. 291. 297
 Caluinus ex suis verbis refutatur. 14. 16. 17. 20. 22. 71. 74.
 92. 100. 105. 142. 153. 166. 211. 243. 244. 259. 278. 285.
 294. 300
 Caluinus ex Scriptura, quam pro se adfert, refutatur.
 30. 291
 Caluini mendacia. 38. 108. 110. 128. 184. 201. 206. 249
 Caluinus sibi contradicit. 40. 60. 91. 95. 99. & seq. 124.
 126. 142. 199. & seq.
 Caluini doctrina de gratia ex seipsa efficaci refellitur.
 43. & seqq.
 Caluini ignorantiam Beza corrigit. 14. 65
 Caluinus Christo contradicit. 60. Sensum verborum
 Christi penitus inuertit. 65
 Caluini procacitas in Summum Pontif. retunditur. 63.
 241. 247
 Caluini putida argumenta. 4. 67. 74. 78. 81. 82. 93. 133.
 243. & seq. 255. 296
 Caluinus sub Papiſtarum nomine totam accusat Anti-
 quitatem. 67. 184. 249. 265
 Caluinus dum medium locum negat, cœlum & infer-
 num tollit. 70
 Caluini collectiones impie. 78. 80
 Caluini ingenium fanaticum. 79
 Caluini blasphemie. 83. 250. & seq. 265. 278. 299
 Caluinus totum pœnitentia ordinem inuertit. 85. &
 seq.

Calui

- Caluinus Scriptura contemptor quando contra ipsum fa-
 cit. 87. 274
 Caluinus impostor callidus. 87. 88. 89
 Caluinus quo sensu agnoscit pœnitentiam iustificationi
 necessariam. 94. & seq.
 Caluini cauilla putida & puerilia. 25. 30. 108. 110. 112.
 130. & seq. 183. 201. 206. 241. 247. & seq.
 Caluini putida disputatio contra cultus non scriptos. 111
 Caluini criminationes tam in totum populum Christia-
 num, quàm in Pastores. 112. 144. 148. declamando, non
 probando. 132. 144. 303
 Caluini sententia de efficacia Spiritus Sancti. 123. eam
 postea retractat. 124
 Caluini impostura singularis. 123. Alia. 126
 Caluini ignorantia docetur. 141. 200. eius turpitudines. 145
 Caluini putida calumnia in caput suum redundans. 148
 Caluiniãna theologia quòd lex gratia adulteris impuni-
 tatem dedit. 148 & seq.
 Caluinus & Beza circa Scriptura partes dissentiunt.
 149. & circa sensum Scripturae. 65. 188
 Caluinus cum Lutero committitur. 154
 Caluino nunquam placuit, Voluntatem Dei facere.
 159
 Caluinus seductor studiosus. 161. & seq.
 Caluiniãne doctrina precipitium. 162. eius exitus. 164
 Caluini vox, diaboli vox, 163
 Caluinus ad blasphemandos Sanctos natus. 164
 Caluino displicet verum Patrum doctrina de effectu Sa-
 cramentorum. 165
 Caluini suprema pertinacia. 174
 Caluinus Apostolos in ordinem cogit. 575. Christi verba
 suis rationibus subijcit. 176. Spiritus S. potestatem re-
 stringit. 175. & seq.

V 2

Calui

| | |
|--|---|
| <i>Calvinus nisi viderit non credit.</i> | 177 |
| <i>Calvinus apertis Scripturæ verbis suum iudicium subijcere non vult.</i> | 183 |
| <i>Calvinus homo audax, sed ineptus.</i> | 198 |
| <i>Calvinus Ecclesiam stuporis arguit maiori stupore.</i> | 201 |
| <i>Calvinus Paulo contradicit. 203. & seq. In præcipuo fidei nostræ capite.</i> | 279 |
| <i>Calvini rima occluditur.</i> | 207. & seq. |
| <i>Calvinus heresi Ariane resuscitanda fenestram aperit.</i> | 213. & seqq. |
| <i>Calvinistæ quales filij Dei esse volunt.</i> | 209 |
| <i>Calvini glossæ Arianorum euasio.</i> | 215 |
| <i>Calvinus novorum hodie Arianorum magister.</i> | 216 |
| <i>Calvinus in fauorem Arianorum Patres taxat.</i> | 213. 216. & seq. |
| <i>Calvini propria heresis quod Filius Dei à seipso Deus est, & non à Patre.</i> | 217 |
| <i>Calvinus contra Euangelistam studiosè disputat.</i> | 244 |
| <i>Calvini impia & preposterata disputatio.</i> | 245 |
| <i>Calvinus in caput suum disputat.</i> | 246 |
| <i>Calvini conclusio furiosa.</i> | 247 |
| <i>Calvini varia in Christum blasphemia. 250. vna impiissima.</i> | 252 |
| <i>Calvinus suas contradictiones defendit ex eo quod intelligi non possunt.</i> | 253 |
| <i>Calvinus solutiones fingit, quibus facile satisfaciat.</i> | 260. & seq. Mox contra seipsum pulchrè concludit. ibid. |
| <i>Calvinus verba Scripturæ negat. 270. Illis cōtradicit. 289</i> | |
| <i>Calvini disputatio pro sua metonymia in venerabili Eucharistia refellitur, & varia eius impietas, astutia, impudentia explicatur.</i> | 271. & seq. |
| <i>Calvinus docet Christum damnationem æternam timuisse, & eius signa sensisse.</i> | 282 |

| | |
|--|---------------|
| <i>Calvini artes pessimæ.</i> | 292. 293. 301 |
| <i>Calvinus constituit Christum verè peccatorem.</i> | 296. 298. 299 |
| <i>Calvini duplex blasphemia summè execrabilis. 299. Cur eas expuerit.</i> | 299 |
| <i>Calvinus Scripturas indignissimè torquet.</i> | 294 |
| <i>Calvini opinio nefaria de duplici morte Christi.</i> | 298 |
| <i>Castitatis donum non vanè præsumitur.</i> | 212 |
| <i>Causis partialibus totus tribuitur effectus.</i> | 102 |
| <i>Causæ distinctæ quoad effectum coniunctæ sunt.</i> | 156 |
| <i>Cæremoniæ umbratiles amplius non sunt. 141. Ecclesiastica cur adhibentur, ibid. & seq. Iudaica quo sensu umbræ fuerunt.</i> | 139 |
| <i>Certitudo gratiæ, quam ponunt heretici, Scripturis repugnat. 203. & seqq. Quam scelerata & flagitiosa est.</i> | 207 |
| <i>Christus Calvino improprie loquitur.</i> | 4 |
| <i>Christus verè legislator. 13. 14. & seq. quomodo legis interpretres.</i> | 15 |
| <i>Christi honor contra Calvinum defenditur.</i> | 24 |
| <i>Christus per se nos redemit, per Spiritum Sanctum nos sanctificavit.</i> | 125 |
| <i>Christus humanos affectus liberè suscepit. 180 & seq. 250</i> | |
| <i>Christianorum voces.</i> | 226 |
| <i>Christus in vltima nocte triplicem Cœnam peregit.</i> | 262 |
| <i>Christus cur exclamavit in Cruce.</i> | 284 |
| <i>Christus quomodo semper ex auditus.</i> | 297. & seq. |
| <i>Cor humanum quomodo Deo dirigit, flectit, moderatur.</i> | 47 |
| <i>Creaturarum efficacia Deo non derogat.</i> | 41 |
| <i>Creaturarum operatio non abducit homines à Deo.</i> | 166 |
| <i>Creature à Deo motæ effectus etiam naturæ suæ contrarios producunt.</i> | 168 |
| <i>Credendi medium extra nos unum est.</i> | 156 |

D.

| | |
|---|-------------|
| D Electus ciborum defenditur. | 113. & seq. |
| Deus facit velle & perficere adiuuando. | 46 |
| Deus quomodo in cordibus piorum regnat. | 48. |
| Deus solus quomodo audiendus. | 113 |
| Descensus Christi ad inferos qualem Caluinus fingit, esse non potest. | 300 |
| Dilectio causa salutis. | 19 |
| Dispositiones ad remissionem peccatorum in adultis necessariae. | 219. |
| Diuitiarum bonus vsus, bonus thesaurus. | 8 |
| Doctrina non scripta. | 41 & seq. |

E.

| | |
|--|-------------|
| E cclesie docentis authoritas. | 154. 185. |
| Ecclesie doctrina quomodo & illius sit, & non illius. | 155. |
| Ecclesie cur, & quomodo parendum. | 157 |
| Ecclesie defectio quam variè à Protestatib. asseritur. | 173 |
| Ecclesia suam ipsius authoritatem necessario demonstrat. | 186. & seq. |
| Electiois argumētum non fides, sed perseuerantia. | 205 |
| Electiois certitudo in vita nulla. | 212 |
| Ethnicorum religio politicos condemnat. | 232 |
| Euangelio credere quid. | 93 |
| Eucharistica verba iuxta literalem sensum intelligenda. | 266. & seq. |

F.

| | |
|---|----|
| F estorum dierum discrimen. | 42 |
| Fides iustificans Caluini argumento refellitur. | 19 |

Fides

| | |
|--|-----------|
| Fides qualis à Christo laudata. | 38 |
| Fides implicita à Caluino contra seipsum agnita. | 40 |
| Fides aut non querenda, aut quomodo. | 56 |
| Fides qua & quomodo poenitentia radix. | 86 |
| Fide iustificari quid. | 93 |
| Fides sola non facit ouem Christi. | 205. 206. |

G.

| | |
|---|-------|
| G ratia Dei praeueniens expectat volentem. | 45 |
| Gratia in homine lapsa potentior non tollit liberam electionem. | 47 |
| Gratia Dei discrimen ante hominis lapsum & post. | 45 |
| Gratia Dei cur suum semper non sortitur effectum. | 98 |
| Gratia Dei cur à praua voluntate non vincitur. | 100 |
| Gratia & miracula Christi non procedunt à voluntate Dei absoluta. | ibid. |
| Gratia quomodo voluntatem ex mala bonam facit. | 100 |
| Gratia quomodo à nullo duro corde respuitur. | ibid. |
| Gratiarum dona credentibus infusa perducunt ad vitam aeternam. | 119 |
| Gratiarum Dei flumina. | 188 |

H.

| | |
|---|----------|
| H ereticorum prophana pectora. | 34 |
| Heretici hodie quarunt Christum in Scripturis, & non inueniunt. §1. & seq. Iudaeis peiores. | 55 |
| Heretici quarunt quod querere non deberent, sed credere. | 55 |
| Heretici hodie querendo quam procul aberrarunt. | 58. |
| Hereticorum hodie impietas. 61. petulantia. 150. pertinacia. | 171. 173 |
| Hereticorū varis sententia de ecclesiastica censura. | 103 |

Heretici

| | |
|--|-------------|
| Heretici nullo modo audiendi. | 114. & seq. |
| Hereticus aliquando vera dicit ob tres causas. | 115 |
| Hereticorum impia doctrina contra efficaciam Spiritus Sancti. | 122 |
| Heretici sequuntur traditiones humanas, & sensum suum. | 135 |
| Heretici hodie Samaritanis similes, adorant quod nesciunt. | 136 |
| Hereticorum veterum praxis ad clerum Catholicum difamandum. | 147. & seq. |
| Hereticorum hodie axiomata in vanum iactata. | 169 |
| Heretici hodie circa bonorum operum puritatem diuinis Scripturis aperte contradicunt. | 189. & seq. |
| Hereticorum hodie improbitas. 241. stupida inscitia. 255 | |
| Heretici in Scripturis non legunt quod credere nolunt. | 242 |
| Heretici verba Institutionis Cœnae Eucharistiæ corrumpunt. 264. quot modis lacerarunt illa verba, Hoc est Corpus meum. | 268. & seq. |

I.

| | |
|--|------------|
| Ieiunium Calvinianum victus moderatus. 2. eius impietas. 2. & seq. | |
| Ieiunij tristitia quomodo à Christo prohibetur. | 2 |
| Ieiunia in Scripturis commendata. | 3 |
| Ieiunium opus meritorium. | 4 |
| Incredulitas causa non videndi miracula. | 99 |
| Inimicorum dilectio quomodo intelligenda. | 16. & seq. |
| Iudei querunt Christum in Scripturis, & non inveniunt. | 52 |
| Iudeorum & hereticorum hodie comparatio. | 53 |
| Iusti possunt à iustitia excidere. | 204 |

Liberi

L

| | |
|--|------------|
| Liberi arbitrij cum Dei gratia cooperatio. | 44 |
| Locorum aliquando discrimen ad Dei beneficia impetranda. | 42 |
| Lutheri salus quot modis quaesita. | 172 |
| Lutheri progressus in peius. | 171 & seq. |

M

| | |
|---|---------------|
| Mariae virginis honor defenditur. 33. Eius excellentia defenditur 191. & seq. multis argumentis probatur. 191. 192. & seq. etiam quoad solum sanguinis honorem. 193. mulier illam laudans cur reprehendi potuit. 194. non fuisse illam reprehensam 196. & seq. Cur à nobis Beata predicatur. 195. | |
| Mahometana religio quanto studio conseruatur. 233. & seq. | |
| Merces precibus promissa, non est locutio impropria. | 5 |
| Merces bonorum operum. | 5. & seq. 28. |
| Miracula an recte à Nouatoribus postulentur. 150. & seq. | |
| Mortis apprehensio quomodo, & cur potuerit Christum turbare. | 287 |

O.

| | |
|---------------------------------------|-----|
| Obedientiae radix sola fides non est. | 35 |
| Omnes electæ vnde constare possunt. | 205 |

P.

| | |
|--|------|
| Patrum testimonia & exempla pie proferrî. | 127 |
| Patrum discrimen à Caluino vane confictum. | 128. |

Patrum

| | |
|--|-------------------------------|
| <i>Patrum voces in laudem B. Virginis conformes.</i> | 195 |
| <i>Papam non esse Pseudopropheta.</i> | 247 & seq. |
| <i>Pedum lotio cur in Ecclesia seruetur.</i> | 302. & seq. |
| <i>Pertinacia in hareticis causa.</i> | 179 |
| <i>S. Petrus incredulitatis falsò accusatur.</i> | 21 |
| <i>Pœnitentia motus & gradus.</i> | 84. & seq. |
| <i>Pœnitentia totū ordinem inuertit Calvinus.</i> | 85. & seq. |
| <i>Pœnitentia remissionem peccatorum semper præcedit.</i> | 89. 94. |
| <i>Pœnitentiam cum quotidiano iustorum profectu confundit Calvinus</i> | 96. & seq. & quare. 97. |
| <i>Phariseorū discursus politicus quā cæcus & impius.</i> | 222 |
| <i>Politicorū nostri tēporis varia impietas.</i> | 222. 233. & seq. |
| <i>voces & axiomata.</i> | 223. Maiores. 228. & seq. 232 |
| <i>Politicus pro homine Christiano habendus non est.</i> | 224 |
| <i>& seq. quouis malo Christiano deterior.</i> | 225 |
| <i>Politici Christo per omnia contradicunt</i> | 226. Samaritanis similes. 228 |
| <i>Præpositis Ecclesiæ obediendum.</i> | 59. & seq. |
| <i>Prælaturæ affectus, non res à Christo prohibetur.</i> | 64 |
| <i>Prælatorum Ecclesiæ officium.</i> | 66 |
| <i>Puritanorum in Anglia pertinacia.</i> | 176 |

Q.

| | |
|--|-----|
| Q uærendi finis esse debet. | 56 |
| Q uærenda amplius noua fides non est. | 152 |

R.

| | |
|---|-----------|
| R edemptionis nostræ pretium mors Christi sola | 279. |
| & seq. | |
| R egeneratio fide apprehēsa, nō facit pœnitere | 91 & seq. |

| | |
|---|------------|
| <i>Regum autoritas cur non in terris maxima.</i> | 158 |
| <i>Religio apud infideles quanto studio conseruata.</i> | 232 |
| <i>Reliquiarum cultus defenditur.</i> | 26. & seq. |

S.

| | |
|--|----------------|
| S acramentorum & sacramentalium virtus. | 42. 165 |
| S acerdotum impietas vera doctrine non officit. | & seq. |
| S alire in vitam æternam quid significat. | 119. |
| S alutis conditiones nugas admittant haretici. | 212. |
| S amaritani templi & schismatis cum hodierno schismate comparatio. | 127. |
| S anctificat nos Christus per Spiritum Sanctum. | 124 |
| S anctificationē imputatam docet Calvinus. | 126. & seq. |
| S ancti non sunt vocandi mortui. | 38 |
| S anctorum patrocinia. | 43. & seq. 75 |
| S atisfactiones pœnitentiam non repugnant Redemptioni per Christum. | 67. 68 |
| S cribe quomodo audiendi & ab eorum fermento cauendum. | 60 |
| S cripturæ affectata corruptio per Calvinum. | 8 |
| S cripturas indignissimè torquet Calvinus. | 294 |
| S chismatis hodierni insulsa & impia defensio. | 77. 80. & seq. |
| S imonis consilium dant Politici. | 236. |
| S inus Abrahe locus subterraneus & medius. | 70 |
| S piritus S. aqua vitæ fõtana, 118. quomodo sitim tollit. ib. | |
| S piritus S. cur aqua comparatur. | 120. |
| S piritus S. omnem animæ immunditiem aufert. | ibid. |
| S piritus S. animam fecundat. | 121 |
| S piritus obedientie, non discretionis populo fideli necessarius. | 163 |

T.

- T**Rabi à Patre ad Christum quid significat. 49
Traditionum Ecclesiasticarum & Pharisaicarum
 discrimen duplex. 108
Templorum ornatus defenditur. 33. 254. Ex antiquitatis
 testimonijs confirmatur. 257. & seq.
Testamentum nouum non sancitur sola manducatione
 aut bibitione spiritali Corporis & Sanguinis Chri-
 sti. 273. & seq.
Tropum in verbis, Hoc est Corpus meum, quam va-
 rie heretici ponunt. 266

V.

- V**erbi predicatio cur, & quomodo ab hereticis ho-
 die amplificata. 9
Verbum, cui Centurio credidit, quale. 10
Verbo predicationis non generatur certitudo salutis. 11
Verbi Dei custodia facit personam magis perfectam, sed
 non magis honorabilem. 197
Veteris Ecclesie contra Caluinum defensio. 131. & seq.
Veterum quorundam hereticorum pertinacia. 178
Vocatio legitima ministrorum verbi. 245. & seq.
Voluntatem Dei facere quid significat. 35-36
Voluntas faciendi mandata Dei est via ad credendum.
 161
Voluntas humana in Christo duplex. 251

F I N I S.

L V G D V N I

Typis Ioannis Tholosan. Anno re-
 paratæ Salutis humanæ, 1594.
 Mense Iunio.